C
v 10

G. VI. 354 retro.
354

# DEFENSIO ARNALDINA SIVE ANALYTICA SYNOPSIS

LIBRI DE CORREPTIONE, ET GRATIA,

(Quæ ab Arnaldo Doctore Sorbonico edita eſt an. 1644.) ab omnibus reprehenſorum vindicata calumniis.

*Fabricatores mendacii & Cultores perverſorum Dogmatum utinam taceretis, ut putaremini eſſe ſapientes.* Job. 13. 4.

ex libris M. francisci Dieuy Socij et Professoris Navarrici

ANTVERPIÆ,
Ex Officina G *** S ***

M D C C.

# AUCTORIS

## AD AMICUM

# PRÆFATIO.

CUM ego & familiares mei nuper in Bibliothecam tuam commentandi causâ, ut aſſolet, veniſſemus; multa te judice & arbitro de rebus Theologicis noſtro more diſputavimus. Nam ut Theologiam, tum excellentiâ rerum maximarum in quibus verſatur; tum majeſtate & copiâ fontium ex quibus depromitur; diſciplinarum omnium graviſſimam unicè

diligis, totuſque ex eâ pendes; ſic non alia apud te quàm Theologica tractari pateris: & ſi quis nonnumquam ex præſcriptis finibus excedens in alienos excurrit, ſtatim admones & revocas, ratus Religionis Chriſtianæ ſcientiam Theologo Chriſtiano ſufficere; cæteras plerúmque vel noxias eſſe, vel inutiles.

Diſputationem noſtram aperuit Auguſtinianum gratiæ primi hominis & noſtræ diſcrimen. Quæ prima quæſtio petita maximè ex Auguſtini libro de Correptione & gratiâ mox adduxit alteram de Arnaldinâ Synopſi, ſive Analyſi, ut jam appellari ſo-

let, & nos deinceps appellabimus; in quâ tam dilucidè exponitur tota libri præſtantiſſimi ſeries & Auguſtinianæ doctrinæ ratio, ut ſub uno velut aſpectu poſita, vel à rudioribus intelligi faciliſſimè poſſit. Eximiam Analyſim, ut à nobis obſervatum eſt, Benedictini ante annos novem exemplaribus nonnullis libri de Correptione & gratiâ præfixerant: ob iniquas certorum hominũ molitiones poſtea, ne quem offenderent, detraxerunt. Sed hîc accidit quod in aliis id generis experiri ſolemus; ut quæ gratiæ, non veritati tribuuntur, peſſimè ſuccedant. Exortus enim eſt Abbas neſ-

*Tomo x. novæ Editionis Auguſt.*

cio quis Germanicus., qui neque de veritate laborans, neque veteris beneficii memor, Benedictinos Janſeniani criminis reos citaret, cùm ob alia nonnulla, tum maximè propter Arnaldinam Synopſim, quam nullâ auctoritate hactenus vel Epiſcopali, vel Pontificiâ notatam cum iſti ab inimicorum calumniis vindicare & tueri debuiſſent, ut prioris ignaviæ notam deleret fortis, licet ſera defenſio; vel timidè defenderunt, vel inimicis fœdè prodiderunt. Nos verò ſingula criminationis Germanicæ capita diligenter excuſſimus; & ego tanta facilitate diſſolvi, ut ab omnibus

ſummo conſenſu damnata ſit & accuſatoris audacia & defenſorum ſive proditorum timiditas.

Quæſtionem confectam arbitrabar, cum tu novum accuſatorem produxiſti. Is ipſe eſt qui nuper hiſtoriam quinque propoſitionum Janſenii vernaculè ſcripſit magis ad conſtituenda noſtri ſæculi commenta, quàm ad veritatem rerum geſtarum explicandam. Nam quod in Analyſi Deus, ut ab Auguſtino ſæpe aſſertum eſt, ſolos electos ſalvos velle dicitur, hoc Anonymus reprehenſor cum propoſitione Janſenii quintâ ridiculè confundit. Ergo cum locum in-

tegrum legiſſemus, ad voluntatem Dei de ſalute reprobatorum, quam & iſte, & Abbas Germanicus ad fidem Catholicam pertinere confidenter affirmant, converſa eſt oratio. Cumque multa à nobis eſſent in utramque partem diſputata, & ego voluntatem generalem pluribus tum Patrum, tum Theologorum ſententiis excluſiſſem; acceſſit novus Abbas uni ex noſtris cognitus, incognitus tibi, idéque quantùm ex ejus inceſſu, frontè, ſupercilio intelligebam, arrogantior. Ut admiſſus eſt, poſtulavit quænã inter nos verſaretur quæſtio. Tu expoſuiſti. Ille elato &

gravi ſupercilio voluntatem Dei generalem de ſalute omnium ac ſingulorum (in quo plùs etiam dicebat, quàm Germanus, & Anonymus) Fidei Catholicæ dogma eſſe pronunciavit, eamque & à Patribus univerſis, ut ab omnibus Theologis, ſemper admiſſam eſſe, & eos qui negaſſent hæreticorum loco ſemper habitos fuiſſe. Abbatis indoctiſſimi frontem mirabamur, tu perhumanè ut ſoles, dum hominem admones eum in diſputationibus noſtris morem conſtantiſſimè teneri, ut ſi quis affirmat, negatve aliquid, id vel ſolidis rationibus confirmet, vel certis Scripturarum, Pa-

trum, Theologorum teſtimoniis: ideoque, quoniam maximè quærebatur an voluntas generalis ſit dogma Fidei Catholicæ, & tibi & nobis omnibus nihil jucundius accidere poſſe, neque ad morem noſtrum accommodatius, quàm ſi ab eo Theologorum id affirmantium nomina proferantur: antequam accederet, diligenter evolutos eſſe libros & plurimorum, & doctiſſimorum, ex quibus plerique palam & apertè voluntatem generalem excluderent; qui verò ad Fidem Catholicam pertinere eam diceret, adhuc repertum eſſe neminem: ſic unâ quæſtione temera-

rium Abbatem implicuiſti, ut non tam deinceps diſputare, quàm in vivos & mortuos furere viſus ſit. Nam Janſenianos, quorum propria non eſt hæc quæſtio, crebrò appellavit & Lutheranos & Calviniſtas Catholicis permixtos, qui re funditus ſublatâ ſpeciem Religionis externam profiteri videantur. Arnaldum imprimis inſectatus eſt atrociter; multaque de gratiâ ſufficienti ridiculè & inſcitè jactans, nihil ad rem dixit. Declamabat adhuc, cum vocantibus tuis ſubitò diſceſſiſti, nec poſtea, ut puto, reverſus es. Ego ut ſenſi orationem ſenſu vacuam, plenam convi-

tiis non minùs diſplicere cæteris qui aderant, quàm mihi: (alia enim & planè diſſimilis eſt noſtra diſputandi ratio. Sic de re quavis loquimur ac diſſerimus, ut nec liceat quempiam lædere, nec temere vagari.) Patere, inquá, ô Abbas, te iterum admoneri & revocari ad caput quæſtionis noſtræ. Voluntatem Dei generalem de ſalute omnium ac ſingulorum, dogma Catholicæ Religionis eſſe affirmas; eoſque qui negaverint, hæreticos ab omnibus Theologis ſummo conſenſu pronunciari. Nos equidem ut iſtorum nomina proferres, jam rogavimus; tu verò cum ad quæſtionem ne-

ceſſariam reſpondere debuiſſes; niſi fortè ex tuo & paucorum veſtrorum arbitrio Fidem Catholicam pendere exiſtimas; in vivos & mortuos multa contumelioſè dixiſti, viros, pace tua dixero, ſapientium omnium judicio & clariſſimos & doctiſſimos. Aut iſtos deſine convitiis laceſſere, aut Theologos idem ſentientes quod tu ſentis, profer. Et ego, inquit ille ferociùs, jam protuli, & iterum profero omnes. Plurimos antequam veniret, ut ſcis, evolveramus, & pleríque erant adhuc explicati. Ergo, inquam, quoniam neminem excipis, iſtos lege. *Res erit & laboris perexigui, & bre-

viſſimi temporis : nam loca in quibus noſtra quæſtio tractatur, notata reperies. Declamatori noſtro primum occurrit Scholaſticorũ princeps Lombardus. Arrepto codice prima verba palam recitavit, tum ſubitò obmuteſcens & vultu mutato cætera perlegit. Libro deinde abjecto excurrit in Pullum, in Petrum Pictavienſem, Anſelmum, Gregorium Ariminenſem, Cajetanum, Bannem, Eſtium, & Sylviũ. Ita autem perturbatus erat, & confuſus animo, ut librũ eumdem ſæpe ſumeret, & ſæpe abjiceret. Nos interea ridebamus; quod ut ipſe animadvertit: non hos, in-

quit, poſtulo, afferatur Vaſques. Quoniam ad frangendam hominis audaciam hoc ferè unum deſſe ſentiebam, protinus ad Vaſqueſium cucurri, duobúſque locis annotatis, in quorum altero voluntatem generalem ab Auguſtino, & à compluribus Theologis rejectam eſſe docet: in altero ſuam ipſe ſententiam de parvulis pleriſque ſine Baptiſmo morientibus interponit, librum explicatum obtuli. Quod reliquum erat ſpirituum, lectione Vaſqueſianâ prorſus ablatum eſt; ut in vultu pallente, & in oculis errantibus, attonitiſque legebamus. Cũ nihil aliud jam quæreret,

quàm quomodò elaberetur, voce demum ſubmiſsâ & humili petiit, quota eſſet hora: reſponſum eſt quintã dediſſe. Ecquid hic moror? inquit. Ecce, domi me expectant & Cardinales, & Epiſcopi. Mox feſtinus diſceſſit. Qui riſus eſſet omniũ interim, & poſteà fuerit, facilè judicas. Cum pauca iterum de quæſtione propoſitâ dixiſſemus, hortati ſunt omnes qui tum aderant plurimi, ut quæ pro Arnaldina Synopſi vel dixeram, vel dici poſſe obſervaveram, perſcriberem. Sic enim fore aïebant, ut eorum qui malis artibus infamant viri clariſſimi memoriam, reprime-

retur licentia & temeritas; & multorum qui rem non ſatis perſpexerant, judicia de Analyſi fortaſſe emendarentur. Ego quidem non invitus amicorum precibus parui. Sed dum præcipuos Patres ac Theologos percurro; liber quem perparvum fore exiſtimabam, ſic crevit, ut ne offendat moles, verear. Duo tamen ſunt, quæ me conſolantur, & quæ apud æquos judices, ut ſpero, valebunt. Primum eſt, me nihil dixiſſe quod non pertineat ad quæſtionem propoſitam: alterum, res graviſſimas, quas tractavi, paucis defendi non poſſe. Cum aliquod Theologiæ dogma

conſtituitur; vel nova quædam recentium Theologorum opinio refellitur, plura veterum teſtimonia proferenda ſunt, explicanda alia, quibus ad defenſionem erroris abutuntur adverſarii: neque omittenda eſt ſi qua difficultas interim occurrit, vel dubitandi ratio. Quæ omnia qui paucis conficere conantur, nec doctis ſatisfaciunt, nec rudibus. Oratio anguſtior, vel re non ſatis explicatâ iſtos non docet; vel idoneis deſtituta documentis illos non convincit.

Analyſis Arnaldinæ defenſionem binis partibus complexus ſum. In primâ de voluntate generali dixi

paulò uberiùs, quod graviſſima ſit quæſtio, nec pluribus hodie Theologis ſatis perſpecta eſſe videatur. In alterâ ſingulas Abbatis Germanici criminationes diſſolvi. Et quoniam quo potiſſimùm idiomate uterer, mihi præſcriptum nullomodò eſt, jure meo uſus, Latinum adhibere malui, quàm vernaculum: tum quòd Analyſis ſcripta ſit Latinè, tum quòd res à nobis pertractatæ propriè pertineant ad Theologos, nec ab aliis intelligantur. Si & tibi qui diſputationi noſtræ præeras, & amicis noſtris qui mecum actores fuerunt, ſatisfecero; me cæteris quoque

ſatisfeciſſe confidam, cum judicia veſtra doctioribus ſemper probari ſenſerim. Sin aliquid ad cauſæ optimæ defenſionem deeſſe vel judicas ipſe, vel amici noſtri, qui quod nos imparati diximus in primo congreſſu, probaverunt, volo ut tuo jure ſuppleas, aut amicum docilem admoneas. Vale.

# DE NONNULLIS VOCIBUS, quæ in hoc opere uſurpantur, admonitio.

I*Nvidioſum & malè olens* Moliniſtæ *nomen penitus omittere conſtitueram, amice Lector, nec potui tamen ob verborum ſterilitatem & inopiam. Quapropter ne quid ſit in voce criminis, vel invidiæ, te imprimis admonendum eſſe exiſtimavi, ut quoties Moliniſtas nomino, non aliâ notione accipias, quàm primariâ, hoc eſt, pro iis tantummodò qui novas Molinæ de rebus ad gratiam pertinentibus opiniones ſectantur. Nam plures ideas uſus comunis cum iſto nomine conjunxit (quas ego pacis Chriſtianæ causâ prorſus reſpuo & à Lectoribus meis reſpui cupio) ut Moliniſta apud pleroſque idem omnino ſit, ac Theologus de gratiâ & morum regulis perversè ſentiens, fraudulentus, calum-*

*niandi peritus artifex, & antiquæ traditionis, ut judiciorum Epiſcopalium contemptor. Ex quo fit ut ſi quem fortè Moliniſtam vocas, id probus quiſque & doctus habeat injuriæ graviſſimæ loco. Propterea maximè has omnes ideas quæ caritatem lædere poſſunt, removeri velim, ſi quando ſectatores Molinæ Moliniſtas appellavi.*

Janſeniani *nomen, quo interdum utor, plurimùm olim habuit invidiæ & dedecoris, jam honorificum eſt. (Et hinc diſce quanta ſit vocabulorum inconſtantia & mutabilitas.) Neque enim ut primùm eos deſignat qui propoſitiones quinque in ſenſu obvio probant. Nam qui probet notum eſt reperiri neminem: ſed eos duntaxat qui prædeſtinationem gratuitam & gratiam per ſe efficacem tuentur: qui de regulis morum ſentiunt cum Apoſtolis & Patribus; qui puriorem Eccleſiæ diſciplinam acerrimè vindicant cum ſanctio-*

*ribus Epiſcopis : qui denique nova recentium Commenta reſpuentes Scripturam & Traditionem commendant, eiſque ſemper inhærendum eſſe docent, Hanc demum* Janſeniſtæ *notionem peperit diuturna Moliniſtarū contentio. Nam iſtis Doctos & pios omnes tametſi à ſenſu quinque Propoſitionum damnato alieniſſimos, tanquam Janſeniſtas, temere inſectantibus idea Janſeniſmi prior ſenſim evanuit; & illæ omnes, quarum paulò antè mentionem fecimus, Moliniſmum infecerunt.*

Antijanſeniani *vox ab Anonymo* Hiſtoriæ 5. Propoſitionum *ſcriptore nuper uſurpata nondum obtinuit, quæ ſi non ab aliis auctoribus in publicos uſus transferatur, eamdem brevi fortunam habitura eſt ac* Moliniſtæ *nomen.*

*Illud denique admoneo, ut quæ de Anonymo & Abbate Germanico, quamquam pro causâ moderatè, dicturus ſum deinceps,*

*ad omnes & ſingulos Moliniſtas promiſcuè accomodari nolim. Nullam enim ſectam eſſe adeo perditam mihi facilè perſuadeo, in quâ apud aliquos interdum non reperiantur fides & ſinceritas.*

DEFEN-

# DEFENSIO ARNALDINA SIVE ANALYTICA SYNOPSIS.

LIBRI DE CORREPTIONE ET GRATIA,

*( Quæ ab Arnaldo Doctore Sorbonico edita eſt an.* 1644. *) ab omnibus reprehenſorum vindicata calumniis.*

## *LIBER PRIMUS. De voluntate generali.*

### CAPUT I.

*An quæſtio de Voluntate generali cum alterâ de Chriſti morte neceſſariò conjungatur.*

VOLUNTATEM generalem eam intelligo, vel quæ ad ſingulorum hominum, vel ad aliquorum è reprobatis ſalutem pertineat: eam uno verbo quâ I. Quid ſit Voluntas generalis

Deus vel ſingulos nemine excepto, vel certè alios, quàm electos ſalvos eſſe velit. *Singulos* dixi: nam omnes Deum ſalvos eſſe velle nemo negat propter auctoritatem Scripturæ certam & manifeſtam. Id unum quæritur, an vox, *omnes*, quam Apoſtolus *omnes* Deum ſalvos velle affirmans uſurpavit, intelligenda ſit de ſolis electis, an de ſingulis hominibus. Conſtat enim uſitato more Scripturarum *omnes* non idem ſemper eſſe, ac *ſingulos*: iſtamque vocem latiſſimè patere, nec ullam exceptionem admittere, cum prima certis plerumque finibus contineatur.

II. Ex antiquis theologis nemo voluntatem generalem ad Fidem pertinere exiſtimavit.

Ex antiquioribus Theologis qui voluntatem Dei de omnium & ſingulorum ſalute generalem velut dogma fidei tueatur, reperi neminem. Aliqui è recentioribus parvi & obſcuri nominis ſic pro voluntate generali decertant; ut eam, quamquam hoc

apertè & planè non dicunt, ad Fidem Catholicam referre videantur.

III. Eam ad Fidem Catholicam pertinere, quinā cenſeant, & quomodò.

Anonymus verò & Abbas Germanicus, quorum ſuffragia ob certiſſimum partium ſtudium in diſputationibus Theologicis minimè numerantur, aliquos ſaltem è reprobatis Deum ſalvos eſſe velle affirmant, idque Fide integrâ negari non poſſe definiunt.

IV. Cur aliquos tantummodò è reprobatis Deum ſalvos velle definiāt, non ſingulos.

Cur anguſtioribus terminis ambo Fidem ſuam concluſerint, fecit, ut conjicio, auctoritas Vaſqueſii, qui ſuperiorum Theologorum omnium, ut ipſe ait, conſentientibus teſtimoniis fretus è pueris ſine Baptiſmo morientibus plurimos Deum ſalvos eſſe nolle docet. Fortaſſe etiam decretum Innocentianum, in quo uno nituntur, latiûs non patere ſenſerunt. Sic enim concipitur. *Quintam, Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omni-*

*nò hominibus mortuũ eſſe, aut ſanguinem fudiſſe*: quæ eſt propoſitio delata ad Pontificem Innocentiũ: *falſam, temerariam, ſcandaloſam, & intellectam eo ſenſu, ut Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus ſit; impiam, blaſphemam, contumelioſam, divinæ pietati derogantem & hæreticam declaramus, & uti talem damnamus*. Quibus verbis Innocentius ſententiam eorum, qui Chriſtum pro omnibus ac ſingulis paſſum eſſe exiſtimant, ab hæreſi Semipelagianâ liberavit: contrariam nullomodò notavit: *fortè*, inquit Franciſcus Macedo, in Libro de mente Summi Pontificis Innocentii X. circa
a P. 107. Propoſitiones Janſenii, [a] *reſpiciens ad Eccleſiam Lugdunenſem, & Concilium Valentinum, & Lupum Servatum, ac illius temporis Catholicos Doctores, qui ſanè dubitarunt an mortuus eſſet pro infidelibus, iis præſertim qui in pro-*

*fundiſſimâ merſi barbarie parum certè à pecudibus diſtant, & ferino more vitam degunt . . . Quorum certè, multorum judicio, par pœne ac infantium, quibus applicari Baptiſma non potuit, habenda eſt ratio.*

Sin & iſtam quis decreto Innocentiano notatam, confixamque velit, ſic ille concludere & argumentari neceſſariò debet. Quicquid non eſt Semipelagianus error, neque ut Semipelagianum notari poteſt, id neceſſariò habendum eſt ut dogma Fidei Catholicæ: Chriſtum pro omnibus & ſingulis mortuum dicere, non eſt Semipelagianus error neque id velut Semipelagianum inſectari & notare per decretum Innocentianum licet: ergo mors Chriſti oblata pro omnibus ac ſingulis habenda eſt neceſſario velut dogma Fidei Catholicæ; & quiſquis hoc negat, is decreto Pontificio tan-

quã temerarius damnatur. Cum manifeſta ſit primæ propoſitionis falſitas, falſa quoque eſt & inanis concluſio.

Id ergo ſentientes Anonymus & Abbas, ex Propoſitione damnatâ nihil aliud eliciunt, quam Chriſtum ſaltem paſſum eſſe pro ſalute reproborum aliquorum. Cum enim damnata ſit hæc Propoſitio: *Chriſtus pro ſolorum Prædeſtinatorum ſalute mortuus eſt*: (Sic uterque decretum interpretatur) verum ergo eſt, id quod directè opponitur, Chriſtum pro ſalute aliquorum minimè Prædeſtinatorum mortuum eſſe. Ex quo conſequens eſſe putant, ut Deus aliquos è reprobatis ſalvos velit. Quamobrem Anonymus obſervationem Analyſis Arnaldinæ velut hæreticam fixo & immutabili decreto damnavit. Rem paucis explico.

b *1 Tim. 2 4.* Sententiam Apoſtoli; [b] *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*:

quæ contentione hominum facta eſt percelebris, Auguſtinus in libro de Correptione & Gratiâ tam apertè ad ſolos electos trahit, accōmodatque, ut Abbas Germanicus Arnaldum, qui hoc annotavit in Analyſi, minimè auſus ſit propterea reprehendere, tametſi ad cauſam ſuam ſemper intentus & acer omnibus adverſariorū voculis inſidiatur, neque ullam impune dimittit. Cæteroquin ipſe, non ſecus ac ſi eſſet ſupremus omnium controverſiarum judex, voluntatem Dei de ſalute reproborum [a] *Dogma eſſe fidei quod ab Eccleſia defenditur*, ſummâ poteſtate definit. Janſenianos, quòd negaverint; Benedictinos quòd in operibus Auguſtini nequaquam indicaverint, hæreticos eſſe & haberi jubet. Libelli perexigui paginæ pluſquam 30. in hoc uno argumento verſantur. Præmiſerat propoſitiones quinque à ſummis Pontificibus proſcriptas, ut

V. Analyſim. propter excluſam voluntatē generalem non auſus eſt reprehendere AbbasGermanicus.

a *pag. 27. editColon.*

novum fidei Dogma ſuperioribus incognitum ad quintam pertinere lectores intelligerent.

vi. Reprehendit Anonymus in hiſt 5. propoſit.

Ut ſolet hominum audacia paulatim creſcere, Anonymus hiſtoriæ Janſenianæ Scriptor, cujus antè facta eſt mentio, illud Analyſis Arnaldinæ q. 4. n. 9. *De his etiam ſolis* electis *intelliguntur ejuſdem Apoſtoli verba*, Deus vult omnes homines ſalvos fieri; *id eſt, omnes Prædeſtinatos, quia omne genus humanum in eis eſt; cum in utroque ſexu, ex omni gente, gradu, ætate & conditione ſalventur. Quod ſi Deus omnes omnino homines vellet ſalvos fieri, omnes omnino ſalvarentur: quia volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium*: cum propoſitione Janſenii quintâ confundit. *Nam cum exceptio*, inquit, b *ſit generalis, Deus ac proinde Chriſtus nullum unquam è reprobatis voluit ad gloriam æternam provehere.* Cauſam

b *Idem. pag.* 473.

pronunciati repetit ille ex perpetuo voluntatis Chriſti cum divinâ conſenſu. Verba hominis graviſſimè, ut ſolet, pronunciantis repreſentabo, ne cui fortaſſe videar imponere. c *Nemo ignorat has propoſitiones duas :* Chriſtus pro ſolorum Prædeſtinatorum ſalute mortuus eſt : *&* , Deus non alios vult ſalvos eſſe, quàm Prædeſtinatos ſive eos qui ſalutem reipsâ conſequuntur : *Idem hic omnino ſignificare ; quoniã Chriſti voluntas ſemper & in omnibus conſenſit cum divinâ. Nullus quoque eſt Theologus qui neſciat utramque in unam hanc incidere :* media & auxilia, quæ ad ſalutem conſequendam ſufficiant, ſolis electis præparantur. *Nam Deum ſalutem velle, nihil eſt aliud quàm media ad ſalutem neceſſaria præbere.* Ex quo intelligitur, *media præparare, & præbere,* idem prorſus Anonymo videri. Sed in paucis verbis tot fere lapſus, quot ſententiæ. Præ-

c *Idem pag.* 472.

cipuos breviter indicabo.

VII. Ut propoſitionem Janſenii quintā eliciat ex verbis Arnaldi quomodò decretum Innocentianum interpretetur.

Ac primùm auctor, quiſquis ille eſt, qui ut hæreſis Janſenianæ reos faciat adverſarios, verba quædam eorum ambigua ſectari ſolet, diſſimulat ſententias, & proprium ſtatum controverſiæ, poteſt ſiſti in ipſo limine. Ut ex propoſitione Arnaldinâ eliciat quintam propoſitionèm Janſenii, verba decreti Innocentiani ſemper & pleno jure reddit; *pro ſalute ſolorum Prædeſtinatorum*: quod ij ex quibus hiſtoriam ſuam, verba ipſa ſæpe expreſſit, jam fecerant diſſimulantibus nec laborantibus adverſariis; quoniam nihil id ad potiſſimum controverſiæ de Chriſti morte caput pertinere videbatur. Neque enim quæſitum propriè eſt, an Chriſtus pro ſalute reproborum paſſus rectè dici poſſit; ſed quo ſenſu pro reprobis paſſus rectè vel dici, vel negari poſſit.

VIII. Certane ſit

Quoniam autem tota Anonymi

accuſatio in hac unâ Decreti interpretatione nititur, quam nullâ ne leviſſimâ quidem ratione conſtituit, placet hominem hoc loco pauliſper ſiſtere: qui tametſi nos de Chriſto pro reproborum ſalute paſſo conſentientes habet, plus tamen ex decreto concludere non debuit, quàm verba per ſe & neceſſariò ſignificant.

Anonymi interpretatio.

De Janſenii & quinque propoſitionum ſenſu per quadraginta annos acerrimè diſputatũ eſt: in eaque diſputatione, ut in pleriſque aliis, plus valuit partium ſtudium, quàm pax & veritas. Qui calumnioſis certaminibus delectabantur, propoſitiones damnatas ſic dilatare ſolebant, ſic ad omnia pro arbitrio fingere, ut hæreſis Janſenianæ calumniam non effugeret, quiſquis Theologiæ Molinianæ palam adverſaretur; quaſi capitalis ſit error nova Molinæ commenta reſpuere. Sed Innocentius XII. propoſitiones

quinque inſenſu obvio damnatas eſſe declarans, ac graviſſimè prohibens a *Ne in alios ſenſus* torquantur, *præter eum*, *quem verba ipſa per ſe ſe exhibent*: neve temere admittatur Janſeniſmi vaga & invidioſa criminatio, nec quiſquam Janſenianus appelletur, niſi quem *legitimè conſtiterit aliquam ex quinque propoſitionibus docuiſſe*; litibus infinitis finem impoſuit. Nam ut intelligamus quid in Janſenio damnaverit ſummus Pontifex, nihil neceſſe eſt Janſenium operoſiùs excutere: quę inquiſitio quàm implicata ſit & difficilis, poſt diuturnas graveſque controverſias jam omnibus notum eſſe debet. Id unum intuendum eſt quid propoſitiones damnatæ per ſe ſe ſignificent: nec dilatandũ, quòd Pontifex reſtrinxit, nec reſtringendum, quòd generatim enunciavit: nec verba loco movenda, ut alieni ſenſus eliciantur, uno verbo ſpectanda eſt ſola verbo-

a *In Decreto 28. Jan. 1694 & in Epiſtolâ ad Epiſcopos Belgii 6. Feb. 1694*

rum proprietas& connexio: quòd nullam vel perexiguam difficultatem habet. [b] *Cum ipſa experientia docuerit quòd non parum difficile ſit quinque propoſitionum ſenſum à Janſenio intentum ex lectura libri Janſeniani reperire: & econtra facile ſit noſſe quiſnam quinque propoſitionum ſit ſenſus obvius, quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt; ratio dictat ut ſi noſſe velim quiſnam ſit ille ſenſus in quo quinque propoſitiones damnavit S. Sedes, & conſequenter noſſe velim quiſnam ſit dictus ſenſus obvius, & dictus ſenſus a Janſenio intentus; potiùs conſiderem, quiſnam ſit quinque propoſitionum ſenſus obvius quem ipſamet propoſitionum verba præ ſe ferunt, quàm examinem quiſnam ſit 5. propoſitionum ſenſus à Janſenio intentus.* Ergo quoniam jubet S. Pontifex, Theologique præeuntes demonſtrant iter, ſenſum propoſitionis quintæ obvium ſcrutemur, & iſne ſit

b Auctor *Janſeniſmi hiſtoria brevis pag* 131 & 132.

quem pleno jure Anonymus ponit, non conſtituit, videamus. Senſus obvius ille eſt, ut jam admonui, quem exigit idiomatis cujuſque proprietas, & uſitata verborum ſignificatio. Situm & ordinem verborum in oratione plurimùm valere notum eſt omnibus, eoque mutato ſenſum ſæpe variari. Quin unica vox, ut variè componitur cum aliis, & ad unam refertur, aut ad alteram, diverſos quoque ac diſſimiles ſenſus ut plurimùm gignit. Sic in quæſtione propoſitâ ſi particula, *duntaxat*, referatur ad ſubſequentem vocem, *Prædeſtinatorum*, decreti Pontificii ſenſus is eſt, quem Anonymus repreſentavit. Sin contrà referatur ad alteram, *ſalute*, quæ præcedit; ſenſus planè eſt diſſimilis, quem ſic exprimere poſſumus; *Pro ſolâ Prædeſtinatorum ſalute*. Quantùm autem ambo differant, vel rudior quiſque ſentit. Nam prior indiçat Chriſtũ

pro aliorum ſalute, quàm electorum mortuum eſſe; non item poſterior, ex quo hoc unum conficitur quòd Arnaldus ſæpe aſſeruit, nunquam negavit; Chriſtum ſanguinem pro ſolâ prædeſtinatorum ſalute non fudiſſe, verùm etiam pro juſtitiâ pluribus aliis impetranda, pro auxiliis quoque & beneficiis, quæ per mortem ſuam voluit reprobis quam plurimis obtinere, & revera obtinuit. Senſum hunc non refutavit neque indicavit Anonymus, quod neceſſarium tamen videbatur ne infirmari poſſet accuſatio. Nam ſi quem linguæ latinæ uſum habet, non ignoravit particulam, *duntaxat*, eſſè ejuſmodi, ut in oratione Latinâ ſequi ſoleat id ad quod pertinet, non præcedere. Non dicimus *duntaxat Germani vicerunt*, ſed, *Germani duntaxat vicerunt*; & ita de cæteris. Quamobrem maximum eſt harũ propoſitionum diſcrimen, *Ger-*

*mani duntaxat vicerunt; Germani vicerunt duntaxat*, quarum prior ſignificat ſolos Germanos viciſſe; poſterior victoriam eos reportaſſe, nihil amplius. Quod totum diſcrimen ex ſolo particulæ, *duntaxat*, ſitu pendet, quæ in primâ propoſitione refertur ad vocem, *Germani*; in alterâ ad vocem *vicerunt*, quæ proximè anteceſſit. Ergo juxta uſum & proprietatem ſermonis Latini, ut ſenſus Anonymi exprimatur, dicendum eſt: *pro prædeſtinatorum duntaxat ſalute*. Tum enim particula, *duntaxat*, cum vocabulo præcedenti *prædeſtinatorum* copulatur. Quoniam verò poſitum eſt in decreto, *Pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum*, videtur conſequens ut, *duntaxat*, pertineat ad vocem, *Salute*, quæ præcedit, ideoque ſenſus obvius ſit is quem expreſſi, ſi ſpectatur uſus linguæ latinæ, & ſola verborũ ſignificatio.

Si Chriſtus pro ſolâ prædeſtina-

torum ſalute, aut, quod idem eſt, pro ſolis prædeſtinatis non eſt mortuus: ſequitur eum eſſe mortuum pro pluribus reprobis, uno verbo, pro univerſis omnium temporum fidelibus, quibus & fidem & juſtitiam & auxilium gratiæ per mortem ſuam impetravit. Hoc verò Janſenius negaſſe viſus eſt Romanis conſultoribus iis, qui ejus ſenſum diſtinctè expreſſerunt. Extant omnium ſuffragia apud Wendrochium. E tredecim, nam totidem erant, quinque propoſitionem abſolvunt, damnant octo. Ex iſtis tres tantummodò Janſenii ſenſum apertè nomināt, ſicque exprimunt, ut Janſenius Chriſtum pro ſolis prædeſtinatis paſſum credidiſſe videatur, nullomodò pro aliis. Unde is qui ſuffragia prior edidit, idemque Thomiſta, ut ex præfatione & obſervationibus liquet: *Si quæras* inquit, *quem ſenſum Janſenio tribuant qui ipſi videntur adverſi;*

*Reſpondeo hunc eſſe, ut ex ipſo pro ſolis prædeſtinatis Chriſtus mortuus ſit, & nullomodò pro reprobis. Ex quo conſequens aiunt eſſe, nulli ne juſto quidẽ adeſſe ſufficientia media ad ſalutem.* Cum ita Janſenii ſenſum acceperint illi, cur non damnaret Pontifex? Certè ſi in proprietate vocabulorum inhæreamus, expreſſit. Quo ſemel Anonymi fundamento everſo vana & futilis eſt criminatio, quæ non magis Arnaldum, quàm Petavium petit; ut poſtea patebit, cum Petavianum de Auguſtini & aliorum Patrum doctrina judicium repræſentabo.

IX. In quo ſita ſit quæſtio de morte Chriſti.

Cæterum id magis obſervavi ad patefaciendum ſtuporem hominis (qui in ipſo accuſationis ſuæ fundamento tam parum eſtfœlix ut ſi negamus quòd ab eo poſitum, minimè probatum eſt, ipſe ultra progredi non poſſit) quàm quòd cauſæ neceſſarium videbatur. Neque enim cum de morte

Chriſti agitur, in eo ſita eſt quæſtio, an nullomodò Chriſtus pro reproborum ſalute paſſus ſit, aut paſſus dici poſſit; ſed an voluntate plenâ, efficaci, & conditionatâ reprobos ſalvos eſſe voluerit, eiſque media plenè ſufficientia obtinuerit, hoc eſt, quæ ejuſmodi ſint, ut aliis præterea ad ſalutem conſequendam non indigeant. Hic verus eſt quæſtionis ſtatus, quem Anonymus ſemper diſſimulavit; Pontifex non attigit, tametſi verba decreti Innocentiani, ut Anonymus intelligit, intelligantur. Aliud enim eſt dicere Chriſtum pro ſalute reproborum aliquorũ paſſum; aliud quomodò paſſus ſit, conſtituere. Primum in modo loquendi, alterum in re eſt, quam Pontifex integram reliquit. Modus loquendi ſæpè eſt diverſus & mutabilis, cum res eadem manet. Sed de his pluſquam ſatis, videamus reliquos lapſus hominis.

x. Varii in paucis verbis Anonymi lapſus notantur.

„ 2°. Nemo ignorat, inquit, has
„ propoſitiones duas ; *Chriſtus pro*
„ *ſolorũ prædeſtinatorum ſalutè mor-*
„ *tuus eſt* ; & , *Deus ſolos electos vult*
„ *ſalvos eſſe*, idem hîc omnino ſignificare. Si idem omnino ſignificant apud omnes; ergo qui unam concedit, negatve, is pariter neceſſe eſt ut concedat, aut neget alteram. Atqui ſæculi IX. ſcriptores graviſſimi, quorum poſtea teſtimonia proferam, alios Deum negant ſalvos velle, quàm electos; Chriſtum tamen pro omnibus fidelibus, id eſt, pro fidelium omnium ſalute paſſum eſſe affirmant, neque enim iſta duo diſtinguere videntur. Theologi vulgò Chriſtum pro ſalute omniũ *ſufficienter* mortuum eſſe confitẽtur; ejuſdem voluntatem aliquam de omnium ac ſingulorum ſalute plerique agnoſcunt: plurimi nihilominus, ut in totâ hac quæſtione deinceps conſtabit, ſolos electos Deum ſalvos velle pronunciant.

Ex quo cōſequens planè eſt ſuperiores propoſitiones duas apud iſtos non idem ſignificare: & idcirco Anonymum, dum ait, *Nemo ignorat*; ſuam doctis omnibus ignorantiam patefacere.

3°. Utramque propterea propoſitionem idem ſignificare ait, quòd Chriſti voluntas numquam diſſenſerit à Divinâ. Si ita eſt, nihil igitur Chriſtus quoquomodò voluit, quòd non ſimiliter voluerit Deus. Falſa igitur eſt propoſitio Chriſti, [a] *Veruntamen non ſicut ego volo, ſed ſicut tu*: quam Eccleſia adverſus Monothelitas crebrò uſurpavit. Ex quo patet fundamentum Anonymi in ea præſertim quæſtione de qua agitur, ut ex Vaſqueſio mox dicam, directè pugnare cum ſacris literis. Si nemo ignorat duas Anonymi propoſitiones idem ſignificare; multò minùs ignoratur principium, ex quo id Anonymus conſequens eſſe prononciavit. Igno-

[a] *Matth. 26. 39.*

ratum tamen eſt à Banneſio, ab Eſtio, à Sylvio, ut de cæteris taceam, qui alios quàm electos Deum ſalvos velle ſic negant; ut ſimul Chriſtum, dum viveret, omnes ac ſingulos ſalvos voluiſſe confiteantur. Vaſques ipſe, cujus magna proculdubiò eſt apud eum quem refellimus, auctoritas, negat cum ſuperioribus Theologis pueros plurimos Deum ſalvos eſſe velle, pro quibus Chriſtum tamen mortuum eſſe concedit. Placet hoc loco Vaſqueſii ſententiam repreſentare, quia nullus deinceps occurret aptior. In 1. partem diſputat. 96. cap. 2. pueros, qui nullâ induſtriâ humanâ baptiſari poſſunt antequam moriantur, mediis ad ſalutem neceſſariis omnibus carere docet, in eâque ſententia fuiſſe Theologos omnes qui ſcripta ſua in lucem hactenus ediderant; cap. 3. ejuſmodi pueros ſalvos Deum nolle, qui media ad ſalutem neceſſaria

negavit: duo vero loca ſcripturæ ex quibus voluntas Dei generalis concluditur; *Deus non vult perire animam*, &c, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, ad ſolos adultos pertinere ait, non ad pueros.

*Cæterum*, inquit, *tribus de cauſis dicere poſſumus, Chriſtum pro omnibus parvulis mortuum eſſe, qui tamen pro Dæmonibus nullo modò mortuus dicitur; primò quia erat communis cauſa parvulorum, & omnium hominum ob quam venerat, & pro quâ oravit, extra quam Dæmones omnino erant. 2°. Quia juſtè & piè credimus Chriſtũ non expreſsè denegaſſe ullis parvulis meritum ſuum & à fructu ſuæ paſſionis apud Patrem eos excluſiſſe, ſicut Dæmones rejecit. 3°. Quia non minùs piè affirmare poſſumus, Chriſtum voluntate ſimplicis affectûs omnibus parvulis nemine excepto etiam poſt peccatum primi parentis ſalutem deſideraſſe, ſicut ſibi ipſi vitam concupivit; atque ita*

*pro omnibus oraſſe, ut ſalutem conſequerentur, ſicut pro ſe ut liberaretur à morte, ſed cum ea conditione, quam orationi à ſe factæ adjecit,* [a] *veruntamen non mea ſed tua voluntas fiat.* Quòd tamen poſtremum de iis ſolis intelligit, qui poſt Chriſtum vixerunt, nam pro cęteris negat aliter mortuum eſſe, quàm propter cauſam communem & magnitudinem atque potentiam pretii. Ergo ex Vaſquesio Chriſtus voluit omnibus pueris ſine baptiſmo morientibus ſalutem, quam noluit pater; pro iiſque mortuus eſt Chriſtus homo, quos Deus numquam voluit ſalvos eſſe. Sic auctoris principium non modò ignotum eſt pluribus Theologis, verùm etiam ab iiſdem funditus evertitur.

a Luc. 22. 42.

Fuit in Chriſto, dum viveret, voluntas multiplex, ut antecedens & conſequens. Quicquid voluit voluntate conſequenti, idem quoque Deum voluiſſe

concedunt

concedunt omnes: quicquid voluit antecedenti, ut eſt æterna ſalus omnium; id Deum voluiſſe negant, quotquot voluntatem Dei generalem rejiciunt. Vel ut Bonaventura loquitur in 3ⁱⁱ. D. 17. a. 2. q. 2. *Voluntas humana fuit in Chriſto ſecundum triplicem differentiam, ſic & oratio. Quædam fuit procedens à voluntate rationis, quædam à voluntate pietatis, quædam à voluntate carnis.* Primam ſemper exauditam eſſe ait, *quòd iſta voluntas erat per omnia conformis voluntati Divinæ.* Sed *oratio procedens à voluntate pietatis & carnis non fuit in Chriſto exaudita per omnia, tum quia hac voluntate non conformabatur Deo in omni volito ... tum quia illa petitio plus ordinatur ad noſtram inſtructionem, quàm ad exauditionem. Magis enim petebat hac voluntate ut nos erudiret quàm ut Deum ad ſuam petitionem inclinaret.*

Ad poſteriora hæc orationis ge-

nera duo refert illud Chriſti, *tranſeat à me calix iſte*; & illud, *Pater ignoſce illis*. Item illud Joan. 17. 11. *rogo ut illos ſerves à malo*. Nam v. 20. *non pro eis rogo tantùm, ſed pro eis qui credituri ſunt*, quos conſtat, ut Bonaventura docet, magna ex parte non ſervari à malo.

4°. Scriptor Anonymus affirmat propoſitiones duas, quas nos ante repreſentavimus, in tertiam hanc incidere: *Auxilia quæ ad ſalutem ſufficiant, ſolis electis præparantur*: idque inter Theologos qui neſciat, eſſe neminem. Pronunciati fundamentum unicum eſt: *Idem eſſe in Deo & ſalutem velle & media ad ſalutem neceſſaria præbere*. Cum principium debeat eſſe & notius & certius quàm concluſio; igitur ſi ſuperiores propoſitiones duas, in tertiam quam exhibuimus, incidere notum eſt omnibus Theologis, multò notius certiuſque debet eſſe id

in quo tota hæc Theologorum omnium doctrina nititur : hoc eſt *Idem eſſe in Deo & ſalutem velle, & media ad ſalutem conſequendam præbere.* Sed hoc ipſum, quòd ille velut principium ab omnibus conceſſum ſumit, negatur à pluribus, qui & Deum omnes voluntate antecedenti ſalvos velle concedunt, & gratiam ad ſalutem neceſſariam ſimul negant exhiberi omnibus. Addo & principium rejici ab omnibus Thomiſtis, & ab iis omnibus qui prædeſtinationem gratuitam ſincerè confitentur. Nam omnes perſeverantiam eſſe donum ſingulare Dei, idemque ad ſalutem omnino neceſſarium concedunt, ſolis tamen prædeſtinatis conferri. Quis ergo ſingularem hominis audaciam non admirabitur ? Multa alia ſimilis audaciæ & temeritatis exempla proferre poſſem, ſi ad quæſtionem pertinerent, nam etſi librum integrum

non evolverim; neque enim id à me impetrare potui; in plura tamen loca fortè incidi, in quibus vel graviſſimè pronunciat Theologos omnes docere, quod plerique negant, vel ut Janſeniana inſectatur, quæ aut ſanior Theologorum pars docet, aut de quibus, ſi qua inter iſtos exiſtit, leviſſima plerumque eſt, & magis in modo loquendi, quàm in re diſſenſio. Nova quoque noſtrorum temporum commenta ſuperioribus ſæculis incognita iterum proponit, & rationes ſolidiſſimas, quibus contrita ſunt, omittit, ſtatum controverſiæ ſæpè diſſimulat; & quæſtiones, quæ de ſolo nomine extiterunt, ſic tractat quaſi ad ſummam Fidei Catholicæ pertinerent; ut nulla in homine appareat vel rerum Theologicarum ſcientia, vel animi ſinceritas.

XI. Queſtio de voluntate generali

Ex his quæ in tertia obſervatione annotavi, liquet controverſiam quæ de Dei voluntate ge-

nerali eſt inter Theologos, per ſe nihil habere commune cum aliâ quæ de Chriſti morte fuit, & idcirco ſeparatim tractari poſſe. Addo controverſiam quæ de Chriſti morte fuit, omnium videri leviſſimam; in qua Pontifex id de quo maximè quærebatur, non attigit, & quod à nemine negabatur conſtituit. nihil habet commune cum alterâ de morte Chriſti.

XII. Quid Arnaldus de Chriſti morte ſenſerit.

Nam primò ſemper conceſſit Arnaldus Chriſtum pro omnibus generatim & ſingulis paſſum dici poſſe ob naturā & cauſam communem, quam ſuſcepit, & ob magnitudinem pretii oblati quod ſufficit omnibus ac ſingulis. Nec Proſper aliâ ratione eum pro omnibus paſſum eſſe docet, nec Vaſques ipſe, nec plures è Scholaſticis. In Apologia pro SS. Patribus p. 91.

2°. Quoad applicationem pretii oblati mortuum eumdem eſſe pro omnibus fidelibus, qui per Baptiſmum & reliqua Sacramēta, gratiæ quam morte ſua prome- *Ibid.*

ruit, participes fuerunt. Eadem eſt ratio fidelium omnium qui vixere vel in lege naturali, vel in Judaïca.

*Ibidem.* 3°. Singulari quadam ratione mortuum eſſe pro electis omnibus quibus & gratiam uberiorem dedit, & æternam ſalutem voluit, hoc eſt voluntate abſolutâ & efficaci, de quâ ſolâ loquitur Arnaldus in Apologiâ pro SS. Patribus. An voluerit ſalutem reprobrorum eâ voluntate, quam Theologi vocant antecedentem, vel eâ voluntate, quam ex Vaſqueſio expreſſi, levis eſt quæſtio, de quâ omnes facilè conſentiunt. Neque voluntatem hanc Arnaldus negavit, contrà potius agnovit in Apologia p. 59. 60. 61. & 62. Sic tota quæſtio de morte Chriſti revolvitur ad gratiam ſufficientem, quâ decretum Pontificium non attingit. Et hæc quidem ſi referatur ad ſententiam recentiorum quorumdam Theologorum, qui gra-

tiam ſufficientem ab efficaci non aliter quam eventu diſtingunt, graviſſima eſt: ſin ad Thomiſticam, leviſſima; quæ magis in nomine, quam in re exiſtit. Sed de gratiâ ſufficienti dicam in altera parte defenſionis noſtræ. De morte Chriſti plura non dicam, tum quia nihil attinet ad quæſtionem propoſitam, ut pluribus jam confeci; tum quia de eâ nihil habet Analyſis Arnaldinæ propoſitio, quam Anonymus hæreticam eſſe definit. Graviſſimæ definitionis fundamentũ Abbati cum Anonymo commune, illud eſt; voluntatem Dei de ſalute reproborum dogma eſſe fidei Catholicæ; ergo ſi nihil id ad fidem Catholicam pertinere certis argumentis effecero, propoſitionem Arnaldi ſanam & Catholicam eſſe conſtabit: quod unum in primâ hac parte conſtituendum mihi propoſui.

## Caput II.

### *Quanta ſit Auguſtini in rebus ad Gratiam pertinentibus auctoritas.*

I. Quid ad fidem Catholicam requiratur?

DOGMA Fidei Catholicæ nullum agnoſcimus, quod vel in ſcripturâ juxta unanimem Patrum ſententiam explicatâ diſtinctè non contineatur: vel quod perpetua & conſtans non non firmarit ſæculorum omnium traditio, vel minimè conſtituerit Conciliorum generalium auctoritas: certave totius Eccleſiæ Catholicæ conſenſio.

II. Voluntatem generalem aliqui ex patribus videntur admittere.

Ad conſtituendam voluntatem generalem ex traditione univerſali & perpetuâ, ex Conciliorum generalium, ſummorum ve Pontificum Decretis (nam Innocentianum de propoſitione Janſenii quintâ temere produci jam patet) vel ex certo totius Eccleſiæ conſenſu profertur nihil. Patrum aliquot, eorum præſertim qui

ante exortam Pelagii & Semipelagianorum Hæreſim vixerunt, ſententias objici ſcio.

Sed iſtis opponimus complures alios, quorum in ea re de quâ agitur, multò major certiorque eſt auctoritas, eſt enim hoc velut effatum commune Theologorum omnium: in rebus ad gratiam Chriſti pertinentibus potiorem habendam eſſe rationem eorum qui natâ jam Pelagianorum, Semipelagianorumque Hæreſi; quàm eorum qui nondum exortâ floruerunt; plus Latinorum auctoritati tribuendum eſſe, quàm Græcorum, etiam poſteriorum, qui Pelagii latebras non ſatis perſpectas habuerunt, Semipelagianas verò funditus ignoraſſe videntur: denique Auguſtinum inter Latinos præſtare reliquis omnibus; cujus doctrinam Eccleſia Romana cæterarum mater & magiſtra ſingulari quadam ratione conſecravit. III. Graviſſimi rejiciunt.

IV. Auguſtini ſingularis auctoritas.

Cum demortui nomen à Semipelagianis infamaretur, Cæleſtinus I. in Epiſtolâ ad Galliarum Epiſcopos non modo petulantiam & temeritatem hominum repreſſit; verùm etiam Auguſtinum à ſuis deceſſoribus inter optimos magiſtros ſemper habitum eſſe teſtatus eſt. Hormiſdas interrogatus à Poſſeſſore Epiſcopo de Fauſti Semipelagiani libris: a *Quid de libero arbitrio & gratia Dei, Romana, hoc eſt Catholica ſequatur & aſſeveret Eccleſia, in variis libris Auguſtini & maximè ad Hilarium & Proſperum cognoſci poſſe* reſpondit. Joannes II. in Epiſtolâ 3ª. ad Senatores, ac nuper Innocentius XII. in literis ad Lovanienſes; ut interea taceam de præclaris Gelaſii in Epiſtolâ ad Picenos & in alterâ ad Honorium, Agathonis ad Synodum ſextam, Clementis VIII. in Congregatione de Auxiliis, Alexandri VII. ad Lovanienſes teſtimoniis: declararunt

a *In Epiſtolâ ad Poſſeſſorem.*

*Auguſtini Doctrinam ſecundum prædeceſſorum ſuorum ſtatuta Romanam ſequi & ſervare Eccleſiam.*

Tantùm in iis præſertim quæ ad gratiam pertinent, à ſummis Pontificibus ſemper Auguſtino tributum eſt, quia virum ſanctiſſimum & doctiſſimum omnes [a] *Catholici*, dum viveret ut *conditorem antiquæ rurſus fidei ſuſpexerunt*; [b] quia eodem *duce Catholica acies*, per viginti annos & amplius *triumphavit & vicit*: quia demum [c] *omnibus hoſtilium telorum machinis confractis non ſolùm ipſe de hoſte triumphavit, quin etiam poſteris certandi & vincendi ordinem, ſi quando victa pravitas reciduo auſu infandum caput erigere niteretur, oſtendit.*

a *Hieron, in Epiſt. ad Auguſt.*

b *Proſper contra collat. cap. 1.*

c *Fulgentius l. 2. de veritate prædeſt. & Grat.*

Summorum Pontificum de Auguſtino judicium comprobavit perpetua deinceps Eccleſiæ univerſæ conſenſio. *Doctrinam beatiſſimi patris* Auguſtini *omnium* [a] *abſque ullâ dubietate undequaque*

*doctiſſimi ſanctarum ſcripturarũ auctoritati in omnibus concordiſſimam,* inquit Prudentius[a] *Et Apoſtolicæ ſedis ſublimitas & totius Eccleſiæ Catholicæ unitas unitate concordiſſimâ approbarunt, ac roborarunt: adeo ut nullus ei ſingulariter, verùm univerſitati Eccleſiæ Catholicæ cum eâ & in eâ queat anniti:* & Remigius Lugdunenſis[b] *Beatiſſimus Pater Auguſtinus ab omni ſemper Eccleſiâ receptus eſt, & uſque in finem ſæculi recipiendus; cujus*[c] *præcipuè reverenda & in omni Eccleſiâ Catholica receptiſſima auctoritas.*

Eodem modo ſemper locuti ſunt Eccleſiæ Doctores & Epiſcopi; ac ne ſingula hoc loco proferam, conſulantur Paſtorales clariſſimorum duorum Eccleſiæ Gallicanæ luminum inſtitutiones, quarum prior[d] eadem quæ nos antè complexi ſumus: poſterior, quæ fuſior eſt, & omni ſcientiæ Eccleſiaſticæ[e] genere referta, multò plura complectitur. Neque metuendum

a *In Epiſtolâ, ad Hincmarum & Pardulũ.*

b *In L. de tribus Epiſtolis c. 24.*

c *Idem L. de tenendâ veritate Scrip. c. 2.*

d *Promulgata Pariſiis 20. Auguſti 1694.*

e *Promulgata Remis 15. Julii 1697.*

eſt, ne ab his cæteri fortaſſe Epiſcopi diſſentiant. Poſſunt aliqui tacere; neque enim omnium eſt Epiſcopalis fortitudo: poſſunt privatas opiniones ſectari: poſſunt quoque novis privatim favere, ſive perſuaſione propria, ſive potentiorum metu, ſive ſpe & erecto ad fortunam ampliorem animo. Qui auderet auctoritatem Auguſtini palam lædere, vel novas opiniones decreto conſtituere, ut nemo hactenus fuit: ita qui aliquando audeat, fidenter pronuntio poſthac fore neminem: quoniam id vetant inprimis ſummorum Pontificum decreta perpetuo firmata deinceps totius Eccleſiæ conſenſu. Qua in re novæ recentiorum Theologorum opiniones, quamquam utcumque tolerantur, infinitè diſtant ab Auguſtinianis, quas tametſi aliquâ ex parte nondum ullo particulatim Eccleſiæ decreto definitas ſic tamen firmavit ſubſequentium

Patrum conſpiratio, ut ſi quid in Concilio definiendum eſſet, nihil aliud quàm quod Auguſtino, ac cæteris deinde Patribus placuit, juxta regulam quæ in judiciis Eccleſiaſticis ſervari ſolet, conſtitui poſſe videatur. Longè alia eſt novarum opinionum ratio, quæ ab antiquis gratiæ defenſoribus rejectæ, proſcriptæque, velut dogmata conſtitui non poſſunt, ſemper damnari & proſcribi poſſunt.

V. Cur tanta Auguſtini auctoritas.

Cur minor ſit eorum auctoritas, qui ante Pelagium & Semipelagianos vixerunt, & cur potior Auguſtini, quàm cæterorum omnium, facilè cognoſcet quiſquis conſideraverit, antiquiores *in hac difficili ad ſolvendum quæſtione*, ut loquitur Auguſtinus, [a] nunquam datâ operâ *verſari*. Qui *de gratiâ Dei quid ſentiant, breviter quibuſdam ſcriptorum ſuorum locis & tranſeunter attingunt; immorantur verò in eis quæ adverſùs inimicos Eccleſiæ diſputant, &*

a *L. de præd. ſanct. n. 27.*

*in exhortationibus ad quaſque virtutes, quibus Deo vivo & vero pro adipiſcendâ vitâ æternâ & verâ fælicitate ſervitur.* Idcircò hæreticis præſertim [a] *nondum litigantibus ſecuriùs loquuntur*, nec accuratè ut plurimùm, ne in iis quidem quæ graviſſima ſunt, & graviſſima eſſe ſemper Eccleſia judicavit. Neque hoc valde mirandum exiſtimo. Nam conſtat plus unumquemque ſenſibus affici, quàm ſimplici rerum intelligentiâ; plus intimo nos noſtræ libertatis ſenſu moveri ſolere, quàm rerum ad gratiam pertinentium, earumque à ſenſibus remotiſſimarum fide: ut cum naturaliter de gratiâ loquimur, nec occurrit animo certa vel Scripturarum, vel Conciliorum auctoritas, locutiones plerumque adhibeamus nec ſatis caſtigatas, nec à Pelagianis, Semipelagianiſve ſatis remotas; tum maximè cum vel alios reprehendimus, vel ad virtutem

b *Idem L. I. in Julianum n. 22.*

hortamur, vel humanæ libertatis hoſtes refellimus, & populari ſermone utimur. Nam loquimur, ut affecti ſumus: tum ſola nos afficit, eademque intima libertatis noſtræ notio. Quædam igitur parum accurata nobis excidunt. Si hoc in nobis locum habet interdum, multò magis habere debuit in vetuſtioribus Eccleſiæ Patribus qui de gratiâ perpauca dixerunt, cum nulla adhuc extitiſſet de re difficillimâ quæſtio: nec dixerunt ferè, niſi cum vel Chriſtianorum vitia reprehenderent, vel ſuos ad virtutem hortarentur, vel pugnarent cum libertatis hoſtibus. Nullâ Hæreticorum contentione, nullis Eccleſiæ decretis admonebantur; ut minimè mirum ſit eos vel parum accurata dicere, vel plus aliquando naturæ, quàm gratiæ tribuere videri. Idem accidit Auguſtino, qui ante exortam hæreſim ſe in errore Semipelagiano fuiſſe, nec antè dogmatis Catho-

lici veritatem agnoviſſe teſtatur, quàm ſententiam Apoſtolicam; a *Quis te diſcernit, quid habes quod non accepiſti?* attentiùs conſideravit. a 1. Cor. 4. 7.

Sed quoniam ille per annos viginti & ampliùs conflixit cum inimicis gratiæ: divinas Scripturas diligentiſſimè perſcrutatus eſt: omnes Pelagianorum, Semipelagianorumve latebras patefecit: præſidia omnia expugnavit, impetus ſuſtinuit, fregitque: poſteriorum Hæreticorum inſidias occupavit: omnia denique gratiæ arcana ſic indagavit, & expoſuit; nihil ut poſteris adjiciendum, nullam denique novam quæſtionem reliquiſſe videatur: idcircò præſtantiſſimi Doctoris tantùm deinceps apud omnes valuit auctoritas, ut quoties vel exorta eſt aliqua de gratiâ quæſtio, vel Myſterium explicandum fuit, non alium ſibi ducem delegerint Catholici, quem ſequerentur.

Theologi quoque quotquot aliquâ ſcientiæ laude floruerunt, antequam contemptâ traditione Eccleſiaſticâ novæ opiniones in Scholam inveherentur, ſic in explicandis gratiæ difficultatibus, conſtituendiſque concluſionibus ſuis ſemper verſati ſunt, ut unum Auguſtinum ſpectarint in omnibus, ac de unius ſententiâ exquirendâ laboraverint: rati id certum & firmum fore quod conſtituerent, ſi unius Auguſtini teſtimonio confirmaretur; neque quod ipſe ſtatuiſſet, alienum eſſe poſſe à doctrinâ gratiæ chriſtianæ defenſorum omnium, qui in Auguſtinianâ firmiſſimè ſemper inhæſerũt. Hinc in celeberrimâ Congregatione de Auxiliis Clemens VIII. novam quæſtionem ad Auguſtini judicium deferri voluit, nec aliter ſingula controverſiæ capita, quàm erant antè ab eo definita, definiri, ut graviſſimi Scriptores, & acta nuper edita teſtantur.

Nihil hoc loco diximus, quod eorum ipſorum, qui ab Auguſtini doctrinâ palam & apertè defecerunt ad novas opiniones, teſtimoniis confirmari non poſſit. Notum eſt illud Petavii: [b] *Cum de gratia, vel electione ac prædeſtinatione diſputandum eſt, minor haberi ſolet antiquorum Patrum ratio, qui antè Pelagianam ortam hæreſim extiterunt, quàm eorum qui poſteà ſecuti. Latinorum verò multò major, quàm Græcorum etiam illa hæreſi poſteriorum; proptereà quòd magis aliquantò Latinam Eccleſiam, quàm Orientalem exercuit hæreſis Pelagiana, quæ de rebus altercandi occaſionem præbuit. Sic ut Græci plerique intima Pelagianorum dogmata vel ignorarint funditus, vel minùs accuratè perſpexerint. Omnium verò Latinorum, quorum in hac controverſiâ majorem dixi auctoritatem eſſe, Princeps eſt Theologorum conſenſu Auguſtinus; cujus de Gratiâ*

[b] *Tom. 1. L. 9. c. 6. n. 1.*

*ſententiam quotquot deinde conſecuti ſunt Patres, ac Doctores, tum verò Eccleſiæ Romanæ Præſules, Præſulumque conventus aliorum ratam & catholicam eſſe judicarunt: ut hoc ſatis magnum putarent veritatis argumentum, quod ab Auguſtino poſitum ac decretum eſſe conſtaret.* Hæc ille. Quantùm verò ad me attinet, hominis ſinceritatem laudo, ignoſcere temeritati non poſſum. Sinceritas fecit, ut Auguſtini de gratiâ ſententiam Patrum, Doctorum ſubſequentium omnium, ſummorum Pontificum, & Conciliorum auctoritate confirmatam eſſe fateretur; temeritas, ut refelleret, & contrariam ſequeretur. Suaris, Vaſqueſii & aliorum teſtimonia prætermitto.

Sed quorſum hæc Auguſtini commemoratio?

Ut omnes intelligant Auguſtini ſententiam, quam Latini deinde Patres, Theologi, Pontifices &

Concilia probaverint, firmam & ratam eſſe debere: eoſque à quibus tanquam fidei contraria rejicitur, ut mitiſſimè loquar, temerarios videri. Quod ſi igitur voluntatem generalem ab Auguſtino palam & apertè rejectam eſſe confecero; patebit, opinor, ſumma & Abbatis & Anonymi vel ignorantia, vel temeritas.

## CAPUT III.

### *Auguſtiniana de Voluntate Dei erga ſalutem humanam ſententia explicatur & conſtituitur.*

QUi voluntatem generalem tuentur, firmis traditionis perpetuæ, & auctoritatis Eccleſiaſticæ deſtituti præſidiis, aliqua Scripturarum teſtimonia proferunt, è quibus potiſſimum eſt illud à Pelagianis, & à Semipelagianis ſæpè, diuque vexatum a *Deus vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis ve-*

a *1. Tim. 2. 4.*

*nire*: Sic ab Auguſtino & ab aliis deinceps explicatum, ut voluntas generalis penitus excludatur. Sententiam Apoſtolicam Auguſtinus tribus modis ſemper interpretatus eſt.

Primò Deum omnes ſalvos eſſe concedit, quia quicumque ſalutem conſequuntur, Dei voluntate conſequuntur, nec aliter conſequi poſſunt. Ita in Enchiridio cap. 103. L. 4. in Julianum n. 42. In Epiſtolâ 217. n. 19. In L. de Prædeſtinatione Sanctorum n. 14. quibus in locis exempla Scripturarum duo ſubjicit; primum eſt illud Apoſtoli [a] *Per unius juſtitiam in omnes homines in juſtificationem vitæ*: alterum eſt illud ejuſdem: [b] *Omnes in Chriſto vivificabuntur*. Major pars hominum eſt, & ſemper fuit expers vitæ Chriſtianæ. Ergo cum generatim pronuntiat Apoſtolus, omnes in Chriſto vivere, ſic intelligendus eſt, ut omnes qui vi-

a *Rom.* 5. 18.

b 1. *Cor.* 15. 22.

vunt, in Chriſto & per Chriſtum vivant. Apoſtolum nihil ab uſitatâ loquendi ratione diſceſſiſſe concludit Auguſtinus exemplo Ludimagiſtri, qui omnes urbis pueros inſtituere dicitur, non quod inſtituat omnes ac ſingulos, ſed quod omnes qui publicè inſtituuntur, ab eo inſtituantur.

Secundò Deum omnes ſalvos eſſe velle ait, quoniam ex omni hominum genere, gradu, conditione, ſexu, ætate ſemper aliquos provehit ad gloriam: ut vox, *omnes*, ab Apoſtolo *pro generibus ſingulorum*, non *pro ſingulis generum* accipiatur. Ad confirmandam interpretationem in L. de Correptione & Gratiâ n. 44. profert exempla Scripturarum duo: illud Chriſti apud Lucam; [a] *decimatis omne olus*: & illud Apoſtoli: [b] *omnibus per omnia placeo.* *Omne olus* idem eſt, quod *omne genus oleris*. Sic Apoſtolus vocabulo *omnibus* deſignat *omne ge-*

a *Luc.* 11. 41.

b 1. *Cor.* 10. 33.

*nus* hominum, non ſingulos homines, de quibus generatim alio loco pronuntiat: [a] *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſervus non eſſem.* Quoniam Auguſtinus de ſecundâ hac interpretatione pleniùs atque uberiùs agit in Enchiridio cap. 103. placet locum integrum ſubjicere: *aut certè dictum eſt;* qui omnes homines vult ſalvos fieri, *non quod nullus hominum eſſet, quem ſalvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos quos dicit acturos fuiſſe pœnitentiam, ſi feciſſet; ſed ut* omnes homines, *omne genus humanum intelligamus per quaſcumque differentias diſtributum, Reges, privatos, nobiles, ignobiles, ſublimes, humiles, &c. in linguis omnibus, in moribus omnibus, in artibus omnibus, in profeſſionibus omnibus, in voluntatum & conſcientiarum varietate innumerabili conſtitutos, & ſi quid aliud differentiarum eſt in hominibus.*

a Gal. 1. 10.

*Quid*

*Quid enim eſt eorum, unde non Deus per unigenitum ſuum Dominum noſtrum per omnes gentes ſalvos fieri homines velit, & ideò faciat, quia omnipotens velle inaniter non poteſt quodcumque voluerit? præceperat enim Apoſtolus ut oraretur* pro omnibus hominibus, *& ſpecialiter addiderat,* pro Regibus & iis qui in ſublimitate ſunt, *qui putari poterant faſtu & ſuperbiâ ſæculari à Fidei Chriſtianæ humilitate abhorrere. Proinde dicens;* hoc enim eſt bonum coram Salvatore noſtro Deo, *id eſt, ut etiam pro talibus oretur: ſtatim ut deſperationem tolleret, addidit;* qui omnes homines vult ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.

Apoſtoli ſententiæ omnino ſatisfacit, & pleniſſimè reſpondet interpretatio. Pro omnibus & ſingulis orari jubet Apoſtolus; id enim acceptum gratumque Deo eſt, tum quia ipſe omnes vult ſalvos eſſe: tum quia homo Chri-

ſtus mediator Dei & hominum pretium pro omnibus dedit. Quæ argumentatio ut ſit efficax, nihil aliud exigitur, quàm ut in omni conditione & ſtatu ſemper occurrant aliqui, quos Deus ſalvos velit; nam cum illi ſint nobis prorſus incogniti, pro omnibus & ſingulis orandum eſſe conſequens eſt. Unde Eſtius in hunc locum, *Sciendum eſt* inquit, *nulla neceſſitate nos cogi ad hunc intellectum quòd illud*, pro omnibus (de ultima ſententiæ Apoſtolicæ parte agit) *ad omnes & ſingulos homines referatur. Poteſt enim convenienter & ſecundum morem ſcripturæ ſic accipi*, pro omnibus, *id eſt, pro hominibus omnium gentium, ſeu pro hominibus toto orbe diſperſis, juxta illud, quod redempti Chriſto canunt Apocal. 5.* Redemiſti nos Deo in ſanguine tuo, ex omni tribu, & linguâ & populo & natione. *Porro, quoniam nobis incognitum eſt, qui*

*ſint ex omnibus gentibus ad redemptionem & ſalutem prædeſtinati, propterea ſic pro omnibus abſolutè oramus (quemadmodum ſupra explicatum eſt) ut quod ad ſingulos attinet, neminem velimus ab oratione noſtrâ excluſum. Ex quo patet quam aptè etiam ſecundum hunc ſenſum, pars iſta etiam ſuperioribus cohæreat.*

3a Auguſtini interpretatio, quam è Lovanienſibus & Thomiſtis plurimi magis probant, omnes ac ſingulos comprehendit. Deus ergo dicitur omnes ſalvos eſſe velle, non quòd perſeipſe id velit, ſed quoniam id nos velle jubet, facitque, ut omnes pii velint. Nam ſæpe in ſcriptura facere dicitur, quod ejus inſtinctû facimus; ut cum Apoſtolus ſcribit, a *Spiritum pro nobis interpellare gemitibus inenarrabilibus*; quoniam in nobis orationem & gemitus parit, vel b *Clamare*, quia nos incitat ad

a Rom. 8. 15.

b Gal. 4. 6.

a *Gen.* 22. 12. clamandum. Sic Deus ipſe [a] *nunc cognovi*, inquit, *quod times Deũ:* id eſt, feci ut cognoſceres. Ita fere Auguſtinus in lib. 22. de Civitate Dei cap. 1. & 2. in l. de Corrept. & gratia c. 15. n. 47. Ergo Apoſtolus pro omnibus & ſingulis orari jubet, quoniam ſalutem omnium & ſingulorum pii omnes, Deo volente & efficiente, vehementer optant, deſiderantque.

Auguſtinus ſive Pelagianis, Semipelagianiſque Apoſtoli locum objicientibus, reſpondet; ſive de voluntate divinâ diſputans ſibi ipſe objicit, ſemper eodem modo interpretatur, nec voluntatem Dei ullam agnoſcit, quæ non ſit efficax; ſin aliquando unius alteriuſve interpretationis tantummodò mentionem faciens alias adhiberi patiatur, exceptionem mox ſubjicit. [b] *Dum tamen credere non cogamur aliquid omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque*

b *Enchir.* c 103.

*non eſſe, qui ſine ullis ambiguitatibus ſi* [a] in Cœlo & in Terrâ, *ſicut eum veritas cantat*, omnia quæcumque voluit fecit; *profectò facere noluit quodcumque non fecit.* Ita fermè in Epiſtolâ 217. n. 19. locum integrum, quoniam ad id confirmandum quod volumus, valet plurimùm, repræſento. Pelagianos voluntatem præcedere, gratiam ſemper ſequi affirmantes refellit exemplo puerorum, quibus *Deo nolente non datur. Unde manifeſtum eſt*, inquit, *eos qui huic reſiſtunt tam perſpicuæ veritati, non intelligere omnino quâ locutione ſit dictum, quòd* omnes homines vult ſalvos fieri: *cum tam multi ſalvi non fiant, non quia ipſi, ſed quia Deus non vult; quod ſine ullâ caligine manifeſtatur in parvulis.* Mox concludit. *Cum tam multos nolit ſalvos fieri, ideo dictum eſt, quia omnes qui ſalvi fiunt, niſi ipſo volente non fiunt; & ſi quo alio modo illa verba Apoſtolica*

[a] *Pſ.* 113. 11.

*intelligi poſſunt, ut tamen huic apertiſſimæ veritati, in qua videmus tam multos, volentibus hominibus, ſed Deo nolente ſalvos non fieri, contraria eſſe non poſſint.* In lib. de Corrept. & Gratiâ cap. 14. [a] explicatâ Apoſtoli ſententiâ mox ſubjungit, *non eſt itaque dubitandum voluntati Dei, qui* in Cœlo & in Terrâ omnia quæcumque voluit fecit... *Humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult, quando quidem de ipſis voluntatibus quod vult, cum vult facit.* Et antea. *Deo volenti ſalvum facere nullum hominis reſiſtit arbitrium.* Alia id generis plurima ac prope infinita prætermitto. Abbatem jam audiamus.

a n. 45

[a] *Non ignoratis*, inquit ad Benedictinos, *vos qui Catholici eſtis, Auguſtinum bifariam intellexiſſe verba Apoſtoli;* Deus vult omnes ſalvos fieri; *vel ſaltem eum admiſiſſe decreta de ſalute humanâ du-*

a P. 26. edition. Colon.

*plicis generis, quibus vult ſincerè eos ad ſalutem perducere: quamvis hæc decreta ſuum effectum æqualiter non ſortiantur.* Addit poſtea Janſenianos inter & Catholicos id intercedere diſcriminis; quod illis ſolos electos Deum ſalvos velle affirmantibus, iſti alios quàm electos Deum ſalvos eſſe velle confiteantur: duplicisque generis de hominum ſalute decreta apud Auguſtinum exhibeant, id eſt, *efficacia*, & *inefficacia*. Sic Abbas Auguſtini dogmata, ferè ut eventus humanos poëtæ, diſponit. Duplicis generis decreta apud Auguſtinum *efficacia*, & *inefficacia* comminiſcitur, & pluſquàm poëticè dividit, ordinat, ac componit. Hominem apud Garamantas & Indos de Auguſtini ſententiâ diſputare diceres. Decreta quidem *efficacia* apud Auguſtinum legimus; *inefficacia* non legimus; qui Pelagianos & Semipelagianos *inefficacia* jactantes

hoc potiſſimùm argumento con-
a Enchir. c. 103. figit: [a] *quia omnipotens velle inaniter non poteſt quodcumque voluerit.* Hinc *profectò noluit quodcumque non fecit.*

Quæ in eodem libro leguntur ad diſtinctionem ſuam accommodet Abbas ſi poſſit.
b ibid. c. 95. [b] *Tunc in clariſſimâ ſapientiæ luce videbitur, quod nunc piorum fides habet, antequam manifeſtâ cognitione videatur: quam certa, immutabilis, efficaciſſima ſit voluntas Dei, quàm multa poſſit, & non velit; nihil autem velit quod non poſſit: quàmque ſit verum quod in Pſalmo canitur:* Deus autem noſter in Cœlo ſurſum, in Cœlo & in Terra omnia quæcumque voluit fecit. *Quod utique non eſt verum, ſi aliqua voluit & non fecit; & quod eſt indignius ideò non fecit, quoniam ne fieret quod volebat Omnipotens, voluntas hominis impedivit... hoc niſi credamus, periclitatur ipſum noſtræ Confeſſionis initium, quâ nos*

*in Deum Patrem omnipotentem credere confitemur. Neque enim ob aliud veraciter vocatur omnipotens, niſi quoniam quicquid vult poteſt, nec voluntate cujuſpiam Creaturæ, voluntatis omnipotentis impeditur effectus.*

Affirmat Abbas multa Deum inaniter velle, multa facere eum voluiſſe, quæ non fecit: voluntatis Omnipotentis effectum ſæpè impediri voluntate humanâ. Hæc enim omnia confiteatur neceſſe eſt, decreta Dei *inefficacia* quiſquis agnoſcit: ſingula ab Auguſtino, ut Deo prorſus indigna, ut contraria primo fidei noſtræ articulo negantur.

Abbas ſententiam Apoſtolicam Auguſtinum bifariam intellexiſſe ait; hoc eſt, ita ut voluntas Dei ſæpe irrita ſit, contrâ Auguſtinus ſic Apoſtoli locum ſemper explicari jubet, [a] ut *credere non cogamur aliquid Omnipotentem Deum voluiſſe fieri, factumque non eſſe,*

a *Enchir. c. 103.*

*qui ſine ullis ambiguitatibus ſi* in Cœlo & in Terra, *ſicut eum veritas cantat*, omnia quæcumque voluit fecit, *profectò facere noluit, quodcumque non fecit.*

Abbas definit omnes & ſingulos Deum ſalvos eſſe velle: propterea verò ſalutem non conſequi quod nolint: id que Auguſtinum, ut eſt omnium ejus arcanorum arbiter, ſenſiſſe edicit. Itane Auguſtinus? [a] qui *multos Deo nolente ſalvos non fieri* ait, *non quia ipſi ſed quia Deus non vult, quod ſine ulla caligine manifeſtatur in parvulis*, id que prædicat [b] *ut veritatem apertiſſimam.* Et alibi [c] *nec utique Deus injuſtè noluit ſalvos fieri, cum poſſent ſalvi eſſe ſi vellet.* Ita enim legendum eſſe probat & tota capitis ſeries & Ms. 25. auctoritas. Cui ſententiæ, finitimæ ſunt illæ ejuſdem, in libro XI. de Geneſi ad literam [d] *at enim ſi Deus vellet, etiam iſti boni eſſent.* Et mox [e] *ſed poſſet*, in-

a *Epiſt.* 217. *n.* 19.
b *Ibidem.*
c *Enchirid Supra.*
d *n.* 12.
e *n.* 13.

quiunt, *etiam ipſorum voluntatem in bonum convertere, quoniam omnipotens eſt. Poſſet planè. Cur ergo non fecit? quia noluit. Cur noluerit, penes ipſum eſt.*

Si ex Abbate quæramus cur alia decreta ſint *efficacia*, alia verò *inefficacia*; reſpondebit proculdubiò cum ſuis, totum hoc diſcrimen pendere ex voluntate humanâ, quæ gratiam vel omnibus datam, vel ſolis naturæ viribus, cum placet, parabilem, prò ſolo nutu & arbitrio, aut efficacem reddit aut irritam & inutilem.

Auguſtinum audiamus novum hoc dogma clariſſimè damnantem. [a] *Non eſt dubitandum*, inquit, *voluntati Dei humanas voluntates non poſſe reſiſtere, quominus faciat ipſe quod vult: quando quidem etiam de ipſis voluntatibus quod vult, cum vult facit.* [b] *Cui ſalvum facere volenti nullum hominis reſiſtit arbitrium. Sic enim velle ſeu nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate,*

a *de correptione & gratiâ n. 45.*

b *Ibid. n. 43.*

Dv

*ut divinam voluntatem non impediat, aut ſuperet poteſtatem.* Sic Auguſtinus & Abbas, de Decretis *efficacibus* & *inefficacibus* inter ſe ſe conſentiunt.

Ad Adſtruendam voluntatem generalem octo Auguſtini loca producit Abbas; è quibus quinque ad mortem Chriſti pertinent à quæſtione noſtrâ prorſus alienam; quamquam in ſeligendis Auguſtini de Chriſti morte teſtimoniis tam negligens, vel tam infœlix fuit, ut etiamſi ad omnes & ſingulos pertinere concedantur, nihil tamen ſignificent quàm quod in controverſiâ Janſenianâ conceſſum eſt ab omnibus, & ab Arnaldo maximè, cujus hic unius cauſam ago. Eſto igitur: 2us. inter octo illa loca ex l. 6. in Julianum Cap. 4. 3us. ex lib. 2, operis imperf. n. 175. 4us. ex lib. 20. de civitate Cap. 6. Chriſtum mortuum eſſe ſignificent pro omnibus & ſingulis. An hoc Arnal-

dus non conceſſit in Apologiâ pro Patribus? Chriſtus dicatur tractatu 4. in Joannem Salvator eorum ipſorum quos damnavit: vel Judam pretio ſanguinis redemiſſe, qui fatente etiam Arnaldo juſtos omnes redemit: quid totum hoc ad propriam de Chriſti morte controverſiam, quam ſuprà explicui? quamquam tot argumentis Arnaldus probat loca iſta ne id quidem efficere vel ſignificare quod eliciunt adverſarii, ut Abbas reſponſiones Arnaldi priùs refutare debuerit, quàm eadem loca, ut ad decipiendum auditorem, lectoremve ſolet ineptus declamator, iterum producere. Sed miſſis quinque locis quæ aliena ſunt ut dixi, à controverſiâ noſtrâ, cætera videamus.

Qui 7o loco poſitus eſt ſumitur ex ſermone 8o [a] Auguſtini in pſalmum 118. *Sed qui tandem ſunt à quibus abſcondit mandata* [a] *n. 2.*

*ſua? nonne ubique Deus illa voluit prædicari?*

Ecce inter cætera locus ille unus eſt, ad cujus marginem Benedictini debuerunt adſcribere: Nota. *Deus vult omnes & ſingulos homines ſalvos eſſe, quia mandata ſua juſſit ubique prædicari: non omnes tamen ſalvi fiunt, nec ejus mandata ubique prædicantur: eſt igitur aliqua Dei voluntas inanis, irritaque & decretum inefficax.* Quia Benedictini non adſcripſerunt, idcirco ab omnibus Janſeniani habeantur, id eſt, pluſquam hæretici. Si quis contra tam apertam, juſtamque ſententiam dicere audeat, ſit & ille Janſeniſta & pluſquam hæreticus. Si Abbatis liber è communi cæterorum id generis naufragio poſſit tandem aliquando emergere; laudabitur apud ultimos nepotes, ut ſpero, eximia Germanorum noſtri temporis in ratiocinando ſubtilitas. Eritque monimentum

perenne in quo velut inciſa & inſculpta legi poſſit ab iis omnibus, qui poſſunt legere: & quo convincatur, quæ non ſatis credula ſolet eſſe, poſteritas. Sed ut ſeriò loquamur, non cogitabat bonus Abbas quid ſcriberet, cùm è ſelectis Auguſtini teſtimoniis hoc ſelegit. Tyronem puderet vel in ſcholarum tenebris proferre, quod Abbas *inter Abbates Germanos præſtantiſſimus* (ſic enim in epiſtolæ titulo poſitum eſt) in luce & conſpectu totius Europæ tam gravem præſertim accuſationem inſtruens exponere non erubuit. Quis enim vel inter primos Theologiæ Tyrones ignorat prædicationem mandatorum ac Evangelii, ad omnes & ſingulos pertinere? Legem naturalem à naturâ omnibus inſitam eſſe, quam peccato obſcuratam Deus ubique prædicari juſſit: eamque prædicationem appellari ſolere gratiam ex-

ternam; quæ omnibus generatim propoſita, ſive per miniſtros Dei, ſive per præclarum naturæ ordinem (ex quo facilè intelligitur Creator, ut ex cognitione Creatoris primum hominis in eumdem officium) non aliam tamen in Deo de ſalute omnium & ſingulorum voluntatem ſignificet, quàm quæ à Theologis voluntas ſigni dicitur? quàm turpe eſt ab Abbate præſtantiſſimo ignorari, quod notum eſt Tyronibus. Ita ſtatim reſponderet vel mediocris Theologus, qui ne locum quidem legiſſet apud Auguſtinum. Adeo facilis & obvia eſt reſponſio. Quid ſi legiſſet locum, ut eſt apud Auguſtinum? rideret profectò ſimplicitatem Abbatis Germanici. Auguſtinus explicans illud Pſalmiſtæ, [a] *Ne abſcondas à me mandata tua*, ſibi opponit quod ab Abbate objicitur. *Sed qui tandem ſunt à quibus abſcondit man-*

a Pſ. 118. 19.

*data ſua? nonne illa ubique Deus voluit prædicari?* mox ſubjicit: *utinam quàm multis clara ſunt, tam multis cara ſint. Nam quid eſt clarius, quàm, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ mente tuâ, & diliges proximum tuum tanquam teipſum? in quibus duobus mandatis tota lex pendet & Prophetæ. Et quis eſt quem lateant iſta mandata? nempe & omnibus Fidelibus, & plurimis Infidelibus nota ſunt.* Eſt nihilominus peculiaris quædam mandati cognoſcendi ratio, quæ cum minimè ſit communis omnium, orando poſtulari debet. *Rectè itaque dicitur Deo,*incola ego ſum in terra,ne abſcondas à me mādata tua. *Meritò namque abſconduntur eis, qui non ſunt incolæ in terrâ. Hæc enim mandata etſi audiunt, non ſapiunt, quia terrena ſapiunt. Quorum autem converſatio in cælis eſt, in quantùm hîc converſan-*

*tur, profectò peregrinantur. Petant itaque ne abſcondantur ab eis mandata Dei, per quæ ab hoc incolatu liberentur, diligendo Deum, cum quo in æternùm erunt; & diligendo proximum, ut illic ſit ubi & ipſi erunt.* Ecce integram Auguſtini ſententiam; ex qua voluntatem generalem eliciat bonus Abbas, ſi poſſit. Non poteſt aliter quàm hoc argumento. Eos omnes Deus verè & propriè vult ſalvos eſſe, quibus mandatorum cognitionem dedit, aut mandata prædicari juſſit: atqui Deus omnibus & ſingulis vel mandatorum cognitionem dedit, vel mandata prædicari juſſit; ergo Deus omnes & ſingulos verè & propriè vult ſalvos eſſe. Prima propoſitio vera eſſe non poteſt, niſi vel cum Pelagio dicamus ſolam cognitionem ſufficere ad ſalutem conſequendam (nam ut Anonymus definit, qui in eâdem Scholâ na-

tus eſt ac Abbas, id enim probat clariſſimè perfecta principiorum utriuſque conſenſio; *ſalutem velle, eſt media præbere quæ ad ſalutem conſequendā ſufficiant*) vel omnibus quibus datur mandatorum congnitio, dari ſimul media ad ſalutem conſequendam ſufficientia: primum eſt dogma Pelagii proſcriptum ab Eccleſia: alterum pugnat cum Auguſtini principiis ut deinceps conſtabit: ſic falſa & inanis eſt Abbatis concluſio.

Quod ultimo loco poſuit Abbas, ex libro 2. de peccatorum meritis n. 26. non eſt magis ad rem.

Auguſtinus adverſus Pelagianos juſtum omni peccato carere affirmantes diſputans *cum voluntatem humanam gratiâ adjuvante divinâ*, inquit, *ſine peccato in hâc vitâ poſſit homo eſſe, cur non ſit; poſſem facillimè ac veraciſſimè reſpondere, quia homines nolunt.*

Quid ex hoc loco conclude-re velit, divinare non poſſum. An forte voluntatem generalem? ſic ergo ratiocinatus eſt. Homo gratiâ adjutus poteſt ſine peccato eſſe, & tamen non eſt ſine pecca-to, quia non vult: ergo Deus omnes & ſingulos vult ſalvos eſſe. Connexionem anteceden-tis cum concluſione ſubtilis Ab-bas, ſi ita videbitur, explicabit: noſtram enim hoc loco nos con-fitemur ignorantiam. An forte gratiam communem, ex qua vo-luntas generalis quoquomodò elici poſſit? ſic ergo debuit ra-tiocinari. Homo gratiâ adjutus poteſt eſſe ſine peccato, non eſt tamen quia non vult: ergo gra-tiam ſemper habet. Eos omnes Deus vult ſalvos eſſe, quibus gra-tiam largitur: omnes ergo ſine exceptione vult ſalvos eſſe, qui gratiam dat omnibus & ſingulis. Ita, ut ego quidem exiſtimo, ratiocinatus eſt Abbas, neque

enim aliter potuit voluntatem generalem ex Auguſtini verbis extundere. Sed in argumentatione Germanicâ nihil eſt ſani. Nam primi argumenti conſequentia falſa eſt, quam Auguſtinus cùm in pluribus locis, tum in eo ipſo qui objicitur, nominatim excluſit. Verba ejuſdem, quæ proximè ſubjiciũtur vel non legit vel diſſimulavit Abbas. *Sine præjudicio diligentioris inquiſitionis* homines quod juſtum eſt nolle ait, *ſive quia latet an juſtum ſit, ſive quia non delectat. Tanto enim quidque vehementiùs volumus, quantò certiùs quam bonum ſit novimus, eoque delectamur ardentius.* Ita infirmitate & ignorantiâ voluntatem vel à bono faciendo vel à malo vitando deterreri. Mox addit id ſine gratiâ non fieri. Cauſam verò cur gratiâ careant homines in ipſis exiſtere, hoc eſt ſuperbiam, vel ut in aliis locis paſſim teſ-

tatur, culpam ſive propriam ſive originis. *Ut autem innoteſcat quod latebat, & ſuave fiat quod non delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ hominum adjuvat voluntates: qua ut non adjuventur, in ipſis itidem cauſa eſt, non in Deo; ſive damnandi prædeſtinati ſint propter iniquitatem ſuperbiæ, ſive contra ſuam ſuperbiam judicandi & erudiendi, ſi filii ſint miſericordiæ.* Ergo ex principio Auguſtini concludi nullomodò poteſt gratia communis, quæ ab eo & hîc & ſæpe aliàs rejicitur; tamque confidenter ut in duodecim Fidei Chriſtianæ capitibus primum hoc numerare non dubitet [a] *ſcimus gratiam non omnibus dari.*

[a] *Epiſt. 217.*

Secundi quoque argumenti prima propoſitio falſa eſt in principiis & Auguſtini,& eorum quoque Theologorum quorum teſtimonia poſtea proferam. Nam ex omnibusDei donis perſeverantia ſola homines ad ſalutem æter-

nam perducit. Solis omnibuſque electis dari perſeverantiam Auguſtinus docet. Ut ex mediis fini conducentibus certa in eo, qui utitur, voluntas ejuſdem finis neceſſariò concludi poſſit; neceſſe eſt media ipſa cum fine neceſſariò conjungi: ut probabiliter concludatur, neceſſe eſt ſæpe vel aliquando conjungi: vel talia eſſe, ſi nempe media alteri ad conſequendum finem exhibeantur, ut nihil omnino deſit eorum omnium quæ neceſſaria ſint ad obtinendum finem. Gratia quæ datur homini minimè electo, ( Prædeſtinationem omnino gratuitam eſſe ſtatuimus ) cum ætarna ſalute numquam conjungitur, quæ qualiſcumque ſit numquam adjunctam habet perſeverantiæ gratiam, eamdemque planè neceſſariam, ut obtineatur ſalus: ergo ad voluntatem Dei de ſalute eorum ipſorum quibus datur,

conſtituendam minimè valet. Ita eos argumentari neceſſe eſt qui negant alios Deum ſalvos eſſe velle, quàm qui ſalutem reipſa conſequuntur. Ex quo liquet non leviter errare a valentiam, cum Bonaventuram, Scotum, alioſque nonnullos qui voluntatem generalem negant, ſola voce diſſentire ait à cæteris. Nam etſi concederent gratiam eſſe communem omnium; quia tamen & prædeſtinationem gratuitam eſſe confitentur & perſeverantiæ donum, quod omnino neceſſarium eſt ad ſalutem, dari ut ſolis, ita electis omnibus: hinc inter eos &diſſentientes alios de tota re eſt, non de voce quæſtio. De ſolo nomine quæſtio eſſet, ſi rejectâ prædeſtinatione gratuitâ, & ſublatâ gratiâ efficaci non alia auxilia admitterent quàm quæ pleniſſimè ſufficiant, & quæ quicquid ad agendum neceſſarium eſt complectantur. Sed de his iterum aliàs.

a *In primam partem diſp. 1. q. 19. puncto 2.*

Ex

Ex his omnibus patet quàm frivola ſit Abbatis argumentatio. Venio jam ad locum, quem velut præcipuum, & tanquam cauſæ ſuſceptæ cardinem ipſe in cæterorum capite locavit.

Sumitur ex l. de Spiritû & literâ cap. 33. *vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel benè vel malè utentes juſtiſſimè judicentur. Quod cum ſit, infideles quidem contra Dei voluntatem faciunt, cum ejus Evangelio non credunt: nec ideo tamen eam vincunt, verum ſeipſos fraudant magno & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem ejus, cujus in donis miſericordiam contempſerunt.* Locum celebrem à Catholicis citari ait Abbas, ab iiſdemque contemni Janſenianos, qui verba hæc Pelagianorum eſſe non Auguſtini reſpondeant. Ex

quo conſequens eſt Catholicos non eſſe qui tã præclari loci nullâ ratione habitâ voluntatem generalem ab Auguſtino nuſpiam agnoſci pronunciant: ita Vaſqueſium alioſque quamplurimos hæreticorum loco haberi oportere.

Sed audiendus quoque eſt Petavius qui tom. 1°. l. x. cap. 4. n. 7. ſuperiori Auguſtini ſententiæ ſubjicit: *quibus verbis indicat non ſolùm intra ſe occultam habere voluntatem Deum, qua vult omnes fieri ſalvos; etſi reipſa ſalvi non fiant, liberi ipſorum arbitrii culpâ, ſed etiam extrinſecus aliquo eam ſigno effectoque prodere: quæ eſt invitans, allicienſque gratia. Nam ſi nihil reprobis proponeretur, quod vel amplecti libero arbitrio poſſent, vel rejicere: non poſſent in eo* bene vel malè uti libero ſuo arbitrio: *nec ob illud, quod oblatum erat, repudiatum ac rejectum* juſtiſſimè judicari.... *Hanc autem ejuſmodi*

*eſſe voluntatem; eique ſine omnipotentiæ detrimento homines reſiſtere demonſtrat ſubinde aptiſſimo exemplo, quod ad rem noſtram magnopere conducit.* Ita voluntas Dei ſemper invicta eſt, *ait*; vinceretur autem ſi non inveniret quid de comtemptoribus faceret: aut ullo modo poſſent evadere quod de talibus ille conſtituit. Qui enim dicit, verbi gratia: volo ut hi omnes ſervi mei operentur in vineâ, & poſt laborem requieſcentes epulentur: ita ut quiſquis eorum hoc noluerit, in piſtrino ſemper molat: videtur quidem quicumque contempſerit, contra voluntatem Domini ſui facere: ſed tunc eam vincet, ſi & piſtrinum contemnens effugerit. Quod nullomodò fieri poteſt ſub Dei poteſtate. *Si ergo ſimilis eſt voluntas illa Dei, qua vult omnes ſalvos facere, voluntati iſti, quâ paterfamilias ſervos ſuos epulari vult, & à*

*Auguſt. ibidem.*

*labore quieſcere : prorſus generalis eſt, & ad omnes pertinet. Nec tamen abſoluta eſt : uti nec illa, quâ paterfamilias nullo excepto, labori ſervos omnes vult incumbere: quieſcere verò, ac lætari, non niſi conditionatè.* Hæc ille. Videamus an ex Auguſtini verbis voluntas generalis neceſſariò concludi poſſit, ut Abbas & Petavius perſuadere conantur.

Obſervandum eſt inprimis Auguſtinum hoc in loco de Apoſtoli ſententiâ non agere, neque quo ſenſu ſalvos omnes Deus velle dicatur, ſcrutari. Verba Apoſtoli ſimpliciter producit nullâ interpretatione adhibitâ. Scriptoris verò ſententiam ex iis locis petere, in quibus de reipsâ nominatim non agit, quid aliud eſt quam otio & literis abuti? atque ut gratis concedatur Apoſtoli verba ſic uſurpari ab Auguſtino, ut propter orationis circumſtantias latiſſimè patere vi-

deantur, pertinereque ad omnes & ſingulos homines; an idcirco voluntatem generalem admiſiſſe dicendus eſt, quam poſtea pluribus in locis & diſtinctè & ſemper excluſit, hoc eſt, in iis omnibus locis, in quibus de ipsâ verborum interpretatione nominatim agebatur? qui tam abſurdè concludit, is nec tempora conſiderat, nec circumſtantias, nec uſitatum morem hominum. Scripſit Auguſtinus librum de Spiritû & literâ ſub initia quæſtionis Pelagianæ: hoc eſt, eodem ipſo anno 412. quo ſive in concionibus privatim adverſus Pelagianos diſputare cæpit, ſive palam ſcribere. De ſententiâ Apoſtolicâ nulla erat adhuc quæſtio. Sic denique loquimur, ſic ſcribimus, ſic diſputamus cum adverſariis ut ſæpe præjudicia communia ſequamur, cum nihil præſertim nos ad id quod ſentimus diſtinctiùs explicandum mo-

vet. Quid in his omnibus circumſtantiis recta ratio præſcribit? Ut propriam auctoris ſententiam magis ex poſterioribus ſcriptis petamus, quàm ex prioribus. Nam re eâdem diu verſatâ, doctior, exercitatiorque cenſeri debet, quàm cum ad novam quæſtionem novus acceſſit. Ut ſemper ex iis ſcriptis petamus, in quibus res ipſa agitur, numquam ex aliis in quibus omnino aliud tractatur. Ut denique ſi quid in his poſteriori meditatæque ſententiæ contrarium excidit, auctor præjudicia communia vel popularem loquendi modum ſecutus eſſe credatur. Regulam hanc ex primis rationis humanæ principiis depromptam, conſtanti perpetuoque ſapientium omnium judicio confirmatam ſequuntur docti omnes, & quiſquis non ſequitur, is vel impudens Sophiſta, vel ridiculus declamator haberi ſolet.

Quæ cum ita ſint, non video qua ratione, vel quo judicio locus ille & ex primis Auguſtini ſcriptis depromptus, in quibus de Apoſtoli ſententiâ nihil agebatur, nec ulla movebatur quæſtio, tot apertis manifeſtiſque teſtimoniis rem ipſam deditâ operâ explicantibus opponatur.

Sed quid tandem eſt in loco objecto, quod ex communibus Theologorum principiis explicari non poſſit?

Diſtingui in Deo ſolet voluntas duplex, altera beneplaciti, ſigni altera. Quæ diſtinctio ab omnibus Theologis uſurpata legi poteſt apud S. Thomam 1. p. q. 19. a. 11. & 12. Sola beneplaciti voluntas eſt in Deo. Voluntas ſigni externum quiddam eſt. *Sicut apud nos irati punire conſueverunt. Unde ipſa punitio eſt ſignum iræ. Et propter hoc ipſa punitio nomine iræ ſignificatur, cum Deo attribuitur. Similiter id*

*quod ſolet eſſe in nobis ſignum voluntatis, quandoque metaphoricè in Deo voluntas dicitur.* Cujuſmodi eſt lex quidpiam vetans, aut præcipiens, exhortatio, aliaque id generis. Quod enim alteri præcipimus, id revera fieri volumus. Quod Deus omnibus præcipit, id non propterea vult fieri ab omnibus. Velle tamen dicitur, quia tanquam regulam generalem omnibus promiſcuè proponit, quam omnes ſequi debeant, ut finem præcepti conſequantur; & quominus ſequantur omnes, non ipſe eſt in cauſâ, ſed propria cujuſque perverſitas. Quoniam ergo leges divinæ, prædicatio Evangelii, miracula, exhortationes, beneficia naturalia & externa Dei in omnes ac ſingulos ad ſalutem humanam referuntur, Deus omnium ſalutem velle dicitur, qui iſta proponit omnibus, & quominùs adhibeantur, pro-

hibet ipſe perſe ſe neminem.

De hac ſigni voluntate Magiſter in primo ſentent Diſt. 45. ejuſque vulgò interpretes, intelligunt illud Auguſtini: *quod cum ſit, infideles quidem contra voluntatem*, id eſt, contra præceptum *Dei faciunt, cum ejus Evangelio reſiſtunt*. Quid ergo ſuperiorem proximamque ſententiam: *vult autem Deus omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire; non ſic tamen ut eis adimat liberum arbitrium, quo vel bene vel malè utentes juſtiſſimè judicentur:* intelligi vetat de voluntate ſigni, contra quam infideles, qui Evangelio reſiſtunt, dicuntur agere? Nam voluntas, contra quam agunt infideles, eadem plane eſt ac illa quâ Deus omnes ſalvos eſſe velle dicitur; ut evidenter probat tota verborum ſeries ac connexio. Deus ergo vult omnes ſalvos fieri, alios quidem vo-

luntate beneplaciti, alios ſolâ voluntate ſigni: omnes externis communibuſque beneficiis: juſtos verò temporales juſtitiæ, ſolos electos perſeverantiæ dono: ſic autem ut liberum arbitrium adimat nemini; non electis, quorum voluntas gratiâ ſanatur adjuvaturque, nihil labefactatur libertas: non cæteris qui tòt exhortationibus incitati ſola voluntatis perverſitate reſiſtunt Evangelio, propriâque voluntatis culpâ, non Dei qui invitat nos ad aſſentiendum; ut ne aſſentiamur, non facit: admonet ut pareamus, & conſulit: reſiſtendi nullam neceſſitatem affert. Hæc interpretatio conſentanea eſt omnibus Auguſtini principiis: voluntati generali nihil favet. Interpretatio Petavii pugnat cum Auguſtini principiis. Quis ergo negaturus eſt noſtram antiponendam eſſe Petavianæ? ſed Petavianas rationes placet

particulatim excutere. Ad adſtruendam voluntatem generalem unicum ex Auguſtini loco Petavius argumentum depromit; cujus fundamentum non aliud eſt, quàm Auguſtiniana Deum inter & patremfamilias comparatio. Infirmum ſolet eſſe hoc argumenti genus, quod ex comparatione; ridiculum ſemper eſt, quod tantummodò ex rebus comparatis ſumitur. Petavii ratiocinatio ex rebus comparatis ſumitur, non ex comparandi modo.

Voluntatem Dei ſemper invictam eſſe tum etiam cum ejus mandata violantur hinc potiſſimum concludit Auguſtinus, quòd ab eo puniantur qui violaverunt. Exemplo utitur patrisfamilias jubentis aut ſervos operari, aut detrudi in piſtrinum; cujus voluntas vincitur, ſi ſervi contemptores non trudantur in piſtrinum. Comparat ergo volun-

tatem invictam Dei cum voluntate victâ hominis. Similiſne ſit voluntas Dei jubentis aliquid voluntati patrisfamilias præcipientis, hoc in loco minimè quærit, neque in ea re verſatur comparatio. Quamobrem parum ſana eſt concluſio petavii: *ſi ergo ſimilis eſt voluntas Dei &c.* quid enim hoc aliud eſt, quàm ex albo nigrum elicere? quiſquis locum objectum comparaturus eſt cum verbis Petavii, is ineptiſſimam hominis alioqui non indocti coucluſionem ridebit. Si quis quærat cur ſoleant homines velle id quod præcipiunt, Deus non ſemper velit fieri ab omnibus quod jubet proponitque omnibus, non difficile erit cauſam reddere. Dominus ſervo aliquid jubens propriam utilitatem ſpectat, quàm propriè vult, ideoque opus ſervi, quod in proprium commodum cedit: alia eſt Dei ratio, cui nec obedien-

tia noſtra quidquam utilitatis affert, nec defectio quidquam detrimenti. Idcirco cum proponit præceptum aliquod, ſimulque vitam & præmium ſervantibus, ut pœnam violantibus; præceptum quidem vult volontate; ut Theologi loquuntur, *complacentiæ*; quia bonum eſt, & Deus amat bonum omne. Vel ſi vetat aliquid, id vult voluntate, ut aiunt, *diſplicentiæ*; quia malum eſt, & Deo diſplicet malum omne: non vult autem eâ voluntate, quam *proſecutionis* aut *fugæ* Gregorius Ariminenſis nominavit; hoc eſt, non vult ſemper vel fieri, vel vitari ab iis omnibus, quibus lex ſive præcipiens, ſive vetans quidpiam proponitur; quia ſi ita vellet, fieret: cum dicat de ſeipſo, [a] *omnis voluntas mea fiet*. Atque hoc ipſum interdum fit, vel fieri poteſt in hominibus, cum aliquid in propriam ejus, cui præcipitur, uti-

[a] *Iſaiæ.* 46.10.

litatem præcipiunt, non in ſuam. Si jubeat Dominus vel aliquid ſervum agere, quod conducat ſervo, non ſibi, vel annonæ parte multari: fieri poteſt ut non magis unum propriè velit, quàm alterum.

Ex quo intelligitur comparationem Auguſtini & cætera ſcripturarum de voluntate Dei præcipientis, vetantiſque aliquid teſtimonia quæ vulgò proferuntur, nihil aliud exigere, vel non aliam voluntatem ſignificare, quàm quæ à Theologis *complacentiæ*, *diſplicentiæve* nominatur.

Nec Petavius aptiùs convenientiùſque ratiocinatur, cum ex ſuperiore Auguſtini ſententiâ: *vult autem Deus omnes ſalvos fieri non ſic tamen &c.* Gratiam communem concludit ab Auguſtino ſemper rejectam. Quid enim frequentiùs apud eumdem occurrit, quàm illud ?

a *qui* gratiam *hominibus dat quibus vult, quoniam miſericors eſt; quòd & ſi non det juſtus eſt : & non dat quibus nòn vult.* Vel b *qui & parvulis quibus vult, etiam non volentibus , neque currentibus ſubvenit ... & majoribus etiam his quos prævidit, ſi apud eos facta eſſent, ſuis miraculis credituros, quibus non vult ſubvenire, non ſubvenit.* Vel c *utrumque utrique noſtrum profundum eſt, cur & in majoribus & in minoribus Deus velit alteri & nolit alteri ſubvenire.* Ita paſſim & in omnibus ferme libris ſuis adverſus Pelagianos : idque ita certum fixumque exiſtimavit, ut inter duodecim capita Fidei Catholicæ de gratiâ tanquam fundamentum cæterorum omnium referre non dubitaverit illud : d *ſcimus gratiam non omnibus dari.*

a *L. de dono perſever. n. 28.*

b *Ibid. n. 25.*

c *L. 4. in Julian. n. 45.*

d *Epiſtol. 217.*

Quid ergo an propterea excuſantur, qui gratiâ deſtituti peccant, ut Petavius concludit?

Hoc ipſum à Pelagio concluditur apud Auguſtinum in Epiſtola 194. n. 22. *Sed excuſabunt ſe*, inquit, *homines qui nolunt rectè & fideliter vivere, dicentes, quid nos fecimus qui malè vivimus; quando quidem gratiam, unde bene viveremus, non accepimus?*

Ecce quod objicitur. Ad quod argumentum parata eſt & obvia Petavii reſponſio: excuſationi locum nullum ſupereſſe, quia gratia datur omnibus. Auguſtinus verò concedit gratiam pluribus negari; nec propterea tamen eos, qui peccant, excuſari poſſe. *Non poſſunt*, inquit, *veraciter dicere nihil mali ſe feciſſe, qui malè vivunt. Si enim nihil mali faciunt, bene vivunt. Si autem malè vivunt, de ſuo malè vivunt, vel quod originaliter traxerunt, vel quod inſuper addiderunt.* Et mox. *Quonam ſe iſti excuſabunt modo, nempe illo quem breviter tanquam ex eorum voce*

*ſibi objecit Apoſtolus, ut dicant :* [a] quid adhuc conqueritur ? nam voluntati ejus quis reſiſtit ? *Hoc eſt enim dicere : quid de nobis ſit querela, quòd Deum offendamus malè vivendo, cum illius voluntati nemo poſſit reſiſtere, qui nos obduravit miſericordiam non præſtando ? Si ergo illos non pudet hac excuſatione non nobis ſed Apoſtolo contradicere : cur nos pigeat eis, quod dixit Apoſtolus, hoc idem atque identidem dicere ?* [b] O homo tu quis es qui reſpondeas Deo ? Numquid dicit figmentum ei qui ſe finxit, quare ſic me feciſti ? an non habet poteſtatem figulus luti ex eâdem maſſâ *utique meritò rectèque damnatâ* facere aliud vas in honorem *indebitum propter miſericordiæ gratiam*; aliud in contumeliam *debitam propter iræ juſtitiam ?* Ut omnis tollatur peccatibus excuſatio ſufficere ait cognitionem veritatis. *Iſtos quippe Scriptura dicit inexcuſabiles,*

a *Rom.* 9. 19.

b *Ibid. v.* 21.

*quos non latet veritas, & in eis perſeverat iniquitas. Humana quippe ſuperbia tanquam præſumens de viribus liberi arbitrii excuſatam ſe putat, quando ignorantiæ non voluntatis videtur eſſe quod peccat. Secundum hanc excuſationem inexcuſabiles dicit Scriptura Divina queſcumque ſcientes peccare convincit. Dei tamen juſtum judicium nec illis parcit, qui non audierunt. Ac per hoc inexcuſabilis eſt omnis peccator vel reatu originis, vel additamento etiam propriæ voluntatis, ſive qui novit, ſive qui ignorat..... quia & ipſa ignorantia in eis qui intelligere noluerunt, ſine dubitatione peccatum eſt: in eis autem qui non potuerunt, pœna peccati. Ergo in utriſque non eſt juſta excuſatio, ſed juſta damnatio.* Sic rationes Petavianæ cum Auguſtinianis conveniunt. Ex Auguſtini verbis gratiam communem Petavius per conſequentias lon

giſſimè petitas extundere conatur, quam Auguſtinus adverſus Pelagianos diſputans & diſtinctè & ſemper excluſit. Eâ ſublatâ conſequens eſſe putat ille, ut mali non juſtè punirentur. Hic gratiam dari omnibus negans malos omnes nihilominùs juſtè puniri ſive ob culpam originis communem, ſive ab proprias ſingulorum; nec excuſationem ullam habere contendit.

Quod dixi Petavianam interpretationem pugnare cum Auguſtini principiis, id vel Petavii teſtimonio confirmare poſſum. [a] *Quapropter*, inquit ille, *ſi quis Auguſtini ſententiam illam amplecti voluerit, quæ prædeſtinationem ſine ullo ad merita reſpectu tanquam ad cauſam fieri cenſet: reprobationem autem ex ſolo originali delicto: conſequens videtur, ut neque reproborum ſalvandorum voluntatem ullam habuiſſe Deum aſſerat: neque pro eorum ſalute vel eſſe paſſum, vel*

[a] *Tom. 1. L. x. c. 5. n. 3.*

*oraſſe. Qui enim poterat, cum abſoluto decreto damnare illos ſtatuiſſet? Verùm quoniam & in vetere teſtamento, & in novo complures extiterunt, qui in ſuſceptâ verâ fide, ac pietate minimè perſeverarunt: & universè pro omnibus, quibus gratiæ aliquid & adjumenti ad ſalutem idonei datum eſt, Chriſti merita profuerunt, non ut ſalvi eſſent; ſed ut gratia illis ea tribueretur.* Ex Auguſtini principiis, ut Petavius docet, conſequens planè eſt, ut Deus *reproborum ſalvandorum voluntatem nullam habuerit.* Ergo interpretatio loci objecti Petaviana voluntatem generalem adſtruens pugnat cum Auguſtini principiis. Noſtra voluntatem generalem excludit; conſentanea eſt igitur Auguſtini principiis.

Ejuſdem & illud addere poſſumus.[a] *Auguſtinus expreſsè ac disertè negat Deum omnes omnino ſalvos eſſe velle, ſed eos ſolos aſſerit vel-*

a *Ibidem L. lix. c. 15. n. 2.*

*le, quos ex æterno prædeſtinavit.* Et poſtea. [a] *Quocirca ex mente illius aſſeverandum eſt reprobis in maſſâ damnabili derelictis Deum auxilia quædam gratiæ velle concedere ſine dandæ gloriæ voluntate.* Si negat Auguſtinus omnes omnino Deũ ſalvos velle; ſi ne eos quidem ſalvos velle concedit, quibus uti minimè prædeſtinatis gratia *ſine dandæ gloriæ voluntate* datur: pugnat ergo cum Auguſtini principiis generalis illa Dei de omnium ac ſingulorum ſalute voluntas.

a *Ibidem n. 3.*

Sin addimus præterea & illud: b *Ut de cujuſpiam è Patribus ſententia conſtet; præcipuè illud intuendum eſt, non quid uno, alterove in loco quaſi obiter injecerit, ſed quæ ſit per ejus ſcripta continens, ac perpetua doctrina*: an ad Petavium refellendum vel unius Petavii non ſufficit auctoritas? nam ad adſtruendam voluntatem generalem unicum ex Auguſtino locum depromit; ( neque enim

b *Ibidem cap. 6. n. 7.*

*ſæculi pompa, & deliciæ & curioſitas interibunt, & ſecum ad interitum trahunt amatores ſuos. A quo interitu, hoc eſt, pœnis ſempiternis, Deus miſericors volens homines liberare, ſi ſibi ipſi non ſint inimici, & non reſiſtant miſericordiæ creatoris ſui, miſit unigenitum filium ſuum, hoc eſt, verbum ſuum.* Quem locum propterea deſcripſi, ut appareat quàm infirma ſit & inops adverſariorum cauſa, quæ non aliis ex Auguſtino præſidiis muniri poſſit. Loca hinc inde ſparſa in quibus ne noſtra quidem attingitur quæſtio, corradunt & expiſcantur, apertiſſimis que rem ipſam diſtinctè ac deditâ operâ explicantibus contra communes rationis humanæ regulas objicere non erubeſcunt. Sed unde depromptum eſt id quod objicitur? ex libro ſub annum 400. edito, id eſt, annos duodecim antequam Auguſtinus adverſus Pelagianos diſ-

putare cæpit. Quo tempore cum res ad gratiam & prædeſtinationem attinentes nondum exploraſſet, neque ſcripturas eâ diligentiâ perlegiſſet, contuliſſetque, quam poſtea adhibuit, cum exorta eſt nova Pelagii quæſtio; quis miraretur ſi in alia fuiſſet opinione, ac poſtmodum re diligentiſſimè examinatâ fuit? quid ſi cum his omnibus conjungitur Auguſtinianæ orationis occaſio? Agitur de rudibus, agitur de Catechumeno ad fidem ſuſcipiendam invitando pelliciendoque: nec locus objectus aliud omnino eſt quam exhortationis formula. Quid autem abſurdius eſt quàm ex oratione ad rudes & Cathecumenos veram de quæſtione difficillimâ ſcriptoris ſen[tentiam] petere, hoc eſt, de e[a] quæſtione, quæ nec apud plebe[m] Chriſtianam planè & apert[e] tractatur: vix in libris polem[i]cis & Dogmaticis? ut eſſet [ri]dicul

diculus is qui plebem imperitam exhortans myſterium prædeſtinationis crudè exponeret; ita eſſet multò abſurdior, qui ex oratione populari, in qua libero arbitrio multum tribui ſolet, hortantis de prædeſtinatione ſententiam elicere conaretur, vel certas locutiones ut libero arbitrio plus faventes quàm gratiæ nimium urgeret. Quæ cum ita ſint, quis non rideat Petavium ſeriò concludentem? *Ex his verbis Auguſtini perſpicuè ſequitur Deum velle, quantùm in ſe eſt, ab æternis ſuppliciis omnes homines eximere, proptereaque Chriſtum è cælo veniſſe.... Etenim qui Deum affirmat velle homines liberare, ſi ipſi velint, & niſi voluntati illius reſiſtant; apertè ſignificat, velle omnes ſalvos eſſe Deum, quantùm eſt in ipſo: ac ſi qui fortè pereant, non quòd ille voluerit; ſed quòd iſti recuſarint, in eam calamitatem incidiſſe. Certè repre-*

*bos, qui ſibi ipſis inimici, & adverſus Deum contumaces, ac refractarii fuerunt, ideo ab ſalute putat excidiſſe, quod invitanti & ſervare volenti gratiæ reſtiterunt.* Sic ille cauſam inopem talibus præſidiis tueri coactus eſt, quod firmiora non ſuppeterent. Majoris fortaſſe fuiſſet prudentiæ de Auguſtino penitus ſilere, quàm infirma & levia producendo cauſæ imbecillitatem prodere.

Quamvis ea quæ antè à nobis obſervata ſunt, ad argumentationis Petavianæ vim frangendam plenè ſufficiant, locutio tamen objecta non ejuſmodi eſt ut voluntas generalis ex eâ concludi neceſſariò poſſit.

Tota ejus vis in hac unâ propoſitione exiſtit: *volens liberare homi*[nes], *niſi reſiſtant miſericordiæ crea*[*toris ſui*]. Propoſitio *exceptiva* eſ[t] ut à logicis nominatur; ideoqu[e] ut cæteræ ejuſdem generis, du[as] ſimplices includit; quarum p[...]

ma eſt : *volens liberare non reſiſtentes* : altera ; *nolens liberare reſiſtentes miſericordiæ divinæ.* Ut cum dico : *volo pecuniam dare omnibus amicis meis, niſi divites ſint*, idem plané eſt ac ſi dicam: *pecuniam dare volo pauperibus amicis meis : nolo dare divitibus*, ut docent Logici. Ergo cum propoſitio objecta duas illas contineat, quas expreſſi ; quæro ex quânam voluntas liberandi univerſos homines eliciatur : non certè ex primâ, nam omnes qui Deo vocanti ſemper obtemperant, nunquam reſiſtunt ; hi reverâ liberantur ; ergo ex alterâ. Sic itaque Petavius ratiocinari debet : qui non vult liberare à ſuppliciis homines miſericordiæ divinæ reſiſtentes, is quantùm eſt in ſe, vult eos eſſe ſalvos : atqui Deus non vult liberare à ſuppliciis reſiſtentes miſericordiæ divinæ : ergo eos, quantùm eſt in ſe, vult ſalvos eſſe. Quæ

abſurda eſt argumentatio. Nam propoſitio prima, in quâ nititur, conſtat ex terminis pugnantibus inter ſe ſe. Ut igitur in rigido verborum ſenſu penitus inhæreremus, voluntas generalis nunquam inde extunderetur. Quamquam his propoſitionibus & aliis ejuſdem generis, quæ ſæpe apud eos ipſos occurrunt, à quibus voluntas generalis excluditur, nihil ſignificatur aliud, quàm ſuâ quemque culpâ & vitio interire; eos qui ad fidem vocantur & ad juſtitiam, perire quòd reſiſtant Deo vocanti ſive per beneficia externa, ſive per interiora; vocatos & juſtos perire, quòd juſtitiam quam divinitus acceperant, propriâ voluntate amiſerint. Hos omnes demum cum Deus ſalvos velle populari & trito ſermone dicitur, ſemper propria loquentis ſententia ſpectari debet. Si voluntatem generalem admittit, iſta locutione voluntas bene-

placiti; ſin diſtinctè excluſit in aliis locis, voluntas ſigni deſignatur. Itaque non ex locutione tritâ & uſitatâ apud omnes, petenda eſt auctoris ſententia, ſed potiùs ex perſpectâ auctoris ſententiâ definiendum eſt, quid iſtæ locutiones vulgatæ apud auctorem ſignificent. Hanc regulam ſequuntur qui nihil in auctore quærunt, quàm propriam auctoris ſententiam. Soli declamatores & Sophiſtæ non ſequuntúr, quoniam in auctore non quid ipſe ſenſerit, ſed quid eum ſenſiſſe velint, expiſcantur.

Antequam Auguſtinum dimitto, noſtrum de ejus ſententiâ judicium virorum graviſſimorum auctoritate confirmabo.

Abbas Germanicus Benedictinos propterea maximè Janſeniani criminis reos fecit, quod ad loca à ſe indicata voluntatem generalem non adſcripſerint. Nec conſideravit par eſſe Lova-

nienſium crimen, apud quos nulla quoque extat annotatio de voluntate generali. Plus etiam ab iis factum eſt, quàm à Benedictinis. Nam cum iſti ad caput decimum quartum libri de Correptione & Gratiâ tantummodò loca finitima indicaverint, Lovanienſes adſcripſerunt illud, *conſule Scholia*. In his Scholiis Pelagius ſententiam Apoſtolicam ſic intellexiſſe dicitur, quaſi Deus omnes ſalvos eſſe velit, modò velint ipſi: Auguſtinus contrâ ut Pelagianam interpretationem refelleret, ſubjeciſſe Catholicas tres, quas nos antea potulimus. Aliam ſententiæ Apoſtolicæ interpretationem apud Auguſtinũ nullam agnoſcunt. Idcirco quartam de voluntate antecedenti ex Damaſceno, quintam demum de voluntate ſigni ſumunt ex primâ & ſecundâ reſponſione ad objectiones Vincentianas: ut ſi voluntatem generalem in operi-

bus Auguſtini non indicaſſe crimen ſit, Lovanienſes Benedictinis multò ſceleratiores eſſe videantur.

Quid verò ex Lovanienſium, Benedictinorumque judicio confici poſſit, nihil neceſſe eſt pluribus dicere: res perſeipſa patet. Cum enim neutri voluntatem generalem in Auguſtino annotaverint, primi etiam in Scholiis excluſerint, quis adeo plumbeus eſt, ut homini in lectione Auguſtinianâ ne leviſſimè quidem verſato potiùs aſſentiatur, quàm iis ipſis qui omnia Auguſtini opera, ſententias omnes diligentiſſimè contulerunt?

His addendi plerique interpretes, qui varias ſententiæ Apoſtolicæ interpretationes ſic proferunt, ut tres à nobis antè commemoratas ex Auguſtino, cæteras ex aliis Scriptoribus depromant, & ſe depromere teſtentur. Eos quoque omnes adjungere

poſſumus, qui voluntatem generalem penitus excluſerunt; quos ego poſtea recenſebo & plurimos & graviſſimos. Nam cum in auctoritate Auguſtini nitantur, ut doctrinæ Auguſtinianæ teſtes meritò citari poſſunt. Tot verò ſunt ſive ex antiquis Patribus, ſive ex Scholaſticis omnium ferme temporum, ut Abbas & numero & auctoritate facilè opprimi poſſit Sed antequam iſtorum teſtimonia produco, placet hominem audaciſſimum ſuorum teſtimonio confodere.

Franciſcus Macedo Franciſcanus (qui in Apologiâ Noriſii ſub finem P. 328. laudatur, ut *in lectione Auguſtini verſatiſſimus*) in libro de mente Divinitus inſpiratâ SS. Innocentio X. circa propoſitiones Janſenii P. 102. non modo voluntatem generalem ſemper ab Auguſtino rejectam eſſe contendit, verùm etiam dogmatis Auguſtiniani teſtes ci-

tat è Scholaſticis plurimos, Molinam inprimis, Leſſium, Vaſquesium & Maldonatum. *Quod autem Auguſtinus auctor ſit Deum illam voluntatem generalem ſalvandi omnes non habuiſſe, nec omnibus omnino hominibus præſto eſſe, in meâ ego antea Cortinâ cum multis probavi ad Theſim 14. & quoniam mihi minùs Fidei habebitur, auctoritate id graviſſimorum hominum confirmare volo, quibus nemo ingenuus, ac liberi judicii audeat refragari. Affirmat Gregorius Ariminenſis fidiſſimus Auguſtini interpres & aſſecla in 1um. D. 46. q. 1. Molina in concordiâ ſæpe; & Leſſius in Apologia, & Lib. de Prædeſtin. & Reprob. Guillelmus Eſtius in locum Pauli ad Timoth. Alvares L. 5. d. 33. Vaſques 1. p. d. 96. c. 6. ubi tradit in eâ item ſententiâ fuiſſe Proſperum & Fulgentium. Maldonatus in Joannem c. 1. n. 9. & c. 6. n. 45. & c. 12. n. 32. docens*

*Bedam cum Auguſtino ſentire. Quos ego duos auctores Societatis ſinceri video eſſe judicii, ac fideliter citare auctores, eorumque mentem ſine fuco proponere, ac quid omnino ſentiant candidè dicere: non ut alii ſolent, qui inani quadam ſpecie pietatis corrumpunt, & detorquent, ut meliora videantur ſenſiſſe, ſi tamen meliora ſunt ea quæ ipſi iis volunt attribuere.*

Ex his omnibus unum hoc loco Vaſqueſium morabor: qui in primam partem S. Thomæ Diſput. 83. cap. 1. rem apertiſſimè docet. Ac primò quidem voluntatem Dei duplicem diſtinguit; alteram beneplaciti, quæ ſola propriè eſt in Deo; ſigni alteram, cum Deus eodem modo exteriùs agit, ac ſi vellet idipſum cujus nullam voluntatem habet. 2°. Proponit ſententiam Alexandri Bonaventuræ, Scoti, Majoris, Marſilii, Driedonis & Cajetani, qui voluntate beneplaciti de ſa-

lute omnium ac ſingulorum excluſâ ſolam in Deo voluntatem ſigni confiteantur. 3°. addit Auguſtinum ei ſententiæ ſuffragari; *eò quòd teſtimonium Pauli 1. ad Tim. 2.* Deus vult omnes ſalvos fieri, *nuſquam explicat de voluntate beneplaciti, quæ revera in Deo ſit circa ſalutem omnium hominum; ſed tribus aliis modis, quibus planè eam voluntatem beneplaciti circa omnium ſalutem negat.* Poſtremò Auguſtini interpretationes tres Gregorio Ariminenſi in 1um. D. 46. q. 1. probari ait. *Immò addit* Greg. Arim. *ideo in Deo non eſſe voluntatem circa ſalutem omnium hominum, quia nonnullis etiam denegat auxilia ſufficientia ad hunc finem. Quod ſi ita eſt, non poteſt Deus circa illum finem ullam voluntatem habere non ſolùm beneplaciti, ſed neque ſigni; id quod non multùm abhorret à mente Auguſtini, qui planè concedit, aliquibus auxilia*

*ſufficentia non dari ; ut infra Diſput. 97. videbimus.* Ecce ſecundum è quatuor animalibus Vaſques, alias verborum Apoſtolicorum interpretationes ab Auguſtino proferri negat, quàm tres antè à nobis commemoratas, in quibus, ut concedit Abbas P. 25. de ſolis electis agitur. Quis itaque ſingularem Germani nihil ſacra reverentis audaciam non admirabitur? Nam ſi Catholici non ſunt qui voluntatem generalem ab Auguſtino aſſertam eſſe non affirmant; nonne conſequens eſt ex hominis indocti principiis Vaſqueſium pluſquam hæreticum eſſe qui negavit? Totum hoc ergo criminationis genus de voluntate generali minimè annotata deinceps omittat, ſi ſapit, ne hæreſim uſque ad Agni thronum extollere videatur.

Quamquam ad conſtituendam Auguſtini ſententiam, & certa

ejus de voluntate Dei ſemper efficaci principia, & perpetua verborum Apoſtolicorum interpretatio, quæ voluntatem generalem excludit, & virorum graviſſimorum judicia plenè ſufficiunt: duobus tamen, antequam ad alia tranſeo, ſcrupulis occurram, ne qua reſideat dubitatio.

Quid enim, inquiet fortaſſe aliquis, an in hypotheſi Auguſtinianâ Deus non omnes & ſingulos Angelos ſalvos eſſe voluit? Si voluit; nec eos magis qui ſtetere, quàm qui ceciderunt, ut Auguſtinus in libro de Correptione & Gratiâ docet clariſſimè: an voluntas illa generalis fuit efficax in omnibus?

Sin reſpondemus voluntatem Dei de ſalute Angeli & Hominis innocentis *conditionatam* fuiſſe: quid vetat ſimilem in Deo jam exiſtere?

Reſponderi ſolet Deum voluiſſe voluntate conditionatâ ſa-

lutem omnium & ſingulorum; hoc eſt, voluiſſe ſi in juſtitiâ quam acceperant, & retinere facillimè poterant, perſeverare vellent. Et hæc voluntas efficax fuit. Neque enim, ut hoc voluntatis genus dicatur efficax, opus eſt, id quod cum certâ conditione volumus, fieri ſive ponitur, ſive non ponitur conditio. Requiritur tantùm ut poſitâ conditione ſemper fiat id quod volumus, ſublatâ non fiat. Sin ſublatâ ut poſitâ conditione fiat, voluntas irrita planè eſt, non efficax. Si centum nummos alicui dare tantummodò decrevi; modò ut mercaturam exerceat anteà per duos treſve annos; & nihilominùs antè eoſdem do, quâm mercaturam exercuit: voluntas prior irrita planè fuit & inanis. Ergo quoniam Deus Angelorum omnium & ſingulorum ſalutem voluit eâ tantummodò lege ut perſeverarent in acceptâ juſtitiâ, voluntas iſta verè efficax

fuit; quia gloria conceſſa eſt omnibus iis qui perſeveraverunt, negata cæteris.

Id unum obſervabo, ut voluntas conditionata ſincera ſit, duas conditiones neceſſariò requiri: primam quidem, ut conditio ſit per ſeipſa poſſibilis: qui enim ſignificat ſe aliquid velle, modò ponatur certa conditio quam ſcit eſſe impoſſibilem, is ludificari, non velle dicitur: alteram verò, ut cum tota ex eo, qui exigit, conditio pendet; omnia quæ ad conditionem ponendam neceſſaria ſunt ab eodem exhibeantur: ſin ipſe non exhibeat, rem nolle, non velle dicendus eſt. Res exemplo clarior erit. Si Rex gladios omnes in propriâ poteſtate habens ſic ut ab alio quàm ab ipſo gladius nullus haberi poſſit, edicat omnes qui ad ſe cum gladiis venerint, Regios fore ſatellites; & gladios tamen non aliis det quàm homi-

nibus mille, quos delegit & deſignavit; iſtos quidem vult eſſe ſatellites ſuos voluntate conditionatâ: ſatellites non vult eſſe cæteros quibus enſes nequaquam dedit.

In quæſtione propoſitâ conditiones duæ conveniunt, perſeverantia per ſe eſt poſſibilis. Omnia quoque quæ erant ad perſeverandum neceſſaria, hoc eſt, gratiam pleniſſimè ſufficientem homini innocenti & Angelis, nec aliam Sanctis, aliam lapſis exhibuit; ſincera ergo erat illa Dei de ſalute omnium ac ſingulorum conditionata voluntas.

Ex his efficitur voluntati conditionatæ nullum jam locum ſupereſſe, cum conditio ad ſalutem conſequendam omnino neceſſaria, *conditio ſine qua non*; quæque talis eſt, ut quicumque habet, Regnum ſemper accipiat, quicũque caret è Regno ſemper excludatur, hoc eſt perſeveran-

tia; ſingulare ſit beneficium Dei, quod & omnibus & ſolis electis datur. [a] *Primo homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.* [b] *Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti, qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi.... Nunc verò Sanctis in Regnum Dei prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* [c] *Hi verò qui non pertinent ad hunc prædeſtinatorum numerum..... aut ja-*

a *l. de correptione & gratiâ n.* 34.

b *Ibid. n.* 32.

c *Ibid. n.* 42.

*cent ſub peccato quod originaliter traxerunt, & cum illo hæreditario debito hinc exeunt, quod non eſt regeneratione dimiſſum; aut per liberum arbitrium alia inſuper addiderunt: arbitrium, inquam, liberum, ſed non liberatum; liberum juſtitiæ, peccati autem ſervum, quo volvuntur per diverſas noxias cupiditates, alii magis, alii minùs; ſed omnes mali, & pro ipsâ diverſitate diverſis ſuppliciis judicandi. Aut gratiam Dei ſuſcipiunt, ſed temporales ſunt; nec perſeverant; deſerunt & deſeruntur. Dimiſſi enim ſunt libero arbitrio, non accepto perſeverantiæ dono, judicio Dei juſto & occulto.* Quoniam conditio ad ſalutem neceſſaria, ſive in infidelibus regeneratio, ſive in malis juſtitia, ſive in juſtis omnibus perſeverantia, tota ex ſingulari Dei beneficio pendet, nec aliis iſta datur, quàm electis: ergo Deus voluntatem de ſalute omnium ac ſingulorum conditiona-

tam habere nequaquam dicendus eſt, qui perſeverantiam, ſine qua nemo ſalutem conſequetur, ſolis prędeſtinatis dare conſtituit.

Sed de Auguſtini ſententiâ hactenus, quam ignoravit Abbas. Venio jam ad alios. Nam etſi tanta eſt Auguſtini auctoritas, in iis præſertim quæ ad prædeſtinationem & gratiam pertinent; ut vel ſola valeat ad fidem faciendam; conſenſus tamen reliquorum Patrum, & veterum Scholaſticorum ad patefaciendam & iſtius & Anonymi temeritatem magis valebit.

Auguſtinianas ſententiæ Apoſtolicæ interpretationes ſemper probaverunt è veteribus plurimi. Eorum duntaxat teſtimonia repræſentabo, qui vel non alias uſurpant, vel voluntatem generalem excludunt, vel ea principia ponunt, ex quibus conſequens ſit, ut excluſerint.

## Caput IV.

### *De Hilarii, & Proſperi Sententiâ.*

Hilarij ad Auguſtinum unicam habemus Epiſtolam, in qua Semipelagianorum querelas & reprehenſiones exponens quid ipſe Magiſtrum de voluntate generali ſenſiſſe crederet, non obſcurè aperuit n. 6. *Inde eſt quòd... illius ſententiæ expoſitionem, non eam quæ a te eſt deprompta ſuſcipiant, id eſt, ut nonniſi omnes homines ſalvos fieri velit, & non eos tantùm qui ad ſanctorum numerum pertinebunt; ſed omnes omnino, ut nullus habeatur exceptus.* Obſervandum eſt in primis in eo Maſſilienſes, ut Hilarius ſcribit, Auguſtinianæ ſententiæ adverſari, quòd velint omnes omnino Deum ſalvos eſſe velle, *& non eos tantùm, qui ad ſanctorum numerum pertinebunt*, quæ poſteriora verba ſignificant ita Auguſtini ſententiam eos acce-

piſſe, ut non alios Deus quàm *Qui ad ſanctorum numerum pertinebunt* ſalvos eſſe velit. *Hilarius paulò antè dixerat ſententiæ* Apoſtolicæ *expoſitionem quæ à te eſt deprompta*: ergo eamdem ipſe ſimiliter accepit.

Affirmat Abbas alios Deum ex Auguſtino ſalvos eſſe velle, quàm electos: negat Hilarius Auguſtini diſcipulus ad Magiſtrum ſcribens. Indocto ne Abbati potiùs aſſentiemur, quàm Hilario, cujus judicium Magiſter ad Maſſilienſium querelas reſpondens non modò non correxit, temperavitve, verum etiam diſtinctè & apertè, confirmavit in l. de prædeſt. ſanctorum n. 14°.

Proſper qui & ipſe, ut Hilarius, Auguſtini diſcipulus fuit, in Epiſtolâ ad Rufinum cap. 13. *Et ubi eſt illud*, inquit, *quòd nobis quaſi contrarium à non intelligentibus ſemper opponitur, quod* Deus omnes homines velit ſalvos fieri,

& ad agnitionem veritatis venire? *Nunquid non ſunt de omnibus hominibus , qui à præteritis generationibus uſque in hoc tempus ſine Dei cognitione perierunt? & ſi majoribus natu (quod non rectè dicitur) mala opera, quæ libero arbitrio commiſerant, obſuerunt; quaſi boni non mali gratiâ liberentur: inter ſalvatos parvulos & non ſalvatos parvulos quæ meritorum potuit eſſe diſcretio? quid iſtos introduxit in regnum Dei? quid iſtos excluſit à Dei regno? Equidem ſi meritum conſideres, non una pars ſalvari meruit, ſed utraque damnari... Quæ autem ſit diſcretionis iſtius in ſecreto Dei conſilio cauſa, vel ratio, & ſupra facultatem humanæ cognitionis inquiritur, & ſine fidei diminutione neſcitur; modò confiteamur neminem immeritò perdi, neminem meritò liberari; & Omnipotentiſſimam Domini bonitatem omnes ſalvare, & omnes ad agnitionem veritatis imbuere, quos*

*vult* ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *Niſi enim ipſo vocante, docente, ſalvante nemo venit, nemo eruditur, nemo ſalvatur: quia etſi indifferenter omnibus hominibus jubentur prædicare Doctores, & ſemen verbi ubique diſſerere: tamen* a neque qui plantat, neque qui rigat eſt aliquid; ſed qui incrimentum dat Deus. a 1. Cor. 3. 7.
*Eo ipſo tempore, quo ad omnes gentes prædicatio mittebatur, quædam loca Apoſtoli adire prohibentur ab eo* qui vult omnes ſalvos fieri.... *quid autem mirum ſi inter ipſa Evangelicæ prædicationis exordia non poterant ire Apoſtoli, niſi quò eos ſpiritus Dei ire voluiſſet; cum videamus pleraſque gentes modò primùm Chriſtianæ gratiæ fieri cæpiſſe participes, alias autem nullum adhuc odorem boni illius attigiſſe? an dicendum eſt*, quæ eſt uſitata adverſariorum reſponſio, *voluntati Dei humanas obſiſtere volũtates, & tam feros, tamque intractabiles*

*horum hominum mores, ut Evangelium ideo non audiant, quia prædicationi impia corda non pateant? & quis iſtis corda mutavit, niſi* [a] qui finxit ſigillatim corda eorum? *quis hujus rigoris duritiem ad obediendi mollivit affectum, niſi* [b] qui potens eſt de lapidibus Abrahæ filios excitare? &c.

a Pſ. 32. 15.

b Matth. 3. 9.

Quo in loco Proſper doctrinam & principia Auguſtini ſequitur. Voluntatem generalem quæ ex verbis Apoſtolicis concludi ſolet, puerorum ſine baptiſmo morientium, gentium integrarum quæ de Evangelio nihil audierunt, exemplo refellit. Exigit ut confiteamur eos omnes, quos Deus Omnipotentiſſimus vult ſalvos eſſe, ſalutem reverà conſequi, nec voluntates humanas ejus voluntati obſiſtere, qui eſt humani cordis auctor & arbiter.

Voluntatem quoque generalem excludit in reſponſione VIII. ad capitula Gallorum. *Si circa univerſitatem*

*verſitatem generis humani ſalvandam, inquit, & in agnitionem veritatis vocandam ita indifferens per omnia ſæcula aſſerenda eſt voluntas Dei, ut uſquequaque neminem hominum prætermiſiſſe monſtretur; impenetrabilis judiciorum Dei altitudo pulſatur. Quare enim*[a] in præteritis ſæculis dimiſerit omnes gentes ingredi vias ſuas, *quando* [b] Jacob elegit ſibi Dominus; [c] & non fecit taliter omni nationi nec judicia ſua manifeſtavit eis &c. *Impoſſibile eſt comprehendere .... Cauſas verò operum & judiciorum Dei qui ex toto ad humanas voluntates & actiones refert, quas tamen in parvulorum adoptione aut abdicatione non invenit, & diſpenſationes Dei ex liberi arbitrii vult mutabilitate variari, profitetur ſibi ſcrutabilia judicia Dei & veſtigabiles vias ejus.* Mox ſubjicit illud Apoſtoli; *qui vult omnes ſalvos fieri: & qui eſt ſalvator omnium, maximè fidelium:* illud Chriſti[d] *Euntes do-*

a *Act.* 14. 15.
b *Pſ.* 134. 4.
c *Pſ.* 147. 20.
d *Matth.* 28. 19.

*cete omnes gentes baptizantes eos:* illud Gen. 22. 18. *in ſemine tuo benedicentur omnes tribus terræ:* Illud Pſalmi 85. 9. *omnes gentes quaſcumque feciſti venient & adorabunt coram te Domine,* in prædeſtinatis impleri. *Quæ promiſſiones,* inquit, *quia veriſſimæ ſunt, nec poſſunt ex ullâ parte nutare, in his implentur qui ſalvi fiunt per univerſos fines terræ: quoniam quod promiſit potens eſt & facere. Hæc ergo eſt illa totius humani generis aſſumptio, hæc filiorum Dei adoptio, hæc gentium plenitudo, præſcita & prædeſtinata in Chriſto ante conſtitutionem mundi.*

In carmine de ingratis Cap. x. in eo Pelagianos à Catholicis diſcerni ait, quod gratiam Chriſti communem eſſe doceant.

*& Cap. xi.* Dic unde probes, quod gratia Chriſti
Nullum omnino hominem de cunctis qui generantur
Prætereat, cui non regnum, vitamque beatam impertire velit?

*Cap. xiij.* Sed tamen hæc aliquâ ſi vis ratione tueri,
Et credi tam ſtulta cupis: jam pande quid hoc ſit,
Quod bonus, omnipotenſque Deus non omnia ſubdit
Corda ſibi, pariterque omnes jubet eſſe fideles?
Nam ſi nemo unquam eſt, quem non velit eſſe redemptum,
Haud dubiè impletur quicquid vult ſumma poteſtas.

In his quoque locis Auguſtini principia legimus. Voluntatem generalem diſtinctè excludit Proſper, & gratiam communem, ex qua concludi ſolet: denique voluntatem Dei per ſe & ſemper efficaciſſimam conſtituit.

Quid ad hæc aperta & manifeſta reſpondet Abbas? Nihil. Ne illa quidem Lectoribus proponit, & excogitatâ decretorum *efficacium* & *inefficacium* diſtinctione, cujus nulla extat apud antiquos gratiæ defenſores mentio, putat ſe omnibus ſatisfeciſ-

ſe. Nihil neceſſe eſt diſtinctionem commentitiam novis argumentis refellere. Hoc unum obſervabo diſtinctionem ſapiētibus ineptam videri, cum nullum in auctoris verbis, ſententiiſve fundamentum habet: ridiculam, cum præterea ab auctoribus ejuſdem doctrinæ ac temporis funditus ignoratur, penituſque omittitur: inſanam, cum repugnat Scriptoris verbis, ac principiis. Atqui ficta diſtinctio nullum in Proſperi verbis, ſententiiſve fundamentum habet: incognita prorſus eſt antiquis gratiæ defenſoribus: repugnat denique Proſperi principiis. Quid enim illud eſt quod paulò ante protuli? *Si nemo unquam eſt, quem non velit eſſe redemptum, haud dubiè impletur quicquid vult ſumma poteſtas.* Vel illud ex Epiſtolâ ad Rufinum: *confiteamur Omnipotentiſſimam Domini bonitatem omnes ſalvare & omnes ad agnitionem*

*veritatis imbuere, quos vult ſalvos fieri; & ad agnitionem veritatis venire.* Quid rejecta ſæpe à Proſpero voluntas generalis (nam ſolos electos Deum ſalvos velle affirmat non ſemel, & ex ſupremâ Dei poteſtate ſive ex volũtate efficaciſſimâ concludit) quid gratia communis non ſolùm ab eo ſemper rejecta, verùm etiam pluribus argumentis refutata aliud demũ eſt, quàm clara & aperta diſtinctionis commentitiæ damnatio?

Duo Proſperi loca opponit Abbas: primum ex reſponſione ad capitulum nonum Gallorum: alterum ex reſponſione ad 2. objectionem Vincentianam. *An Veremini*, inquit, a *ne occultum aliquod venenum lateat in his Proſperi verbis:* Dedit pro mundo ſanguinem ſuum, & mundus redimi noluit: *vel in iſtis:* ſinceriſſimè credendum atque profitendum eſt Deum velle ut omnes homines ſalvi fiant.

a *Abbas P. 34. & 35. Edit. Colon.*

Quamvis prior nihil ad quæſtionem noſtram attineat, audacia Abbatis in eo proferendo tam ſingularis mihi videtur, tamque inuſitata & inſolens, ut rem diſſimulare non poſſim. Nam notum eſt Theologis omnibus, niſi forte peregrini ſint in controverſiis noſtri temporis, quantùm Proſperi loco torqueantur Abbatis aſſeclæ. Nonne ergo ſatius fuiſſet integrum omittere, ne ad ea legenda evolvendaque, quæ proximè antecedunt, excitaretur hominum curioſitas; quàm paucula verba quæ ſibi favere exiſtimavit Abbas, imprudenter objicere? ſed declamatorum prudentiam ſæpe deſideramus.

Objectio Gallorum ſic concipitur: *Quod non pro totius redemptione Salvator ſit crucifixus.*

Reſpondet Proſper naturam, quam Chriſtus ſuſcepit, ei communem eſſe cum univerſis homi-

nibus : peccatum quoque cujus causâ factus eſt homo, conveni-re ſingulis. Quemadmodum ve-rò Chriſti nativitas ſola per ſe ſe non ſufficit ad renovandos ho-mines, niſi Spiritû Sancto renaſ-cantur; ita ejus mortem ad eoſ-dem ridimendos non ſufficere, niſi per Baptiſmum cum eo mo-riantur: quia *non eſt ſalvatus cruce Chriſti, qui non eſt crucifixus in Chriſto*, nec eſt in eo *crucifixus, qui non eſt membrum Corporis Chri-ſti:* nec membrum Corporis Chri-ſti eſt qui per aquam & Spiritum Sanctum non induit Chriſtum. Mox ſubjungit *Cum itaque rec-tiſſimè dicatur Salvator pro totius mundi redemptione crucifixus prop-ter veram Naturæ humanæ ſuſcep-tionem, & propter communem in primo Homine perditionem; poteſt tamen dici pro his tantùm crucifi-xus; quibus mors ipſius profuit.* Tum prolatis duobus Scripturæ locis Joan. 5. v. 5. & 11. & Joan.

1. 11. *diverſa ergo ab iſtis* Filiis Dei *ſors eorum eſt*, inquit, *qui inter illos cenſentur, de quibus dicitur:* mundus eum non cognovit. *Ut poſſit ſecundum hoc dici Redemptor mundi: dedit pro mundo Sanguinem ſuum; & mundus redimi noluit; quia lucem tenebræ non receperunt.*

Ecce locum integrum; quem callidè diſſimulans Abbas pauca verba decerpſit: ne ſi, quemadmodum conjicio, Proſperianam de Chriſti ſanguine pro omnibus fuſo ſententiam lectorum oculis exponeret, ſe & ſuos hominum ludibrio exponere videretur: ſe quidem, qui adverſarios ob ſingulare in Molinam beneficium reos fecerit Janſeniani criminis; ſuos verò, quorum cauſam evertiſſet ea ipſa, quam omiſſam eſſe queritur, annotatio. Nam illi Chriſtum propterea pro omnibus & ſingulis mortuum eſſe definiunt, quod gratiâ ſufficien-

tem omnibus obtinuerit: eamque vel reipſâ ſingulis exhiberi putant, vel per ſolas liberi arbitri vires facillimè comparari poſſe, cum lubet. Proſper contrà Chriſtum non aliter pro omnibus mortuum dici ait, quam ob naturæ & cauſæ communis ſuſceptionem, vel ob magnitudinem & potentiam pretii, ut in alio loco reſpondens ad eamdem objectionem: [a] *Quod ergo ad magnitudinem, & potentiam pretii, & quod ad unam pertinet cauſam generis humani, Sanguis Chriſti eſt redemptio totiùs mundi.* Alium mortis Chriſti modum communem omnibus ac ſingulis non agnoſcit Proſper, quemadmodum nec Vaſques ipſe, nec recentiſſimus Cardinalis de Laurea, nec alii complures Theologi. Ob utriuſque loci prætermiſſam annotationem gratias editoribus agere debuerat Abbas & habere ampliſſimas, non inſultare, ſi qua

[a] *Ad 1. object. Vincentian.*

eſſet in ejuſmodi hominibus fides, & memoria beneficiorum.

At hominem fortaſſe movit poſterior ſententiæ objectæ pars: *Sed mundus redimi voluit*; ex qua conſequens eſſe putant, ut vel gratia ſit communis omnium, (quaſi ad reſpuendum liberè Evangelium non ſufficiat propria cujuſque perverſitas) vel ut qui gratiâ caret jure ac meritò reprehendi non poſſit. Sic enim vulgò ratiocinantur; non ita Proſper, qui utramque concluſionem diſtinctè rejicit: primam quidem in carmine de ingratis cap 13. quem locum ſupra decripſi, & alibi paſſim: alteram verò in eodem carmine cap. 32. Qua in re, ut in cæteris omnibus cum Auguſtino plane conſentit. Verba Proſperi ſubjicio.

> Non autem rectè, nec verè dicitur illos
> Qui ſunt exortes Divini muneris, & quos

Gratia neglexit degentes mortis in umbrâ,
Peccati non eſſe reos, quia recta gerendi
Non data ſit virtus.

Sed de primo proſperi loco qui ad propoſitam de voluntate generali quæſtionem nihil attinet, pro inſtituto noſtro ſatis.

Alterum ex reſponſione 2ª. ad object. Vincentianas depromit Abbas. *Sinceriſſimè credendum, atque profitendum eſt Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant.* Eumdem objicit Petavius,[a] ſimulque conjungit verba quæ aqud Proſperum proximè ſequuntur. *Si quidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſimè præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur. Ex quibus quod multi pereunt, pereuntium eſt meritum: quòd multi ſalvantur, ſalvantis eſt donum.* Hæc ille, qui, ut Abbas, ſuperiora Proſperi ver-

a *Tom. 1. L. x. c. 4.*

ba quamvis omnino connexa diſſimulavit; ne cauſam, quam defendebant, læderent. Ego verò quæ ab utroque prætermiſſa ſunt, meo jure ſupplebo.

Objectio Vincentiana ſic concipitur: *quia Deus nolit omnes ſalvare, etiamſi omnes ſalvari velint.*

Quid ad hæc Proſper? ſi in eâdem ſententiâ fuit, in quâ & Petavius, & Abbas eum fuiſſe affirmant, quicquid à Vincentio objectum hoc loco eſt, id ſimpliciter debuit rejicere, & velut calumniam deteſtari. Non ita tamen. *Quî fieri poteſt*, inquit, *ut Deus qui etiam illos ſalvat, de quibus dici nonpoteſt quòd ſalvari velint, nolit aliquos ſalvare, etiamſi ſalvari velint, niſi aliquæ cauſæ exiſtant, de quibus quamvis ſint nobis incognoſcibiles, ille tamen bene judicat, de quo dici non poteſt, aliter eum quidquam facere debuiſſe, quam fecerit?* Hæc verba, *niſi aliquæ cauſæ exiſtant*, Abbatem Peta-

viumque confodiunt. Uterque negat ullum eſſe quem Deus ſalvum nolit: cujus ſententiæ ſuæ teſtem citant ambo Proſperum, tam negligenter autem & infidè, ut in eodem loco quem objiciunt, confiteatur Proſper exiſtere aliquos, quos Deus, tametſi ſalvi eſſe velint, ſalvos eſſe nolit propter occultiſſimas rationes, ſibique uni cognitas. Mox Subjicit: *remotâ ergo hac diſcretione, quam divina ſcientia intra ſecretum juſtitiæ ſuæ continet, ſinceriſſimè credendum atque confitendum eſt Deum velle, ut omnes homines ſalvi fiant: ſi quidem Apoſtolus, cujus iſta ſententia eſt, ſollicitiſſime præcipit, quod in omnibus Eccleſiis piiſſimè cuſtoditur, ut Deo pro omnibus hominibus ſupplicetur.* Senſum loci planum & obvium non vidit ſubtilis Abbas. Quod minimè miror, cum nec locum integrum legiſſe videatur. Paulò antè dixerat Proſper eſſe aliquos, quos Deus prop-

ter occultiſſimas rationes ſalvos nolit. Quoniam verò nos id funditus ignoramus, quoniam Denique Deus ſolus cognovit, quid ipſe de ſingulis ſtatuerit: idcirco cum ſingulis ſic agendum eſt, ſic pro ſingulis orandum, quaſi ſingulos revera ſalvos eſſe velit. Idque quoties de ſingulis particulatim agitur, ſinceriſſimè credere & profiteri debemus: ne ſi hunc prædeſtinatum, illum reprobatum eſſe dicamus, judicium, quod unius Dei proprium eſt, nobis ſumere videamur. Hinc Apoſtolus pro omnibus ſine ulla exceptione orari jubet; quod ab Eccleſiâ & nunc obſervatur, & ſemper obſervatū eſt. Atque hoc Theologi omnes, qui ſingulos Deum ſalvos eſſe velle negant, cum Proſpero docent. Sin reprobati certiſſimè cognoſcerentur, nulla jam pro eorum ſalute fieret oratio. [a] *Si de aliquibus*, inquit Auguſtinus, *ita certa eſſet* Eccle-

a *L. 21. de Civitate cap. 24. n. 1.*

ſia, *ut qui ſint illi etiam noſſet, qui licet adhuc in vitâ ſint conſtituti, tamen prædeſtinati ſunt in æternum ignem ire cum diabolo, tam pro eis non oraret, quàm nec pro ipſo. Sed quia de nullo certa eſt, orat pro omnibus duntaxat hominibus inimicis ſuis in hoc corpore conſtitutis; nec tamen pro omnibus exauditur. Pro his enim ſolis exauditur, qui etſi adverſantur Eccleſiæ, ita tamen ſunt prædeſtinati, ut pro eis exaudiatur Eccleſia, & filii efficiantur Eccleſiæ.* Ex his omnibus conſtat voluntatem Dei generalem à Proſpero rejectam eſſe in eo etiam loco, quem ſibi maximè patrocinari Petavius & Abbas exiſtimaverant: nec voluntati generali favere particulam Proſperianæ ſententiæ, quam objecerunt.

Alium Proſperi locum obiicit Petavius [a] ex reſponſione ad 7. Object. Vincentianam. *Item*, inquit, *cum ex Auguſtini ſenten-*

[a] *Tom. 1. L. x. cap. 4. n. 8.*

» *tiâ id ſequi jactarent*; quod hæc
» ſit voluntas Dei, ut magna pars
» Chriſtianorum ſalva eſſe nec ve-
» lit, nec poſſit: *Proſper ſic eos re-*
» *fellit*: nullomodò credendum eſt
» homines in hujuſmodi deſpera-
» tionem ex Dei voluntate ceci-
» diſſe, cùm potiùs [a] allevet Do-
» minus omnes qui corruunt, &
» erigat omnes eliſos. Nemo enim
» niſi illius gratiâ erigitur, nemo
» niſi illius gratiâ ſtabilitur. Dei
» ergo voluntas eſt, ut in bonâ
» voluntate maneatur: qui & pri-
» uſquam deſeratur, neminem
» deſerit; & multos deſertores
» ſæpe convertit. *Et adverſario-*
*rum illa quæſtio, & Proſperi reſ-*
*ponſio manifeſtè ſignificant Deum*
*omnibus etiam reprobis ſalutem*
*velle communi voluntate, non ab-*
*ſolutâ. Si enim ſolos electos vellet*
*eſſe ſalvos, rectè illa objectio pro-*
*cederet. Cum enim voluntas illa,*
*quâ Chriſtiani volunt eſſe ſalvi,*
*nonniſi à Deo ſit; fruſtra illam*

a *Pſal.* 144.14.

*Deus inſpiraret iis, quorum ſalvandorum nullam omnino voluntatem haberet. Sed mera eſſet iſta ludificatio. Itaque neceſſe eſt velle Deum ſalvos eos facere, quibus dat ut velint eſſe ſalvi. Hoc autem Chriſtianis dat omnibus etiam reprobis. Deinde* voluntas eſt « Dei, ut in bonâ voluntate ma- « neant etiam illi, qui pietatem « Chriſtianæ converſationis & Fi- « dei deſerentes, in profanos er- « rores, aut in damnabiles mores « irrevocabiliter tranſierunt :. « *ut ibidem aſſerit Proſper. Ergo qui manere nolunt, contra Dei voluntatem nolunt. Proinde vult illos manere, & quod inde ſequitur, ſalvos fieri. Eadem & in reſponſionibus aliis Proſper tradidit; præſertim in* XII. *in quâ voluntate ſuâ, non Dei cadere reprobos, ac non perſeverare dicit.* Omnia hominis verba deſcripſi, ne ſi quid omitterem, argumentationis vim imminuiſſe viderer; quæ quàm con-

traria ſit Proſperi doctrinæ ac principiis; ex ſuperioribus jam liquet: quàm vero frivola paucis oſtendo.

*Petavius.* *Et adverſarium*, inquit, *illa quæſtio & Proſperi reſponſio manifeſtè ſignificant Deum etiam omnibus reprobis ſalutem velle communi voluntate.*

*Si manifeſtè ſignificant*: Proſper ergo *manifeſtè* ſecum ipſe pugnare dicendus eſt, qui tot in locis voluntatem generalem apertiſſimè confixit. *Si manifeſtè ſignificant*, vix argumentis opus eſt, ut voluntas illa generalis in loco Proſperi percipiatur: quam nihilominùs qui rejiciunt, eamdem ſæpe à Proſpero rejectam eſſe teſtantur, aliquando admiſſam eſſe negant.

*Petavius.* *Si enim ſolos electos vellet eſſe ſalvos, rectè objectio illa procederet.*

Si ita eſt, Petavi, ergo quoniam objectio Vincentiana erat: *Hæc eſt voluntas Dei, ut magna*

*pars Chriſtianorum ſalva eſſe nec velit, nec poſſit*: rectè ſic concluditur: Deus ſolos electos vult eſſe ſalvos: *Hæc eſt* igitur *voluntas Dei, ut magna pars Chriſtianorum ſalva eſſe nec velit, nec poſſit.* Salutem nolle vitium eſt in omnibus, graviſſimum in Chriſtiano crimen. Bonum agere non poſſe infirmitas eſt, quam ex peccato ſive originis, ſive proprio traximus, non ex voluntate Dei. Si itaque legitima eſt concluſio: ergo quod Deus ſolos electos velit eſſe ſalvos, conſequens eſt ut divina voluntas ſit cauſa peccati & infirmitatis humanæ: conſequens eſt ut Deus ſit cauſa peccati originis, in pueris maximè, ſive in utero, ſive extra matris uterum ſine Baptiſmo morientibus. Ita Vaſquesius pueros pleroſque ſine Baptiſmo morientes Deum ſalvos eſſe velle negans Deum fecit auctorem criminis. Qui negat

media ad ſalutem neceſſaria, is teſte Petavio non vult ſalutem. Prædicatio Evangelii eſt medium vel conditio neceſſaria ad ſalutem, quam Deus plurimis infidelibus negavit, iis præſertim de quibus Lucas in Actis [a] teſtatur; nam Apoſtolos, cum Evangelii causâ in Aſiam & Bithyniam contenderent, Deus prohibuit. Sic eos, qui interea mortui ſunt non accepto Evangelio, noluit ſalvos eſſe: conſequens igitur eſt, ut fuerit cauſa & auctor perpetratorum ab iiſdem criminum. Atque ut exemplum aliquod finitimum adhibeam, cum Rex plurimos læſæ Majeſtatis reos fore præſentiens paucos ex reorum numero ſervare conſtituit, ipſe eſt in causâ, cur cæteri peccaturi ſint, in Majeſtatem Regiam. Quæ omnia quàm abſurda ſint, patet. Nec tam frivola, tam inepta ab eo objici poſſe, arbitror, qui doc-

[a] *Cap. 16. v. 6. & 7.*

trinam Auguſtini & reliquorum Patrum vel delibavit.

Ut *objectio rectè procederet*, ſic Petavius concludere debuit. Aliò tamen convertit argumentationes ſuas, tam ridiculè verò; ut ne principium quidem ipſum, in quo illas niti video, in ſententiâ Proſperi contineatur. Integram argumentationem Petavii ſubjicio, ut lector judicare poſſit.

*Cum enim voluntas illa*, inquit, *quâ Chriſtiani volunt eſſe ſalvi, non niſi à Deo ſit, fruſtra illam Deus inſpiraret iis, quorum ſalvandorum nullam omnino voluntatem haberet, ſed mera eſſet ludificatio.* principium in quo nititur argumentatio, hoc eſt: *Deus facit ut Chriſtiani velint eſſe ſalvi.* Objectionem Vincentianam & reſponſionem Proſperi lego, nec ſimile quidpiam occurrit. Sed principium demus, quod alioqui certiſſimum eſt apud omnes; neque enim quiſquam negat Dei volun- *Petavius*

tate & gratia fieri, ut ex reprobatis complures ſalvi eſſe velint: ſaniorne propterea eſt concluſio? ſi ſana eſt, concedendum ergo eſt Deum ſemper id velle, quod facit ipſe ut velint homines. Oramus pro mortuis Chriſtianis, pro parentibus, pro amicis: eorum ſalutem optamus & volumus: quam voluntatem piam Deus efficit, *qui operatur in nobis velle & perficere*. Eorum pro quibus deprecamur, plurimi ſempiternis afficiuntur ſuppliciis; quamquam qui ſint illi, funditus ignoramus. Ergone iſtos Deus vult ſalvos eſſe? Filium Deo jubente voluit immolare Abraham, Eximiæ voluntatis ſive obedientiæ, cujus meritum redundavit in omnes Abrahæ poſteros, Deus proculdubiò cauſa & auctor fuit: ergone voluit Deus filium à patre immolari? *Deus non vult ab hominibus fieri omnia quæ præcepit; vel non fieri quæ prohibet,*

Inquit Magiſter l. 1. d. 45. ejuſque interpretes : *etſi illa dicuntur Dei voluntas, ideoque ſigna ſunt Divinæ voluntatis : non eſt tamen intelligendum Deum omne illud fieri velle, quod cuicumque præcepit, vel non fieri qnod prohibuit. Præcepit enim Abrahæ immolare filium ; nec ideo præcepit ut fieret ; ſed ut Abrahæ probaretur fides.* Fecit ergo ut Abrahamus vellet filium occidere : nec tamen voluit ut occideret. Sic ruit argumentatio Petavii : quam Proſper ipſe funditus evertit [a] *l.* in collat n. 35. & 36. *requiramus ubi fieri Deus noluerit, quod homines facere deo volente voluerunt.* Chriſto Apoſtolis præcipiente ut gentes univerſas docerent & baptiſarent *accenſa eſt in cordibus eorum inextinguibilis flamma caritatis, quâ ardentiſſimè vellent Evangelium Chriſti omnibus gentibus prædicare. Sed cum vetiti ſunt loqui verbum in Aſiâ & cum tentarent ire in Bithyniam,*

a *Tom. x.* Operum *Auguſt. in appendice.*

*prohibiti ſunt ab Spiritû Jeſu; numquid non ex Deo hanc voluntatem habebant, quòd etiam iſtorum optabant ad fidem corda convertere, quos occulto judicio Deus Evangelium tunc nolebat audire?* Alia id generis exempla plurima deinde profert.

Quæ verò addit Petavius tanquã ex Proſpero: *Voluntas Dei eſt ut in bonâ voluntate maneant etiam illi:* non extant apud Proſperum; inſigni temeritate ex proprio cerebro deprompſit. Qua in re dupliciter ab eo peccatum eſt, 1°. quidem quod iſta finxerit: 2°. quod pugnantia Proſpero non dubitaverit ſupponere. Quid enim ineptiùs: quid magis repugnans, quam illud, *voluntas eſt Dei, ut in bonâ voluntate maneant etiam illi qui in profanos errores, aut in damnabiles mores irrevocabiliter tranſierunt?* ſi tranſierunt, ergo jam mali. Deum autem velle, ut mali permaneant in bonâ voluntate, qua

carent;

carêt; quis dicat niſi abſurdiſſimè?

*Ergo*, inquit, *qui manere nolunt, contra Dei voluntatem nolunt. Proinde vult illos manere, & quod inde ſequitur, ſalvos fieri.* Hoc quidem ex ſuperiori ſententiâ concludit, quam apud Proſperum extare negavi. Ideoque contemni poſſet ejus concluſio. Quia tamen occurrit alia non multùm diſſimilis: *Dei ergo voluntas eſt ut in bona voluntate maneatur*; breviter reſpondebo. Sed quid opus eſt pluribus? Turpe eſt Theologum veteranum in voluntatis vocabulo ludificari; quod bifariam in ſcripturâ, à Patribus & Theologis uſurpatur, & pro voluntatis actione, & pro voluntatis ſigno. Nam *id quod ſolet eſſe in nobis ſignum voluntatis*, inquit S. Thomas 1. p. q. 19. a. 11. *quandoque metaphoricè in Deo voluntas dicitur ſecundum illud Matth. 6.* fiat voluntas tua in cœlo & in terra... *Voluntas propriè dicta vocatur ve-* Petavius.

*luntas beneplaciti: voluntas autem metaphoricè dicta eſt voluntas ſigni.* Contra hanc voluntatem, quæ non eſt propriè in Deo, multa fieri concedunt Theologi: contra voluntatem propriè dictam quidpiam fieri negant. Hac ergo voluntate ſigni vult Deus ut omnes benè agant, ut juſti perſeverent, ut omnes ſalvi ſint, quia præcipit, hortatur, admonet, pluribus beneficiis externis & interioribus adjuvat. Quoniam verò ex Proſperi verbis nihil amplius concludi neceſſariò poteſt, nec etiam debet, cum diſtinctè doceat ſolos electos Deum ſalvos eſſe velle, ideo præſertim, quòd ejus voluntas ſemper ſit efficax, neque irrita & inanis eſſe poſſit: concludamus Petavii concluſiones & vanas eſſe & inanes. Addo ejuſmodi ſententias, quæ à Petavio ridiculè objiciuntur, occurrere apud eos ipſos; qui è Scholaſticis clariùs

& diſtinctiùs voluntatem generalem excluſerunt.

Extremum denique eſt illud Petavii. *Eadem & in reſponſionibus aliis Proſper tradidit, præſertim in* XII. *in qua voluntate ſuâ, non Dei cadere reprobos, ac non perſeverare dicit.* Tot in paucis verbis ſophiſmata colligit, ac paſſim in toto illo Libro x. ut artem ratiocinandi dediciſſe videatur, cum Auguſtini causâ deſertâ proditâque quam in Libro ſuperiori defenderat, ad contrariæ defenſionem poſtmodùm acceſſit. *Petavius.*

Sic cogi debet argumentatio Petaviana : voluntate ſuâ, non Dei, cadit reprobus : ergo Deus vult ut reprobi perſeverent. Quod non minùs abſurdum eſt, quàm ſi ita concluderem : propriâ voluntate, non meâ Petavius primam de Arianâ Patrum Ante-Nicænorum hæreſi ſententiam ſuam utcumque emendare co-

natus eſt: ergo volui ut in primâ illâ ſententia perſeveraret. Vel propriâ voluntate, non hominum, Deus Sanctos ſuos ſanctitate & miraculis ornavit: ergo ut ornaret noluerunt homines. An Petavius Theologus illuſtris ignorabat, quod notum eſt Tyronibus, velle inter & nolle, ſive inter voluntatem rei faciendæ, & voluntatem rei non faciendæ mediam permiſſionem intercedere, quæ neque eſt voluntas rei faciendæ, neque voluntas rei non faciendæ? Permittit Deus ut demum reprobati cadant: non vult, ſive ut cadant, ſivè ut minimè cadant. Non quidem ut cadant, cum non poſſint aliter quàm peccando cadere, nec peccatum Deus ullomodo velit: neque ſimiliter vult ut minimè cadant, quos cadere permittit. Unde S. Thomas 1. P. q. 19. a, 9. ad 3um. *Deus igitur neque vult mala fieri, neque vult mala non fieri, ſed*

*vult permittere mala fieri.*

Duo iterum loca Proſperi objicit[a] L. 13. de Incarnatione cap. 5. quæ non tam exhibebo quod difficultatem ullam habeant, quàm ut magis appareat infirmitas cauſæ Petavianæ.

[a] Tom. 4. Parte 2.

Petavius.

*In Libro Reſponſionum ad capitula Gallorum*, inquit Petavius n. 3. *octavam horum objectionem propoſuit ejuſmodi* : quod non homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum. *Hæc germana eſt Auguſtini, ſi Armacano creditur*, (ita Janſenium appellare ſolet) *opinio ; nullam omnino voluntatem in Deo eſſe ſalvandorum aliorum, præter prædeſtinatos. Itaque concedi à Proſpero illud oportuit, qui hoc unum ſtuderet, ut veram & liquidam Auguſtini Doctrinam adſtrueret. Cur igitur non ei, quod objectum erat, aſſenſus eſt, niſi quod contrarium illi Auguſtini ſententiæ eſſe judicabat ?* Omnium, *ait in*

» *reſponſione Proſper*, cura eſt Deo:
» & nemo eſt quem non aut Evan-
» gelica prædicatio; aut legis teſ-
» tificatio, aut ipſa etiam natura
» conveniat. Sed infidelitatem
» hominum ipſis adſcribamus ho-
» minibus: fidem autem donum
» Dei eſſe fateamur, ſine cujus
» gratiâ nemo currit ad gratiam.
*Ex hac reſponſione neceſſe eſt voluntatem adſcribi Deo, quâ omnes homines, quantùm in ipſo eſt, ad fidem & ſalutem conetur adducere. Etenim* curam omnium eſſe Deo *primùm aſſerit: tum & cujuſmodi cura iſta ſit, & qui ſint illi* omnes, *explicat ſic. Curam oſtendunt ſequentia non aliam eſſe, quàm ut eos ad fidem, & hujus fructum, æternam vitam provehat. Eò quippe pertinet Evangelii prædicatio, ac legis teſtificatio, & naturæ contemplatio.* Mox addit. *Si nollet, niſi paucos, allicere, falſo hanc in illo curam omnium eſſe diceret, ex quâ ſalvificæ bonitatis effecta iſta manarent.*

Ex his Petavii verbis facilè cognoſcitur, quantùm valeat apud homines præjudicata opinio; quæ ut animum occupavit, lucem mutat in tenebras, & tenebras in lucem: res manifeſtas intueri non ſinit, ſi præjudiciis repugnant: obſcuras illuſtrat, ſi conveniunt: omnia denique confundit. Ad hæc perſæpe accedunt & diſſimulatio & mala fides.

Negat Petavius id quod à Gallis objiciebatur Proſperum concedere. Ut judicet Lector, Reſponſionem Proſperi ſubjicio. *Si circa univerſitatem generis humani ſalvandam & in agnitionem veritatis vocandam, ita indifferens per omnia ſæcula aſſerenda eſt voluntas Dei, ut uſquequaque neminem hominum prætermiſiſſe monſtretur; impenetrabilis judiciorum Dei altitudo pulſatur. Quare enim* a in præteritis ſæculis dimiſerit gentes ingredi vias ſuas; *Quando* b Jacob elegit ſibi Dominus, *Proſper.* « a *Act.* « 14. 15. « b *Pſal.* 134. 4.

a *Pſal.* 147.20 » [a] & non fecit taliter omni na-
» tioni & judicia ſua non manifeſ-
b *Oſee* 2. 24. » tavit eis : & *cur aliquando* [b] qui
1. *Petri* 2. 10. » non populus, nunc autem po-
» pulus Dei ſit; & quorum aliquan-
» do non miſertus eſt, nunc au-
» tem miſereatur; *& ubi dictum*
c *Oſee* 1. 10. » *eſt* [c] non plebs mea vos, ibi vo-
*Rom.* 9. 26. » centur filii Dei vivi : *& quare*
» [d] quod quærebat Iſraël non ſit
d *Rom.* 11. 7. » conſecutus, electio autem con-
» ſecuta eſt, cæteri verò excæcati
» ſunt : *impoſſibile eſt comprehende-
re, & periculoſæ curioſitatis eſt
quærere : cum tamen, quod nulla
ſit apud Deum iniquitas, nemini
liceat ignorare : nec aliâ gratiâ,
aut aliâ fide, quemquam hominum
ſive ante legem, ſive legis tempo-
re, juſtificatum eſſe credendum ſit,
quàm hac eâdem per quam Dominus
noſter Jeſus Chriſtus ſecundum con-
ſilium voluntatis ſuæ in fine ſæcu-
lorum venit quærere, & ſalvum
facere quod perierat.* Eos verò
qui cauſas judiciorum Dei ex

toto referunt ad voluntate; & actiones humanas profiteri ait judicia Dei ſcrutabilia & veſtigabiles vias ejus : denique illud Apoſtoli, *Deus vult omnes ſalvos fieri*, & *Salvator eſt omnium, maximè fidelium*, vel illud *Chriſti; euntes docete omnes gentes baptizantes eos* : vel illud Geneſis, *in ſemine ſuo. benedicentur omnes tribus terræ*, & alia id generis quæ vulgò objiciebantur adverſus Auguſtini ſententiam veriſſima eſſe, neque ulla ex parte nutare poſſe ; ſed in prædeſtinatis impleri : de quibus nonnulla Scripturarum teſtimonia producit, ac ſubjungit poſtea locum à Petavio objectum. Quæro jam quâ fronte dicatur Proſper id quod objectum erat non concedere. Objiciebant Galli ex Auguſtino omnes ac ſingulos Deum ſalvos nolle. Reſpondet Proſper admiſsâ voluntate illâ generali pertinente ad omnes & ſin-

gulos, quam cum Gallis Petavius admittit, *impenetrabilem Dei judiciorum altitudinem* pulſari. Pluribus deinde confirmat, cur Iſraëlitis aſſumptis cæteras gentes permiſerit ſibi, & cur vice verſâ Judæis rejectis cæterarum gentium nunc miſereatur: tum cætera addit quæ repræſẽtavi. Et hoc, ſi ſuperis placet, non eſt idipsũ quod objiciebatur cõcedere, nec voluntatem generalem, pro qua pugnabant adverſarii, reſpuere? Loca Scripturæ quibus utebantur ad conſtituendam voluntatem generalem, ſolis prædeſtinatis accommodat Proſper: alia quoque adjicit: & hoc non eſt adverſariis ex Auguſtini doctrinâ conſequens eſſe objicientibus ut Deus ſolos prædeſtinatos ſalvos eſſe velit, in re objectâ penitus aſſentiri? Quis in re tam perſpicuâ ludificationem turpiſſimam ferre poſſit?

At ſubjicit Proſper: *omnium*

*cura eſt Deo : & nemo eſt, quem non aut Evangelica prædicatio, aut legis teſtificatio, aut ipſa etiam natura conveniat.*

An id negant, qui ſingulos Deum ſalvos nolle affirmant?

Ut ex Proſperi loco quidpiam eliciatur, ſic cogenda eſt argumentatio : Deus non modò voluntate ſigni, verùm etiam voluntate beneplaciti vult eos omnes ſalvos eſſe, quos convenit vel Evangelica prædicatio vel Legis teſtificatio, vel naturæ contemplatio : atqui, ut affirmat Proſper, omnes convenit aut Evangelica prædicatio, vel Legis teſtificatio, vel naturæ contemplatio. Ergo omnes ac ſingulos Deus ſalvos eſſe vult non modò voluntate ſigni, verùm etiam voluntate beneplaciti.

Cum ex Petavio [b] velle ſalutem nihil aliud ſit quam omnia quæ ad ſalutem conſequendam neceſſaria ſunt præbere; ſic ergo

[b] *tom. 1. l. x. cap. 3.*

intelligenda eſt prima propoſitio: Deus ea quæ ad conſequendam ſalutem neceſſaria ſunt, iis omnibus præbet quos convenit vel Evangelica prædicatio, vel legis teſtificatio, vel naturæ contemplatio. Ita gratia communis eſt omnium eademque pleniſſimè ſufficiens, quod Proſper cum Auguſtino ſemper negavit, & in eadem ipſâ reſponſione quæ objicitur. Nam gentes, quas natura conveniebat, ſibi dimiſſas eſſe ait; cum Deus Iſraëlitas elegit: in gentes miſericordiam ſuam Deum poſtea oſtendiſſe, quàm judæos excæcavit & deſeruit. Quorum omnium cauſas ulla ratione comprehendi poſſe negat Proſper: eoſque qui totum hoc referunt ad voluntates humunas, ut Petavius facit, Dei judicia ſcrutari. Prima ergo propoſitio falſa eſt, pugnatque cum Proſperi principiis.

Petavius in ultimâ ſententiæ

Proſperianæ particulâ : *Sed infidelitatem hominum ipſis adſcribamus hominibus* : plurimùm inſiſtit. *Meritò itaque* , inquit , *Proſper non aliam , cur ab generali curâ & voluntate ſalvandorum omnium excidant reprobi , cauſam attulit , quàm voluntariam infidelitatem ; de adultis enim loquitur ; qui ſic autem loquitur , ut non Deo , ſed privatæ infidelitati , aut contumaciæ cujuſque adſcribendam eſſe jacturam ſalutis affirmet , haud dubiè ſignificat, Deum verè hoc, & bonâ fide fieri velle quantùm in ſe eſt, quod ne fieret non illo ſed homine nolente ac recuſante contigerit.* Bonâ fide & quantum in ſe eſt , velle aliquid juxta phraſim Petavianam, idem eſt ac voluntate conditionatâ & efficaci velle , uno verbo quicquid neceſſarium eſt ad ſalutem conſequendam præbere. Alioqui peccatum , ut infidelitas Deo neceſſaria neganti tribueretur , non homini. *Petavius,*

Sed aliter ſanè ratiocinatur & Auguſtinus in locis quæ antea produxi, & Proſper ipſe, qui in carmine de ingratis negat propterea nos immunes eſſe à peccato, *quod recta gerendi non data ſit virtus.* Ac meritò quidem. Nam ut peccatum adulto imputetur, ſufficit ut vel potuerit non agere quod revera malum eſt; vel ut proprio vitio ſibi ipſe ademerit poteſtatem boni agendi: quod in omni peccato locum habet. Nullum enim eſt quod non ſit aut actio prava; aut boni neceſſarii prætermiſſio. Qui gratia caret, quamvis ſine omni actione malâ diu eſſe non poſſit propter innatum cupiditatis pondus: nullam tamē particulatim admiſſurus eſt, quam non poſſet omnino non admittere. Idcirco bonum agere nequaquam poteſt, quia malè amat creatum quid: & illum amorem perverſum liberè admiſit voluntas; quæ idcirco in adultis

una eſt peccatorũ omnium cauſa, ſivè quod pravum eſt & perverſũ liberè admittendo: ſive quod bonum eſt propter amorem rei alicujus creatæ voluntarium & liberum omittendo. Ex quo intelligitur, quam verum ſit illud Proſperi in reſponſione ad obj. xv. ſententiâ octavâ, *qui ſalvantur ideo ſalvi ſunt, quia illos voluit Deus ſalvos fieri, & qui pereunt, ideo pereunt, quia perire meruerunt;* ſive propter peccatum originis ut pueri; ſive etiam ob peccata propria, ut cæteri. Non enim pereunt quòd eos Deus ſalvos minimè velit, ſed quod eos in peccato vel communi vel proprio perſeveraturos eſſe prævidit.

Reſtat unus Proſperi locus, idemque ad quæſtionem noſtram attinens:[a] *Item qui dicit quod non omnes homines velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum; duriùs loquitur, quàm loquendum eſt, de altitudine inſcru-*

[a] *In Reſponſ. ad object. xv. Gallorum ſententiâ 8.*

*tabilis gratiæ Dei : qui & omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire; & voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos præſcitos prædeſtinavit, prædeſtinatos vocavit, vocatos juſtificavit, juſtificatos glorificavit.*

a L. 13. de Incarnat. cap. 5. n. 5.

In quem locum Petavius [a] *quæro*, inquit, *cur eum loqui durius Proſper exiſtimet*, qui dicat non omnes Deum velle ſalvos fieri. *Etenim ſi vera eſt opinio Armacani, quam affingit Auguſtino; nullam ut reproborum ſalvandorum, ne generalem quidem & conditionalem voluntatem Deus habeat, non durè loquitur, qui hoc dicit; ſed verè; quia quod verum eſt profitetur: immò falsò & nefariè loqueretur, ſi aliter diceret: tam profectò, quam ſi aliquos reprobari à Deo negaret.*

Ut Petavio propria verba reddam, ego viciſſim quæro cur Proſper tantùmodò dicat eum durius loqui, qui neget *omnes Deum velle ſalvos fieri*. Etenim ſi Proſ-

per in eâdem, ac Petavius, opinione fuit, ut reproborum ſalvandorum generalem & conditionalem voluntatem Deus habeat, non durè loquitur, qui hoc negat, ſed falsò: quia quod falſum eſt profitetur; immo & nefariè loqueretur, ſi hoc negaret, tam profectò quam ſi aliquos prædeſtinari a Deo negaret.

Ecce argumentum tuum, Petavi, multò validius quàm à te propoſitum eſt. Nam à Proſpero voluntatem generalem rejectam dicimus, eos à quibus admittitur, velut hæreticos non inſectamur, aut velut temerarios; maximè ſi debitis ſe ſe finibus contineant, ut Thomiſtæ. Vides ergo te tuis ratiocinationibus implicari, multò magis quàm nos. Nam parata eſt noſtra reſponſio.

Dicimus eum duriùs loqui, qui negat omnes Deum ſalvos velle. Negat enim quod ab Apoſtolo directe affirmatur: ne-

Proſpero, ſive quivis alius, antiquiſſimus ſanè eſt: ſententiam Apoſtolicam generatim non intellexit de omnibus ac ſingulis; eadem quoque, ac Auguſtinus, principia adhibuit l. 6. c. 8. *Falſum eſt ergo, inquies, quod ait Apoſtolus de Deo*: qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis ſuæ venire? *Omnino non eſt falſum: quia omne quod vult Deus, facere poteſt, nec prorſus humanâ voluntate præpeditur quod vult. Sed quæro à vobis, ut dicatis, quare Deus* qui vult omnes homines ſalvos fieri, *quorumdam, ut dicit Iſaïas Propheta;*
« a excæcat oculos ne videant, &
« obdurat cor ne intelligant, ne (a *Iſaïa 6. 10.*)
« convertantur, & ſanentur? *Quod*
« *verum eſſe Evangeliſta Joannes con-*
« *firmat, dicens de Judæis*, b *propterea*
« non poterant credere, quia di- (b *Joan. 12. 39.*)
« xit Iſaïas, excæcavit oculos eo-
« rum, & induravit cor eorum
« ut non videant oculis, & in-

» telligant corde, & convertantur
» & ſanem eos. *Item in Evangelio*
a *Marc.* 4. 11. » *ſecundum Marcum*. . . [a] Vobis da-
» tum eſt noſſe regnum Dei, illis
» autem qui foris ſunt, in para-
» bolis omnia fiunt, ut videntes
» videant & non videant, & au-
» dientes non audiant; & non in-
» telligant; ne quando convertan-
» tur, & dimittantur eis peccata.
» *Dicite igitur quare Deus*; qui ac-
» ceptor perſonarum non eſt, & vult
» omnes homines ſalvos fieri, *alie-
rum corda reſerat ad credendum,
oculos illuminat ad videndum, &
ad ſciendum myſterium regni cœle-
rum, quo ſcilicet ſalvi fieri poſſint;
aliorum verò, ut lectionis textu
prædixi, involvens in parabolis
veritatem obtundit cor, excæcat
oculos, claudit aures, ne Evange-
lium ſalutis agnoſcant, ne remiſſio-
nem accipiant peccatorum? Dicite,
quæſo, qualiter hæc loca Evangeli-
ca accipitis? dicite, quid hîc de
Deo*, qui vult omnes homines

ſalvos fieri, *ſentitis? Ecce jam omnes generaliter ſalvi non ſunt, cum aliis datur noſſe viam ſalutis, aliis non datur. Hæc itaque cum facit Deus, non acceptione perſonarum facit, non injuſtitiâ, ſed juſtitiâ inenarrabili, & miſericordiâ indebitâ. Quoniam verò hinc liquidò utraque pars dicere nihil valemus, credamus tantùm reum mortis ex judicis voluntate pendere. Ne quiſquam autem putaret divino vitio fieri, non omnes homines ſalvari; dixit Apoſtolus,* qui vult omnes homines ſalvos fieri. *Quapropter omnes homines qui ſalvantur, Deo volente ſalvantur:* [a] Deus enim noſter Deus ſalvos faciendi, & Domini exitus mortis. *Et* quia [b] ira in furore ejus & vita in voluntate ejus. *Intelligite itaque in furore juſtitiam, in voluntate miſericordiam.*

a *Pſ.* 67. 21.

b *Pſ.* 29. 6.

Auguſtini primam interpretationem Auctor ſequitur, & prin-

tentiam reſtringit; quam ab Apoſtolo non aliam ob rationem uſurpari concedit, quàm ut intelligeretur proprio quemque perire vitio, non Dei. Quiſquis enim ſalutem conſequitur, ut ipſe ſtatim addit, Dei voluntate conſequitur: quiſquis perit, proprio vitio perit; ut intelligamus in interitu juſtitiam, in ſalute voluntatem Dei & miſericordiam.

a *L. 13. de Incarnat. cap. 6. n.* 8. Objicit Petavius [a] duo loca, in quibus auctor ſolâ gratiâ & voluntate Divinâ quoſdam ad gloriam deſignari ait, proprio cæteros perire vitio. Quod ineptiſſimum eſt; cum nulla ſit ea de re quæſtio. Sed his argumentis frivolis uti cogitur, quod cætera deficiant.

Tertium opponit ex libro 6°. cap. 7° *Nec dicimus, uti fingitis: & ſi credere velint, vel operibus bonis Dei vacare, Deum illis hæc nolle præſtare, cum hujuſcemodi velle*

*Dei*

*Dei donum ſit: ſi ergo ex Deo eſt quod volunt, vult Deus perfectum fieri quod donavit. Si autem ex Deo non eſt, ſed eſt de jactantiâ propriæ voluntatis, quâ ſe meritis Deum æſtimant promereri, manifeſtè quod volunt capere non poſſunt.*

*Egregius eſt hic locus*, inquit, *& ad id quod intendimus, perſuadendum aptiſſimus. Nam ſi reprobis, ut Catholica fides docet, bonam voluntatem, & in eä perſeverandi deſiderium aſpiret aliquando Deus, ex illius regulæ preſcripto vult idem Deus* perfectum fieri *deſideriũ* quod donavit. *Perficitur autem tunc cum ad optatum finẽ perducitur, quæ eſt ſalus æterna. Quare ſalutem adipiſci reprobos antecedẽte ac generali voluntate vult Deus: tamen non hoc abſoluta vult... In quam intuens illius auctor libri ſub finem Apoſtoli ſententiam, quâ omnes homines velle Deum ſalvos fieri dicit, eo modo interpretatur, quo Auguſtinus.* Et ecce hoc eſt

*Petavius.*

Petavianè argumentari. Locum illum *Egregium & ad perſuadendum aptiſſimum* proponere puderet vel mediocres Theologos; inſignis tamen & meâ ſententiâ Doctus Petavius commendare & exquiſitis commentariis illuſtrare non dubitavit.

Auctor velle credere & bonis operibus vacare, vel à Deo eſſe ait, vel ex voluntatis in propriis viribus confidentis ſuperbiâ: ſi ex Deo; Deum velle ſive efficere ut bona illa voluntas perficiatur: ſin ex propriâ ſuperbiâ, præſtari fierique à nobis non poſſe quod volumus, quia ut ipſe mox addit, *non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei*. Hic eſt ſententiæ objectæ ſenſus; ut locum integrum legenti conſtabit. Quid hoc ad quæſtionem noſtram attinet? aut quibus machinis voluntas generalis inde elicietur? Petavius verò, ne cauſæ ſuæ deeſſet, locum

ridiculè interpretatus eſt, quaſi *velle perſectum fieri quod donavit*, idem ſit, ac ſalutem æternam velle; cum hoc ad ſolam voluntatis inchoatæ perfectionem pertineat, ſive ad executionem operis, quod velle incæpimus.

## Caput VI.

### *De Auctore Librorum de Vocatione gentium.*

His ſuccedat Auctor Librorum de Vocatione gentium à Gelaſio in libro contra Pelagianos laudatus, ut Magiſter Eccleſiæ; quem cum Proſpero confundunt aliqui, malim ego cum Doctioribus diſtinguere propter maximam ſtyli diſſimilitudinem. L. 1. cap. 9. obſervat Scripturam, ſive de bonis tantummodò, ſive de malis; ſive de ſolis electis, ſive de ſolis reprobis agit, generatim loqui ſolere, tanquam de omnibus promiſcuè

& bonis & malis & electis ſimul & reprobis. Ad quod confirmandum prolatis Scripturarum exemplis compluribus, quale eſt illud Jeremiæ 31. *Teſtamentum diſponam domui Iſraël.... dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum ſcribam eas.... omnes cognoſcent me à puſillo eorum uſque ad magnum*: vel illud Eſaiæ 45. *mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo*: concludit denique: *ſi ergo impoſſibile eſt iſta non fieri, quia nec incerta præſcientia Dei eſt, nec mutabile conſilium, nec inefficax voluntas, nec falſa promiſſio, omnes iſti de quibus hæc ſupra dicta ſunt, ſine cujuſquam exceptione ſalvantur.*

Sub finem quoque capitis alia plurima proferuntur, ut illud Joelis 2. 28. *Effundam de Spiritû meo ſuper omnem carnem.* Et illud Pſalmi 144. 14. *allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos.* Tum ſubjicit Auctor:

*Nunquid non pronunciatum eſt, quaſi ab hoc Dei munere nemo diſcretus ſit? Habet ergo populus Dei plenitudinem ſuam: & quamvis magna pars hominum ſalvantis gratiam aut repellat, aut negligat, in electis tamen & præſcitis, atque ab omnium generalitate diſcretis ſpecialis quædam cenſetur univerſitas; ut de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur aſſumpti. Sicut etiam cum de impiis ſermo eſt, ita locutionem ſuam divinus ſtylus ordinat, ut ea quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur.* Quæ auctoris verba locum Proſperi finitimum, quem pæne prætertieram,in memoriam revocant. Cum enim dicat Apoſtolus omnes Deum ſalvos velle, cavenda eſt inprimis durior hæc locutio: *Deus non vult omnes ſalvos eſſe*, ne verbis cum Apoſtolo pugnare videamur, Quamobrem adjun-

genda eſt vox, *ſingulos*, aut alia ſimilis, quam non habet, nec exigit Apoſtoli ſententia. Vel potiùs dicendum eſt omnes homines eſſe electos, in quibus impletur voluntas Dei, & qui aſſumuntur ex univerſis hominibus; ut cum Auctore lib. de Vocatione gentium tradit Proſper.

*a Ad Obj. xv. Gallorum n. 8.*

a *Item qui dicit quod non omnes velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei* qui & omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire; *& voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos præſcitos prædeſtinavit.... nihil amittens de plenitudine gentium, & de omni ſemine Iſraël, cui præparatum eſt in Chriſto Regnum æternum ante conſtitutionem mundi. Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur.* Nam ut ait auc-

tor libri primi de Vocatione gentium, cujus verba antè deſcripſi. *In electis ſpecialis quædam cenſetur univerſitas*, &c.

Idem cap. x. de electis & reprobis ejuſdem populi Scripturam tanquam de iiſdem loqui ait: cap. xi. ſimiliter & de diverſorum temporum hominibus ac ſi eſſent ejuſdem temporis. *Sed cùm legerint hæc*, inquit cap. xii. id eſt exceptiones admittendas in generalibus Scripturæ ſententiis, *vel audierint qui amant calumnioſa certamina, dicent nos per ejuſmodi diſputationes Apoſtolo contradicere definienti, quod* Deus omnes velit ſalvos fieri, & in agnitionẽ veritatis venire. *Quam particulam verborum Apoſtoli ita nos integrè plenèque ſuſcipimus, ut nihil ei de præcedentibus, ſive ſubjectis, quæ ad ipſam pertinent, ſubtrahamus.* Loco deinde prolato, in quo Apoſtolus pro omnibus orari jubet, pro Principibus

gat propoſitionem quæ totidem verbis in ſcripturâ continetur, & quam ſtatim ſubjicit Proſper. Scriptura ait; *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* : ipſe verò; *Deus non vult omnes ſalvos fi r* : rectè quidem ſentit, duriùs loquitur. Ecce noſtra reſponſio conſentanea omnibus Proſperi ſententiis ac principiis, qui in eodem libro ad objectionem octavam aſſertâ voluntate generali impenetrabilem judiciorum Dei altitudinem pulſari ſcribit. Petavius non modò pugnat cum Proſpero, verùm etiam nullam idoneam ad argumentum ſuum vel potius noſtrum reſponſionem habet.

## Caput V.

### *De auctore Hypognoſticon.*

AUctor Hypognoſticon, qui ſive fuit Sixtus Presbyter Romanus, poſtea ſummus Pontifex, ſive Mercator æqualis

Proſpero, ſive quivis alius, antiquiſſimus ſanè eſt: ſententiam Apoſtolicam generatim non intellexit de omnibus ac ſingulis; eadem quoque, ac Auguſtinus, principia adhibuit l. 6. c. 8. *Falſum eſt ergo, inquies, quod ait Apoſtolus de Deo*: qui vult omnes homines ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis ſuæ venire? *Omnino non eſt falſum: quia omne quod vult Deus, facere poteſt, nec prorſus humanâ voluntate præpeditur quod vult. Sed quæro à vobis, ut dicatis, quare Deus* qui vult omnes homines ſalvos fieri, *quorumdam, ut dicit Iſaïas Propheta;* a excæcat oculos ne videant, & « obdurat cor ne intelligant, ne « convertantur, & ſanentur? *Quod* « *verum eſſe Evangeliſta Joannes con-* « *firmat, dicens de Judæis*, b *propterea* « non poterant credere, quia di- « xit Iſaïas, excæcavit oculos eo- « rum, & induravit cor eorum « ut non videant oculis, & in- «

a *Iſaïa 6. 10.*

b *Joan. 12. 39.*

» telligant corde, & convertantur
» & ſanem eos. *Item in Evangelio*
a Marc. 4. 11. » *ſecundum Marcum*. . . [a] Vobis da-
» tum eſt noſſe regnum Dei, illis
» autem qui foris ſunt, in para-
» bolis omnia fiunt, ut videntes
» videant & non videant, & au-
» dientes non audiant; & non in-
» telligant; ne quando convertan-
» tur, & dimittantur eis peccata.
» *Dicite igitur quare Deus*, qui ac-
» ceptor perſonarum non eſt, & vult
» omnes homines ſalvos fieri, *alio-
rum corda reſerat ad credendum,
oculos illuminat ad videndum, &
ad ſciendum myſterium regni cælo-
rum, quo ſcilicet ſalvi fieri poſſint;
aliorum verò, ut lectionis textu*
» *prædixi, involvens in parabolis*
» *veritatem obtundit cor, excæcat*
» *oculos, claudit aures, ne Evange-*
» *lium ſalutis agnoſcant, ne remiſſio-*
» *nem accipiant peccatorum? Dicite,*
» *quæſo, qualiter hæc loca Evangeli-*
» *ca accipitis? dicite, quid hîc de*
» *Deo*, qui vult omnes homines

ſalvos fieri, *ſentitis? Ecce jam omnes generaliter ſalvi non ſunt, cum aliis datur noſſe viam ſalutis, aliis non datur. Hæc itaque cum facit Deus, non acceptione perſonarum facit, non injuſtitiâ, ſed juſtitiâ inenarrabili, & miſericordiâ indebitâ. Quoniam verò hinc liquidò utraque pars dicere nihil valemus, credamus tantùm reum mortis ex judicis voluntate pendere. Ne quiſquam autem putaret divino vitio fieri, non omnes homines ſalvari; dixit Apoſtolus,* qui vult omnes homines ſalvos fieri. *Quapropter omnes homines qui ſalvantur, Deo volente ſalvantur:* [a] Deus enim noſter Deus ſalvos faciendi, & Domini exitus mortis. *Et* quia [b] ira in furore ejus & vita in voluntate ejus. *Intelligite itaque in furore juſtitiam, in voluntate miſericordiam.*

a *Pſ.* 67. 21.

b *Pſ.* 29. 6.

Auguſtini primam interpretationem Auctor ſequitur, & prin-

cipia duo ſumit. Primum eſt voluntatem Dei de humanâ ſalute voluntatibus humanis non impediri : alterum eſt gratiam non eſſe communem omnium. Si voluntas Dei voluntatibus humanis non impeditur : ergo Deus eos qui pereunt, non vult ſalvos eſſe : qui ſi, eorum ſalutem volente Deo, periſſe dicantur, conſequens eſt ut voluntatem divinam impediant, quod aliquando fieri negat auctor. Qui propriè vult finem, is procuIdubiò vult, præbetque, quantùm in ſe eſt, quicquid neceſſarium eſt ad conſequendum finem. Deus, ut docet auctor, nec vult, nec dat omnibus quicquid neceſſarium eſt ad ſalutem : omnes ergo & ſingulos non vult ſalvos eſſe.

Conſideranda eſt inprimis ratio, quâ auctor dictum Apoſtoli verum eſſe concedens utitur. *Omnino*, inquit, *non eſt falſum*,

*quia omne quod vult Deus facere, poteſt, nec prorſus humanâ voluntate præpeditur quod vult.* Si ideo verum eſt omnes Deum ſalvos eſſe velle quia quicquid vult poteſt, nec quod ipſe vult voluntate hominum ullomodo impeditur, neceſſe eſt igitur ſententiam Apoſtolicam ad eos ſolos pertinere, qui ſalutem revera conſequuntur: ſi enim ad alios referatur, pertineatque, voluntas humana divinam impedivit.

Aliud quoque argumentum confici poteſt.

Qui adverſariis ſententiam generalem objicientibus opponit alias primam reſtringentes, is certè primam reſtringit, nec aliter quàm reſtrictam concedit: Pelagianis ſententiam Apoſtoli generalem objicientibus ipſe viciſſim oponit alias ſcripturæ ſententias gratiam communem excludentes, ideoque & voluntatem generalem. Apoſtolicam ergo ſen-

tentiam reſtringit; quam ab Apoſtolo non aliam ob rationem uſurpari concedit, quàm ut intelligeretur proprio quemque perire vitio, non Dei. Quiſquis enim ſalutem conſequitur, ut ipſe ſtatim addit, Dei voluntate conſequitur: quiſquis perit, proprio vitio perit; ut intelligamus in interitu juſtitiam, in ſalute voluntatem Dei & miſericordiam.

[a] *L. 13. de Incarnat. cap. 6. n.*

Objicit Petavius [a] duo loca, in quibus auctor ſolâ gratiâ & voluntate Divinâ quoſdam ad gloriam deſignari ait, proprio cæteros perire vitio. Quod ineptiſſimum eſt; cum nulla ſit ea de re quæſtio. Sed his argumentis frivolis uti cogitur, quod cætera deficiant.

Tertium opponit ex libro 6°. cap. 7° *Nec dicimus, uti fingitis: & ſi credere velint, vel operibus bonis Dei vacare, Deum illis hæc nolle præſtare, cum hujuſcemodi velle*

*Dei*

*Dei donum ſit: ſi ergo ex Deo eſt quod volunt, vult Deus perfectum fieri quod donavit. Si autem ex Deo non eſt, ſed eſt de jactantiâ propriæ voluntatis, quâ ſe meritis Deum æſtimant promereri, manifeſtè quod volunt capere non poſſunt.*

*Egregius eſt hic locus*, inquit, *& ad id quod intendimus, perſuadendum aptiſſimus. Nam ſi reprobis, ut Catholica fides docet, bonam voluntatem, & in eâ perſeverandi deſiderium aſpiret aliquando Deus, ex illius regulæ preſcripto vult idem Deus* perfectum fieri *deſideriũ* quod donavit. *Perficitur autem tunc cum ad optatum finẽ perducitur, quæ eſt ſalus æterna. Quare ſalutem adipiſci reprobos antecedẽte ac generali voluntate vult Deus: tamen non hoc abſoluta vult... In quam intuens illius auctor libri ſub finem Apoſtoli ſententiam, quâ omnes homines velle Deum ſalvos fieri dicit, eo modo interpretatur, quo Auguſtinus.* Et ecce hoc eſt Petavius.

Petavianè argumentari. Locum illum *Egregium & ad perſuadendum aptiſſimum* proponere puderet vel mediocres Theologos; inſignis tamen & meâ ſententiâ Doctus Petavius commendare & exquiſitis commentariis illuſtrare non dubitavit.

Auctor velle credere & bonis operibus vacare, vel à Deo eſſe ait, vel ex voluntatis in propriis viribus confidentis ſuperbiâ: ſi ex Deo; Deum velle ſive efficere ut bona illa voluntas perficiatur: ſin ex propriâ ſuperbiâ, præſtari fierique à nobis non poſſe quod volumus, quia ut ipſe mox addit, *non eſt volentis neque currentis, ſed miſerentis Dei.* Hic eſt ſententiæ objectæ ſenſus; ut locum integrum legenti conſtabit. Quid hoc ad quæſtionem noſtram attinet? aut quibus machinis voluntas generalis inde elicietur? Petavius verò, ne cauſæ ſuæ deeſſet, locum

ridiculè interpretatus eſt, quaſi *velle perfectum fieri quod donavit*, idem ſit, ac ſalutem æternam velle; cum hoc ad ſolam voluntatis inchoatæ perfectionem pertineat, ſive ad executionem operis, quod velle incæpimus.

## Caput VI.

### *De Auctore Librorum de Vocatione gentium.*

His ſuccedat Auctor Librorum de Vocatione gentium à Gelaſio in libro contra Pelagianos laudatus, ut Magiſter Eccleſiæ; quem cum Proſpero confundunt aliqui, malim ego cum Doctioribus diſtinguere propter maximam ſtyli diſſimilitudinem. L. 1. cap. 9. obſervat Scripturam, ſive de bonis tantummodò, ſive de malis; ſive de ſolis electis, ſive de ſolis reprobis agit, generatim loqui ſolere, tanquam de omnibus promiſcuè

& bonis & malis & electis ſimul & reprobis. Ad quod confirmandum prolatis Scripturarum exemplis compluribus, quale eſt illud Jeremiæ 31. *Teſtamentum diſponam domui Iſraël.... dabo leges meas in ſenſu ipſorum, & in corde ipſorum ſcribam eas.... omnes cognoſcent me à puſillo eorum uſque ad magnum:* vel illud Eſaiæ 45. *mihi flectetur omne genu, & confitebitur omnis lingua Deo:* concludit denique: *ſi ergo impoſſibile eſt iſta non fieri, quia nec incerta præſcientia Dei eſt, nec mutabile conſilium, nec inefficax voluntas, nec falſa promiſſio, omnes iſti de quibus hæc ſupra dicta ſunt, ſine cujuſquam exceptione ſalvantur.*

Sub finem quoque capitis alia plurima proferuntur, ut illud Joelis 2. 28. *Effundam de Spiritû meo ſuper omnem carnem.* Et illud Pſalmi 144. 14. *allevat Dominus omnes qui corruunt, & erigit omnes eliſos.* Tum ſubjicit Auctor:

*Nunquid non pronunciatum eſt, quaſi ab hoc Dei munere nemo diſcretus ſit? Habet ergo populus Dei plenitudinem ſuam: & quamvis magna pars hominum ſalvantis gratiam aut repellat, aut negligat, in electis tamen & præſcitis, atque ab omnium generalitate diſcretis ſpecialis quædam cenſetur univerſitas; ut de toto mundo totus mundus liberatus, & de omnibus hominibus omnes homines videantur aſſumpti. Sicut etiam cum de impiis ſermo eſt, ita locutionem ſuam divinus ſtylus ordinat, ut ea quæ de quadam parte dicuntur, ad omnes homines pertinere videantur.* Quæ auctoris verba locum Proſperi finitimum, quem pæne præterieram, in memoriam revocant. Cum enim dicat Apoſtolus omnes Deum ſalvos velle, cavenda eſt inprimis durior hæc locutio: *Deus non vult omnes ſalvos eſſe*, ne verbis cum Apoſtolo pugnare videamur. Quamobrem adjun-

genda eſt vox, *ſingulos*, aut alia ſimilis, quam non habet, nec exigit Apoſtoli ſententia. Vel potiùs dicendum eſt omnes homines eſſe electos, in quibus impletur voluntas Dei, & qui aſſumuntur ex univerſis hominibus; ut cum Auctore lib. de Vocatione gentium tradit Proſper.

a *Ad Obj. xv. Gallorum n. 8.*

a *Item qui dicit quod non omnes velit Deus ſalvos fieri, ſed certum numerum prædeſtinatorum, duriùs loquitur, quam loquendum eſt de altitudine inſcrutabilis gratiæ Dei* qui & omnes vult ſalvos fieri, atque in agnitionem veritatis venire; *& voluntatis ſuæ propoſitum in eis implet, quos præſcitos prædeſtinavit.... nihil amittens de plenitudine gentium, & de omni ſemine Iſraël, cui præparatum eſt in Chriſto Regnum æternum ante conſtitutionem mundi. Ex toto enim mundo totus mundus eligitur, & ex omnibus hominibus omnes homines adoptantur*. Nam ut ait auc-

tor libri primi de Vocatione gentium, cujus verba antè deſcripſi. *In electis ſpecialis quædam cenſetur univerſitas*, &c.

Idem cap. x. de electis & reprobis ejuſdem populi Scripturam tanquam de iiſdem loqui ait: cap. xi. ſimiliter & de diverſorum temporum hominibus ac ſi eſſent ejuſdem temporis. *Sed cùm legerint hæc*, inquit cap. xii. id eſt exceptiones admittendas in generalibus Scripturæ ſententiis, *vel audierint qui amant calumnioſa certamina, dicent nos per ejuſmodi diſputationes Apoſtolo contradicere definienti, quod* Deus omnes velit ſalvos fieri, & in agnitionẽ veritatis venire. *Quam particulam verborum Apoſtoli ita nos integrè plenèque ſuſcipimus, ut nihil ei de præcedentibus, ſive ſubjectis, quæ ad ipſam pertinent, ſubtrahamus.* Loco deinde prolato, in quo Apoſtolus pro omnibus orari jubet, pro Principibus

& Regibus, id per univerſam Eccleſiam fieri teſtatur auctor. Tum cap. 13. *Quod ſi aliquos*, inquit, *ſicut videmus accidere, ſalvantis gratia præterierit, & pro eis oratio Eccleſiæ recepta non fuerit, ad occulta divinæ juſtitiæ judicia referendum, & agnoſcendum eſt ſecreti hujus profunditatem in hac vita patere non poſſe.* Ideoque Apoſtolum Rom. XI. exclamaſſe ait, *ô Altitudo*. Cap. 14. ex verbis Job [a] *anima ejus, quodcumque voluerit, hoc fiet*, concludit *voluntatem Dei irritam eſſe non poſſe*. Cap. 24. omnes quos Pater dat filio ad filium venire ait, & eorum perire neminem. Cap. 25. de gratia & electione diſputans: *profunditas illius quæſtionis*, inquit, *quam ſecundum admirationem Apoſtoli impenetrabilem confitemur, per liberi arbitrii velle & nolle non ſolvitur: quia licet inſit homini bonum nolle; tamen niſi donatum non habet donum bonum*

[a] Job. 23. 13.

*velle.* Tales fuiſſe addit qui converſi ſunt, quales qui minimè converſi: virtute gratiæ, *quæ ſibi quos voluit ſubdidit*, tam converti potuiſſe eos *qui inconvertibiles permanſerunt*, quàm cæteros.

Ex his omnibus quid efficiatur adversùs voluntatem generalem facillimum eſt intelligere. Vocabulum, *omnes*, in Scripturâ ſæpiſſimè reſtringi docet auctor; & quæ de ſolis electis dicuntur, ea generatim dici ſolere de omnibus. Inter cætera Scripturarum exempla proponit celeberrimam Apoſtoli ſententiam, & à Semipelagianis, qui in utroque libro refelluntur, ſæpè vexatam. Quid hoc aliud eſt quàm locum objectum ad ſolos electos trahere? Quid, quod Apoſtoli dictum: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*: non ſeparatim ſpectari oportere ait, ſed ea ſimul conjungenda eſſe quæ antecedunt; niſi ut intelligamus in-

terpretationem ab eo probari, quam Auguſtinus ſæpe adhibuit, & verbis antecedentibus maximè confirmavit? Auctoris quoque principia voluntatem generalem excludunt apertiſſimè. Voluntatem Dei ſemper efficaciſſimam eſſe probat, *nec irritam eſſe poſſe*, nec *inefficacem*, nam iſta voce utitur: omnes de quibus generatim Scriptura pronunciavit: *omnis lingua confitebitur Deo*, omnes *cognoſcent me à puſillo uſque ad magnum*: *ſine cujuſquam exceptione ſalvari*. Si voluntas Dei ſemper eſt efficax, ſi irrita eſſe non poteſt: de ſalute ergo ſingulorum nulla eſt Dei voluntas; quæ ſi ponatur; erit plane *& irrita & inefficax*.

Idcirco voluntatem generalem admittunt recentes Theologi, ut gratiam communem eamdemque pleniſſimè ſufficientem conſtituant. Ubi enim ſincera eſt voluntas finis; ibi quoque debet

eſſe certa eorum omnium quæ ad finem conſequendum neceſſaria ſunt, præparatio: atqui gratiam communem in locis, quæ nos antè plurima produximus, configit auctor. Quæſtionem de electione & gratia ſolvere conantur per velle & nolle, quod auctor pluribus refellit.

Scio voluntatem quandam generalem ſic Theologos complures admittere, quæ dicatur antecedens, eaque verè ac propriè ſit in Deo, ut propterea tamen nec gratiam confiteantur eſſe communem omnium, nec quæſtionem de electione & gratiâ per velle & nolle ſolvant. Sed de voluntate antecedente nihil hîc dico, dicam poſtea pluribus. Tota quæ nobis eſt cum illis, videtur leviſſima quæſtio. Hîc unum affirmo nullam hujus voluntatis mentionem apud antiquos gratiæ defenſores occurrere; nullam apud eum ipſum, de quò

maximè quæritur : voluntatem denique antecedentem, quæ in Latinorum ſcholis ante ſæculum XIII. non obtinuit, à pluribus, iiſdemque graviſſimis Theologis ſic deinceps explicatam eſſe, ut Deo planè externa ſit, nihilque à voluntate ſigni differe videatur.

Quoniam verò ne quid diſſimulem, auctor in poſteriore libro voluntatem generalem & gratiam quamdam communem omnium conſtituere videtur, neceſſe eſt totam ejus doctrinam paucis explicari.

Initio Libri tria ſibi proponit, è quibus primum eſt illud : *Deum velle omnes homines ſalvos fieri, & in agnitionem veritatis venire.* Secundum : *ad ipſam cognitionem veritatis, & perceptionem ſalutis non ſuis quemquam meritis, ſed ope atque opere Divinæ gratiæ pervenire.* Tertium denique : *altitudinem judiciorum Dei humanæ intelligentiæ penetrabilem*

*eſſe non poſſe; & cur non omnes ſalvet, qui omnes vult ſalvos fieri, non oportere diſquiri.*

Primum caput toto pæne in libro conſtituit. Quibus verò argumentis & rationibus utatur; ut clariùs pateat, verba ejus ſubjicio.[a] *Sive igitur noviſſima contemplentur ſacula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter & piè creditur omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe; & hoc non aliundè monſtratur, quam de iis beneficiis, eâque providentia, quam univerſis generationibus communiter atque indifferenter impendit.* Quoniam, ut teſtatur auctor, Divina de hominum ſalute voluntas cognoſci tantummodò poteſt ex Dei in univerſos & ſingulos homines beneficiis; & quoniam alioqui talis eſt voluntas Dei de ſalute omnium ac ſingulorum, qualis Divina beneficiorum communium præparatio: ergo ut cognoſcamus, qualem auctor vo-

a Cap. 25.

I. Voluntas Dei de ſalute humanâ ex ſolis ejus beneficiis cognoſcitur.

luntatem generalem admiſerit, conſtituendum eſt inprimis, cujuſmodi ſint beneficia illa, quæ conferuntur omnibus ac ſingulis.

11. Tria quatuorve apud Auctorem Gratiæ genera.

Auctor gratiæ nomen latiùs uſurpare ſolet, quàm patres latini, qui adverſus Pelagium & Semipelagianos ſcripſerunt. Nam triplicem ille diſtinguit gratiam. Prima in mundi pulchritudine, & admirabili diſpoſitione corporum, quæ omnibus populis & nationibus propoſita eſt, tanquam ſpeculum, in quo præſtantiſſimum opificem contemplari quiſque poſſit; ſecunda, quæ propria eſt Judæorum, in legis inſtitutione, doctrina, miraculis, & Angelorum officiis; tertia denique in interioribus Chriſti & Evangelii auxiliis conſiſtit. Quoniam tria hæc gratiæ genera ſimul complectitur in l. 2. c. 9. locum integrum profero. *Secretiſſima æterni conſilii voluntate* Deus *noluit in omnibus ſuper omnes generationes;*

*aut ſuper omnes homines æquales donorum ſuorum eſſe menſuras. Si quidem aliter eos juverit, quos ad cognoſcendum ſe, cæli & terræ teſtimoniis conveniebat; aliter illos quibus non ſolùm elementorum famulatu, ſed etiam doctrinâ legis, Prophetarum oraculis, miraculorum ſignis & Angelorum cooperationibus conſulebat; & multò magis aliter miſericordiam ſuam univerſis hominibus declaraverit, quando filius Dei factus eſt filius hominis, ut inueniretur ab eis, qui eum non quærebant, & appareret his qui illum non interrogabant & non uno tantũ populo Iſraëlitica ſtirpis excelleret, ſed in omni gente, quæ eſt ſub cælo, multiplicatũ Abrahæ ſemen oriretur.* Sin locus iſte intelligatur non ſolùm de gratia interiore verùm etiã de exteriore Evangelii, quæ omnibus & ſingulis proponitur: certè interiorem paſſim agnoſcit auctor ut in eodem l. c. 6. *Nam & in his diebus quibus per totum mundum*

*ineffabilium donorum flumina rigāt, non idem modus, nec eadem menſura confertur. Quamvis enim per miniſtros verbi & gratiæ Dei eadem cunctis veritas prædicatur, eadem cohortatio adhibeatur, Dei tamen agricultura eſt, Dei ædificatio, cujus virtus inviſibiliter agit, ut incremento proficiat quod ædificatur, aut colitur.* Quo in genere miniſtros tantùm valere ait, quantum Deus unicuique dedit: eoſque, *qui miniſtrorum labore excoluntur, ad eum modum proficere, ad quem illos incrementi auctor evexerit.* Hæc de variis gratiæ generibus dicta ſufficiant. Quod potiſſimum genus commune omnium eſſe ſenſerit, quod proprium aliquorum, jam explico.

III. Gratia cōmunis eſt exterior elementorum diſpoſitio.

Primam quidem exiſtimavit communem eſſe omnium. Sic enim L. 2. cap. 4. *Sed ne præteritis quidem ſæculis hæc eadem gratia, quæ poſt Domini noſtri Jeſu Chriſti Reſurrectionem ubique diſ-*

*fuſa eſt, & de qua ſcriptum eſt:* [a] illuxerunt coruſcationes tuæ orbi terræ: *defuit mundo. Quamvis enim ſpeciali curâ, atque indulgentiâ Dei Populum Iſraëliticum conſtet electum, omneſque aliæ nationes ſuas vias ingredi, hoc eſt, ſecundùm propriam permiſſæ ſint vivere voluntatem, non ita ſe tamen æterna creatoris bonitas ab illis hominibus avertit, ut eos ad cognoſcendum ſe atque metuendum, nullis ſignificationibus admoneret. Cælum quippe ac Terra & Mare, omniſque Creatura, quæ videri atque intelligi poteſt, ad hanc præcipuè diſpoſita eſt humani generis utilitatem; ut natura rationalis de contemplatione tot ſpecierum, de experimentis tot bonorum, de perceptione tot munerum, ad cultum & dilectionem ſui imbueretur auctoris, implente omnia ſpiritû Dei,* [b] in quo vivimus, movemur & ſumus. *Quoniam etſi* [c] longè eſt à peccatoribus ſalus: *præſentiâ tamen*

[a] Pſ. 76. 19.

[b] Act. 17. 28.

[c] Pſ. 118. 155.

*ſalutis ipſius, ac virtute nihil vacuum eſt.* Sic denique caput concludit. *Quod ergo in Iſraël per conſtitutionem Legis & Prophetica eloquia gerebatur; hoc in univerſis Nationibus, totius Creaturæ teſtimonia & bonitatis Dei miracula ſemper egerunt.* Quamquam ut paulò antè obſervaverat, *maximus numerus hominum, qui vias voluntatis ſuæ ambulare permiſſus eſt, non intellexit, neque ſecutus hanc legem eſt, & odor vitæ qui ſpirabat ad vitam, factus eſt ei odor mortis ad mortem; ut etiam in illis viſibilibus teſtimoniis diſceretur quod* [a] litera occideret, ſpiritus autem vivificaret.

a *1. Cor. 3. 6.*

IV. Ab ea non excluduntur pueri.

Ab hoc gratiæ genere pueros non excludit cap. 23. *non irreligiosè arbitror credi, neque inconvenienter intelligi, quod iſti paucorum dierum homines ad illam pertineant gratiæ partem, quæ ſemper univerſis eſt impenſa Nationibus: quâ utique ſi bene eorum uterentur pa-*

*rentes etiam ipſi per eoſdem juvarentur.*

Secundum gratiæ genus *ſuper unum Iſraël ſub lege roravit.* Ibidem.

V. Lex gratia eſt judæorum propria.

Tertium gratiæ genus partim externum eſt, partim interius. Externum pertinet ad omnes, cum Chriſtus præceperit Marci 16. 15. *Ite in orbem univerſum, & prædicate Evangelium univerſæ creaturæ. Nunquid hac præceptione*, inquit Auctor Cap. 2. *ullarum Nationum; ullorumve hominum facta diſcretio eſt? neminem merito excepit, neminem ſeparavit genere, neminem conditione diſtinxit. Ad omnes prorſus homines miſſum eſt Evangelium Crucis Chriſti.*

VI. Gratia exterior Evangelii propoſita eſt omnibus.

Quamvis Evangelium dirigatur ad omnes, ſingulari tamen Dei judicio nondum illuxit omnibus. Ita cap. 3. docet. *Magni autem, & inenarrabilis Sacramenti myſterium eſt, quod prædicatoribus*

VII. Nec tamen datur omnibus.

[a] Marci 16. 15. „ *quibus dictum eſt;* [a] ite in orbem „ univerſum & prædicate Evange- „ lium univerſæ Creaturæ : *iiſdem*

[b] Ibid. 10. 5. *priùs dictum fuerat ;* [b] in viam gentium ne abieritis, &c. *Quan- vis enim ad omnium hominum vo- cationem Evangelium dirigeretur ,* „ omneſque Dominus ſalvos fieri, „ & in agnitionem veritatatis vel- „ let venire ; *non tamen ſibi diſpen- ſationum ſuarum abſtulerat poteſta- tem , ut aliter quàm occulto , juſto- que judicio ſtatuerat , conſilii ſui ordo decurreret. Unde locum non habent contumacium murmura que- relarum : quia quod Deus fieri vo- luit, conſtat non aliter fieri debuiſ- ſe , quàm voluit. Poſteriore verò tempore cum jam Dominus Jeſus in Patris gloria conſideret... Vo- lentes Apoſtoli Evangelizare ver-*

[c] Act. 16. 7. *bum in Aſiâ , vetiti ſunt à Spiritû Sancto , & diſponentes ire in Bi- thyniam ; prohibiti ſunt à ſpiritu Jeſu , non utique negatâ illis Popu- lis gratiâ ; ſed , quantùm apparuit ,*

*retardatâ. Nam poſtea etiam apud ipſos Fides Chriſtiana convaluit. Quæ autem fuerit vocationis differendæ cauſa, non claret.* Hæc ille de gratiâ exteriore Evangelii.

Interiorem numquam dixit communem omnium ac ſingulorum. Cap. 5. eos qui ſive ex Judæis, ſive ex Nationibus Deo, antequam Evangelium promulgatum eſt, placuerunt, *Spiritû gratiæ Dei* diſcretos fuiſſe ait: tam paucis verò inter Gentiles illuxiſſe veritatis lumen, ut penitus ignorentur. [a] *Quoniam etſi fuerunt ex alienigenis, quos temporibus legis veritas illuſtrare dignata ſit, tamen tam pauci fuerunt, ut vix cognoſcantur, an fuerint.* Negat tamen propterea excuſari poſſe cæteros, *qui ſub ignorantiæ tenebris perierunt.*

VIII. Interior non eſt cõmunis.

a *L. 2. c. 14.*

Externam appellat gratiam generalem; interiorem verò ſpecialem quam cap. 31. negat commu-

nem eſſe omnium. Ubi ſententiâ Apoſtolicâ, [b] *Salvator omnium hominum, maximè fideliũ*, totam controverſiam dirimi affirmans mox ſubjicit: *dicendo enim*, quieſt ſalvatorum omnium hominum: *confirmavit bonitatem Dei ſuper univerſos homines eſſe generalem; adjiciendo autem*, maximè fidelium, *oſtendit eſſe partem generis humani, quæ merito fidei Divinitus inſpiratæ ad ſummam atque æternam ſalutem ſpecialibus beneficiis provehatur. Quod utique nullâ iniquitate agitur juſtiſſimi & miſericordiſſimi Dei, cujus judicium in his diſpenſationibus cum tremore laudandum eſt.*

[a] 1. *Tim.* 4. 10.

IX. Non datur omnibus qui Evangelium audiunt.

Nec gratia illa interior iis omnibus datur, qui Chriſtianis permiſti ſæpe Evangelium audierunt. *Has autem*, inquit cap. 3. *incognoſcibiles illuminationum dilationes, inter quas utique multi in infidelitate deficiunt, non ſolum in populis remotioribus impiorum, ſed etiam in civitatibus fidelium per*

*plurimas domos ac familias novimus fieri; dum chriſtianæ fidei etiam qui Chriſtiani futuri ſunt, adverſantur.* Interea cognoſci non poſſe ait, *cur corrigendi tam diu ſinantur errare; & quod ſenibus in fine præſtandum eſt per tam longam non tribuatur ætatem, cur filiis jam in Chriſtum credentibus, necdum credant parentes; & rurſum à religioſis parentibus ſoboles prava diſcordet: cum tamen Deo, qui initiorum fidei, incrementique largitor eſt, ſecundum ipſius præceptum quotidie pro omnibus ſupplicetur: ut & ſi exaudiat, nota ſit gratia miſerationis; & ſi non exaudit, intelligatur judicium veritatis.* L. 1. cap. 15. *cur illorum non miſertus & horum ſit miſertus Deus, quæ ſcientia comprehendere, quæ poteſt inveſtigare ſapientia?* Quamobrem cum *ſpecialis gratia* dicitur a *a univerſis facta communis*; ita dicitur, quod jam propria non ſit unius propuli, ut olim Judaïca lex. b *Nam ex omni gente & ex om-*

a *L. 2. c. 33.*

b *Ibidem.*

*ni conditione adoptantur quotidie millia ſenum, millia juvenum, millia parvulorum; & affectibus gratiæ Chriſtanæ etiam ipſa, quibus mundus atteritur, arma famulantur.*

Ex his omnibus apertiſſimè conficitur gratiam, quam & perpetuam & communem omnium aſſeruit auctor, externam eſſe, non interiorem, ideoque ſolam per ſe ſe non ſufficere: quod poſtremum nemo affirmaturus eſt, niſi qui Pelagianè ſentit.

X. Difficultas ſolvitur. Unum ferme eſt quod objici poſſit, illud nempe capitis 15. ubi rationem reddens, cur nationes, quibus data tantummodò eſt gratia communis, excuſationem nullam habere poſſint, *adhibita enim ſemper eſt*, inquit, *univerſis hominibus quædam ſupernæ menſura doctrinæ: quæ & ſi parcioris, occultioriſque gratiæ fuit, ſufficit tamen, ſicut Deus judicavit, quibuſdam ad remedium, omnibus ad teſtimonium: ut non dubiè ſed evidenter appareat, quòd*

*quòd niſi* [a] ubi abundavit peccatum, ſuperabundaret & gratia, *nunc quoque univerſum genus humanum ſimilis obcæcaret impietas.* Loquitur de gratia communi & externâ, quam pluribus ante explicuit: atqui hanc ſufficere ait pluribus ad remedium, omnibus ad teſtimonium.

[a] *Rom.* 5. 20.

Sed quiſquis auctoris doctrinam diligentius conſideraverit, is loci obſcuritate nihil movebitur. Fuit ille ab hæreſi & Pelagianâ & Semipelagiana remotiſſimus, qui dona naturalia gratiam appellans tametſi aliter loquitur, ac plerique defenſores gratiæ, re nihillominus idem ſentit: & gratiam communem, externamque negat ad bene agendum perſe ipſam ſufficere. Cum multa ad id confirmandum proferre poſſem; pauca tamen ſed apertiſſima proferam.

Primum ſit illud ex l. 1. cap. 8. *Si non operatur in nobis, nullius poſſumus participes eſſe virtutis. Si-*

*ne hoc quippe bono nihil eſt bonum, ſine hac luce nihil eſt lucidum,* &c. *homo quippe mortalis damnatâ in Adam origine carnaliter natus ad ſpiritalem novi generis dignitatem niſi Spiritû ſancto regente non pervenit. Sed nec ullo hanc deſiderio appetit, qui calorem ipſius deſiderii non accepit à Deo, de quo dicit Dominus:* a ignem veni mittere in terram & quid volo niſi ut ardeat? *Ignis autem iſte dilectio eſt Dei; quam amator mundi corde captivo non poteſt concipere: plenus eſt enim amore vanitatum; quas etiamſi potuerit aliquâ ex parte vitare, & tranſcenſis temporalibus ad externa & inviſibilia intelligendo profecerit; ſi à colendis quoque ſimulacris neceſſerit, & venerari cælum ac terram, omniaque mundi hujus elementa deſtiterit; fidem tamen, dilectionemque Chriſti conturbatus de ejus ipſa humilitate non capiet; & ſcandalum Dominicæ nativitatis ac mortis proprio judicio non evincet.*

a *Luc.* 12. 49.

*Nec mirum ſi Evangelio Crucis Chriſti Philoſophia obnititur: cui etiam Judaïca eruditio reluctatur. Nec docti igitur, nec indocti, cujuſlibet ſtirpis aut ordinis, humanâ ratione ad Dominum ducuntur; ſed omnis homo qui ad Deum convertitur, Dei primùm gratiâ commovetur: non enim ipſe ſibi lumen eſt, nec cor ſuum radio propriæ lucis accedit.* Rationem ſubjicit planè neceſſariam. *Quis ille erit qui tot opinionum colluctationes, tot vincula conſuetudinis, tot præiudicia vetuſtatis ſuo tantùm iudicio abrumpat, & ſolâ voce extrinſecùs ſonante doctoris, hoc tantùm de gratiâ habeat, quod audivit; & totum de voluntate quod credidit? Quod ſi ita eſſet, nihil inter gratiam, legemque diſtaret, nec indulgentiæ quemquam ſpiritus vivificaret, ſi occidens litera permaneret.* *Lex enim quod fieri aut non fieri jubet non præſtat ut aut fiat, aut non fiat,* &c. *Cum igitur verbum Dei per*

*miniſterium prædicantium auribus carnis infertur, miſcetur operatio potentiæ Divinæ cum ſono vocis humanæ; & qui incitavit Evangelizantis officium, audientis quoque firmavit affectum.*

Atque hic locus meâ ſententiâ ſufficit ad repellendam omnem calumniam. Qui enim non aliam gratiam generalem concedens, quàm quæ inhæret in ipsâ naturâ, in elementis, in Cœlo, in ſpecie corporeâ, & admirabili rerum omnium conſenſu gratiam interiorem ſimul contendit eſſe neceſſariam, & gratiam generalem, legem quoque, vel prædicationem Evangelii negat ſufficere, is nihil gratiæ communis fautoribus ſuffragatur, vel Pelagio: auctor noſter non aliam gratiam generalem agnoſcit, quàm quæ inhæret in naturâ ipsâ, in elementis, in Cœlo, in ſpecie corporeâ, ſive in admirabili rerum omnium concen-

tu: gratiam interiorem neceſſariam eſſe docet; externam naturæ & legis negat ſufficere: nihil ergo vel Pelagio, vel gratiæ communi, quæ tota eſt interior, ſuffragatur. Prima propoſitio manifeſta eſt, & evidens. Aſſumptionis primam partem apertiſſimis auctoris teſtimoniis antè confirmavi. Secundam partem multa ſuperioris ſententiæ loca probant. *Si non operatur in nobis, nullius poſſumus participes eſſe virtutis*, &c. *Homo mortalis damnatâ in Adam origine carnaliter natus ad ſpiritalem novi generis dignitatem niſi Spiritû Sancto regente pervenit; ſed nec ullo hanc deſiderio appetit, qui calorem ipſius deſiderii non accepit à Deo. Omnis homo qui ad Deum convertitur, Dei primùm gratiâ commovetur*, &c. *Miſcetur operatio potentiæ divinæ cum ſono vocis humanæ*, &c. Tertiam denique partem, de quâ maximè hoc loco

agitur, probat illud ejuſdem capitis. *Ignis iſte dilectio eſt Dei, quam amator mundi* ( qui gratiâ generali minimè caret ) *corde captivo non poteſt concipere*, &c. *Nec docti, nec indocti cujuſlibet ſtirpis, aut ordinis, humanâ ratione ad Dominum ducuntur*, &c. *Lex quod aut fieri, aut non fieri jubet, non præſtat, ut aut fiat, aut non fiat.*

His omnibus duo tantummodò loca ſubjiciam, primum ex Libro 2. cap. 17. *Quibus tamen* ( id eſt gentibus Barbaris, quibus gratia Chriſti nondum illuxit ) *illa menſura generalis auxilii, quæ deſuper omnibus ſemper hominibus eſt præbita, non negatur: quamvis tam acerbo natura humana vulnere ſauciata ſit, ut ad cognitionem Dei neminem contemplatio ſpontanea planè valeat erudire, niſi obumbrationem cordis vera lux diſcuſſerit, quam inſcrutabili judicio Deus juſtus, & bonus non ita*

*præteritis ſæculis, quemadmodùm in noviſſimis diebus effudit.*

Alterum ex Epiſtolâ ad Demetriadem, quæ ejuſdem auctoris eſſe creditur propter maximam ſtyli, ſententiarumque convenientiam. [a] *In pulcritudine cæli & Terræ quædam ſunt paginæ ad omnium oculos ſemper patentes, & auctorem ſuum nunquam tacentes: quarum proteſtatio doctrinam imitatur Magiſtrorum, & eloquia Scripturarum: ſed quicquid illud eſt, quo corporeorum ſenſuum exteriora pulſantur, in agro cordis cui impenditur iſta cultura, nec radicem poteſt figere, nec germen emittere, niſi ille ſummus & verus agricola potentiam ſui operis adhibuerit, & ad vitalem profectum ea quæ ſunt plantata perduxerit. Sive enim contemplatio Creaturarum, ſive ſacrorum ſeries voluminum, ſive ſcientia diſſerentium ſincero & aſſiduo teſtimonio prædicet veritatem:* [b] neque qui plantat eſt ali-

a *Cap.* 7.

b *1.Cor.* 3. 7.

» quid, qui rigat, ſed neque qui
» incrementum dat Deus. Hæc omnia deſcripſi paulò uberiùs, ne qua poſſit eſſe de auctoris præſtantiſſimi ſententiâ dubitatio.

Quid inde conſequens ſit, vel rudioribus patet. Neque jam neceſſe eſt ut admoneam locum objectum ſic intelligi debere, ut gratia generalis valuerit ad cognitionem Dei comparandam: quod ego veriſſimum eſſe arbitror: vel potiùs ut valuerit quibuſdam accedente gratiâ interiori. De his enim pauciſſimis loquitur, quos, ut in eodem libro cap. 5. docet, inter gentes ſpiritus gratiæ Dei diſcrevit. Eſt enim naturæ ſedula contemplatio velut primus gradus ad cognitionem unius Dei, quem gratia deinde accedens perficit, mentem illuminans ſimul & voluntatem accendens.

Ergo quoniam auctor gratiam interiorem omnino neceſſariam

ad bene agendum aſſeruit, nec aliam agnovit communem, quàm externam; iis planè annumerandus eſt qui gratiam communem eſſe negaverunt.

Qui non vult media propria, eademque ad conſequendum finem neceſſaria, is finem non vult propriè. *ſi aliquibus*, inquit Vaſques, [a] *auxilia ſaltem ſufficientia negaret Deus: ſequeretur nullomodò ſalutem eorum deſiderare.* Et Petavius. [b] *Si Deus certis tantummodò neceſſaria præberet auxilia, cum ſine iis ſalus æterna comparari nequeat, non omnes ſalvos velle diceretur: ſed eos duntaxat, quibus opem ferret; reliquos nolle omnino ſalvos eſſe. Habet enim hoc voluntas omnis, ſi eſt firma & ſeria, ut quicquid appetit, ejus obtinendi causâ quæ ſunt neceſſaria conquirat, ac ſibi aliiſve procuret.* Et Anonymus Hiſtoriæ Janſenianæ ſcriptor, cujus potiſſimùm causâ in diſputationem hanc in-

[a] *1. P. d. 97. cap. 31. 17.*

[b] *Tom. 1. L. x. cap. 3. n. 5.*

a P. 472. greſſus ſum. [a] *Deum ſalutem velle nihil eſt aliud quam media ad ſalutem neceſſaria præbere.* Ergo juxta auctoris noſtri hypotheſim Deus omnes ac ſingulos ſalvos eſſe non vult propriè, qui plerisque quod ad ſalutem omnino neceſſarium eſt, negavit.

Cur ergo affirmat L. 2. cap. 2. 19. 25. 28. & in toto libro paſſim, Deum velle quod non propriè non vult in ejuſdem principiis?

Si quis reſpondeat Auctorem noſtrum, qui ut faciliùs Semipelagianorum querelis ſatisfaceret, gratiæ vocabulum novâ quadã & latiſſimâ notione uſurpavit, ſalutis quoque nomen, quoties locum Apoſtoli de omnibus ac ſingulis promiſcuè interpretatur, paulò latiùs, quàm accipi ſolet, accipere videri; hoc eſt, pro ſola Dei cognitione, quæ eſt veluti primus gradus ad ſalutem; non vehementer repugnabo. Nam ſi omnia loca, in quibus Apoſtoli

teſtimonio generatim utitur, ſi principia & concluſiones conſideramus, ſolam Dei cognitionem aſſumit ac ſibi proponit. In Libro primo cap. 25. de illa Fidei parte dicturum ſe deinceps eſſe admonet, *quâ piè credimus Deum velle*, ut *omnes homines veritatis agnitione ſalventur.* Principium, quod ad id confirmandum adhibet, eſt gratia generalis, negatque L. 2. cap. 25. ullum extare aliud. *Sive igitur noviſſima contemplentur ſæcula, ſeu prima, ſeu media, rationabiliter, & piè creditur, omnes homines ſalvos fieri Deum velle, ſemperque voluiſſe. & hoc non aliunde monſtratur, quàm de iis beneficiis, eâque providentiâ Dei, quæ univerſis nationibus communiter, atque indifferenter impendit. Fuerunt enim, ac ſunt ejuſmodi dona ita generalia, ut per ipſorum teſtimonia ad quærendum verum Deum poſſent homines adjuvari.* Gratia genera-

lis, ut pluribus ejuſdem certis ác evidentibus teſtimoniis effeci, nihil eſt aliud, quàm præclara & oculis noſtris expoſita corporum naturalium diſpoſitio, cujus tota vis in auctore demonſtrando conſiſtit: nihil ergo per ſe probat aliud, quàm Deum velle & ſemper voluiſſe, ut omnes divinitatem cognoſcerent ex naturæ pulcritudine. Hoc unum ipſe in ſuperiori ſententiâ concludit, dum naturæ univerſæ teſtimonio omnes ad quærendum verum Deum adjuvari ait.

Ut ut ſit, nego ex locis objectis voluntatem beneplaciti, de quâ ſolâ hîc quæritur, concludi poſſe. Talis eſt enim voluntas finis, qualis mediorum, quæ exhibentur, ratio. Si media cum fine neceſſariò conjunguntur, ſi vel ſola ſine aliis per ſeſe ad finem conſequendum plenè ſufficiunt, proculdubiò in ſapientibus præſertim, qui vel iis utun-

tur, vel eadem exhibent aliis, anteceſſit finis voluntas ſive abſoluta, ſive conditionata. Sin media exhibita neceſſariò cum fine non conjunguntur, vel ad finem conſequendum non plenè ſufficiunt; hoc eſt ſi aliqua negantur omnino neceſſaria, & ſine quibus nunquam obtinetur finis; ex mediis exhibitis, utì manifeſtum arbitror; conſequens minimè eſt finis ejuſdem voluntas, ut jam obſervavi. Auctor noſter gratiam interiorem neceſſariam eſſe ad ſalutem concedit, eamdemque negat dari omnibus: ex ejus ergo principiis voluntas beneplaciti de ſalute omnium ac ſingulorum nunquam elicietur.

Quænam eſt igitur voluntas illa generalis, quam Auctor in poſteriore libro conſtituit? XI. Volnntas generalis, quam admittit auctor, ſigni eſt, non beneplaciti.

Voluntas externa & ſigni. Talis eſt enim voluntas finis, qualis mediorum ratio, vel præparatio. Quamobrem Auctor ipſe

L. 2. c. 25. voluntatem Dei de ſalute omnium non aliunde cognoſci ait, quàm ex beneficiis communibus. Media illa quæ omnibus promiſcuè conferuntur, planè externa ſunt, nec aliam cum fine proportionem habent, quàm externam & remotiſſimam, quatenus accedentibus aliis adjuvare poſſunt & impedimenta tollere. Talis eſt conformatio corporum cæleſtium & inferiorum, vis, ordo, conſenſus, aliaque id generis plurima, quæ apertè demonſtrant præſtantiſſimum opificem. Lex Judaïca Deum non modo eſſe docet, verùm etiam quid maximè neceſſarium ſit ad vitam conſequendam præſcribit. Chriſtiana, ut longè præſtantior eſt, ita cognitionem Divinitatis pleniorem tradit, doctrinam morum ſublimiorem: Baptiſmum tanquam remedium adultorum & puerorum commune proponit

omnibus. Non alia gratiæ communis agnoſcit genera auctor: primum quidem perpetuum & commune omnium; ſecundum proprium Judæorum; tertium univerſis gentibus propoſitum, & ſingulis hominibus, quibus Evangelium prædicatur. Hæc omnia tamen externa ſunt: ſine auxiliis interioribus ſi quid valeant ad cognitionem Divinitatis efficiendam, certè ad conſequendam ſalutem non ſufficiunt. Sunt alia media propinquiora, nempe gratia interior, quæ cunctis fidelibus & juſtis datur, nec tamen ipſa ad ſalutem omnes provehit, niſi accedat propoſitum & decretum Dei. Hinc L. 1°. cap. 24. docet perſeverantiam eſſe ſingulare munus Dei: & cap. 25. omnia quæ ad promerendam vitã æternam pertinent, ſine gratiâ Dei nec inchoari nec augeri poſſe, nec perfici, ut nemo habeat unde glorietur: quam quæſ-

tionem de electione ait eſſe *impenetrabilem*, nec *per liberi arbitrii velle & nolle ſolvi*. Ergo quoniam propterea tantummodò, hoc eſt, propter gratiam illam communem, Deus ab auctore noſtro dicitur omnes ac ſingulos ſalvos eſſe velle, conſequens planè eſt, ut iſta voluntas generalis ſit tantùm exterior, ſive ſigni, ut vulgò loquimur.

XII. Idcirco Auctor ſecum ipſe non pugnat.

Hinc auctorem nihil ſecum pugnare liquet, nec poſteriorem librum cum priori. Nam etſi in iſto voluntas Dei ſemper efficax ſtatuitur, quæ nunquam *irrita*, vel *inefficax*, eſſe poſſit: locus verò Apoſtoli de univerſo hominum genere intelligitur, non de ſingulis: contrà in illo de omnibus ac ſingulis; hæc tamen optimè conveniunt. Ad voluntatem beneplaciti reſpiciens omnes ac ſingulos Deum ſalvos eſſe velle negavit: ad voluntatem ſigni; omnes & ſingulos Deum ſalvos

eſſe velle conceſſit. Et quamvis plerique ſalutem non conſequantur, non ideo tamen irrita eſt voluntas Dei, cum voluntas illa generalis, qua Deus omnes ac ſingulos ſalvos eſſe velle dicitur, tota ſit exterior & metaphorica. Hæc de eximio auctore dicta ſufficiant, qui verbis cum Auguſtino pugnat, re convenit, ejuſque doctrinam de prædeſtinatione & gratiâ efficaci ut in 1°. ſic & in 2°. Libro clariſſimè conſtituit.

## Caput VII.

### *De Epiſcopis Africanis in Sardiniâ exulantibus.*

AUctori Librorum de Vocatione gentium ſubjicio teſtimonium inprimis illuſtre non unius Scriptoris, ſed plurimorum Epiſcoporum, qui propter Fidem Catholicam ab Ariano Principe Africâ pulſi exulabant

in Sardiniâ. In Literis Synodicis, duodecim Epiſcoporum nomina leguntur. Plures tamen fuiſſe conſtat, cum Fulgentii nomen non legatur cum cæteris; qui tamen, ut teſtantur ſub finem Epiſtolæ, unus ex ipſis fuit; ac præterea ſexaginta ſimul exulaſſe ferantur. Inter cætera quæ de quæſtione noſtrâ docent beatiſſimi Martyres, illud capitis 14. minimè prætermittendum eſt: *Quiſquis ergo*, inquiunt, *prædeſtinatum Chriſtum, & Sanctos ejus negat, Apoſtolicam Fidem perverſus oppugnat. Omnes autem prædeſtinati ipſi ſunt:* quos vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire. *Qui propterea* omnes *dicuntur, quia in utroque ſexu, ex omni hominum genere, gradu, ætate, conditione ſalvantur. Semper quippe voluntas Dei omnipotentis impletur; quia poteſtas ejus nullatenus vincitur. Ipſe eſt enim, qui* [a] omnia quæcumque voluit,

a *Pſ.* 134. 6.

fecit in Cœlo & in Terra, & in omnibus abyſſis, *&* a cujus voluntati nemo reſiſtit. *Verum namque eſt, quod de ſe teſtatus eſt filius, quia in vivificandis nullum initium humanæ voluntatis expectat, ſed ipſam voluntatem bona faciendo vivificat. Hoc autem in majoribus. Parvulos autem, in quibus necdum poteſt bona voluntas fieri, ſolius gratiæ facit operatione ſalvari.* Et iſti quoque de ſolis prædeſtinatis ſententiam Apoſtolicam interpretantur, & ſuam interpretationem Auguſtini principiis communiunt. Nam ratio potiſſima cur ille voluntatem generalem rejecerit, petitur ex voluntate divinâ, quæ ſemper ſit efficax, nunquam irrita eſſe poſſit, & cui *ſalvum facere volenti nullum reſiſtat hominis arbitrium.* Neque prætermittenda eſt alia ratio, quam ſubjiciunt meâ quoque ſententiâ neceſſariam. Deus in majoribus bonam voluntatem ef-

a Rom. 9. 19.

ficit, auget, perficit; parvulos verò miſericordiâ gratuitâ liberat nihil volentes, nihil agentes. Ita fit, ut eorum ſalutem ſincero animo velle non bene diceretur, vel quibus, ſi majores ſint, bonam voluntatem non dedit; vel quos, ſi nondum propriâ voluntate utantur, nihil omnino volentes, agenteſve gratuitâ miſericordiâ non liberavit.

Gratiam communem, quâ ſublatâ tollitur ſimul voluntas generalis, rejiciunt non ſemel, ut cap. 4. *Qui gratiam divinitus acceperunt, eò magis debent in ipſius gratiæ aſſertione firmari, quò eam vident non omnibus tribui. Neceſſe eſt autem, ut ab eis, quibus non tribuitur, ignoretur; & ab eis agnoſcatur, quibus Divinâ largitate donatur.* & cap. 9. *de gratiâ verò non dignè ſentit, quiſquis eam putat omnibus hominibus dari.*

## CAPUT VIII.

### *De Fulgentio.*

BEatiſſimis confeſſoribus conjunctior fuit Fulgentius dum viveret; quàm ut ab eis ſe hoc loco divelli patiatur. In libro de incarnatione & gratiâ cap. 29. tam perſpicuè ſuam de noſtrâ quæſtione ſententiam aperit, ut locum tametſi prolixiorem mutilare nolim: integrum igitur repræſentabo. *Illud verò Apoſtolicum* [a], inquit, *ubi dicitur de Deo:* qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: *non ſicut oportet, intelligunt, qui hanc voluntatem ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant, minùs conſiderantes veraciſſimam ſcripturæ ſententiam, quæ Divinæ commendans omnipotentiam voluntatis:* [b] omnia, *inquit*, quæcumque voluit fecit in cœlo, & in terra, & in omni-

a n. 56.

b Pſ. 134. 6.

bus abyſſis : *ipſique Deo rurſus dicit*; a ſubeſt enim tibi cum voles poſſe. *Quomodò igitur omnia, quæ vult facit, ſi volens hominem ſalvum fieri, cujus ſalus non niſi à bonâ incipit voluntate, ipſum velle non in homine inchoat, ſed ut ab homine naſcatur, expectat? O quàm peſſimum nefas aſſeritur dum gratiæ Dei contumaciter repugnatur!* Quod poſteaquam pluribus refutavit, ſic concludit demum cap. 30. n. 60. & 61. *In hominibus igitur quos ſalvat, voluntatem bonam non invenit, ſed ſicut ætatum exigit diverſitas, aut in majoribus bonam voluntatem gratis facit, quam invenit malam; aut ſine voluntate hominis vel bonâ, vel malâ, perficit in parvulis gratiam ſacramenti ille, cujus nemo poteſt bonæ reſiſtere voluntati.*

a *Sap.* 12. 18.

Denique ad rem propiùs accedens ſententiam Apoſtolicam ſic interpretatur. *Quocirca illos omnes, quos Deus vult ſalvos fieri ſic intelligere debemus, ut nec ali-*

*quem putemus ſalvum fieri poſſe niſi voluntate Dei, nec exiſtimemus voluntatem omnipotentis Dei aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri. Omnes enim, quos Deus vult ſalvos fieri, ſine dubitatione ſalvantur, nec poſſunt ſalvari, niſi quos Deus vult ſalvos fieri. Nec eſt quiſquam, quem Deus ſalvari velit, qui non ſalvetur: quia Deus noſter* omnia quæcumque voluit fecit. *Ipſi omnes utique ſalvi ſunt, quos omnes vult ſalvos fieri: quia hæc ſalus non illis ex humanâ voluntate naſcitur, ſed ex Dei bonâ voluntate præſtatur. Veruntamen in his omnibus hominibus, quos Deus vult ſalvos facere, non totum omnino genus ſignificatur hominum, ſed omnium univerſitas ſalvandorum. Ideo autem omnes dicti ſunt, quia ex omnibus hominibus omnes iſtos divina bonitas ſalvat, id eſt, ex omni gente, conditione, ætate, ex omni linguâ, ex omni provincia. In his omnibus ille ſermo noſtri redemptoris*

a Joan. 12. 32. *impletur, quo ait:* [a] cum exaltatus fuero à terrâ, omnia traham ad meipſum. *Quod non ideo dixit, quia omnes omnino trahit, ſed quia nemo ſalvus ſit, niſi quem ipſe tra-*
b Joan. 6. 37. *xerit. Nam & alibi dicit;* [b] nemo poteſt venire, niſi pater qui miſit me, traxerit eum. Item alibi; omne quod dedit mihi pater ad me veniet. *Hi ergo ſunt omnes* quos Deus vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. Pluribus deinde ſcripturarum teſtimoniis confirmat *omnes* non ſemper accipi pro ſingulis.

Verbiſne aperioribus voluntas generalis excludi poſſit, neſcio. Negat Fulgentius ſententiam Apoſtolicam rectè ab iis intelligi, qui Dei voluntatem de ſalute humanâ ſicut in vaſis miſericordiæ, ſic & in vaſis iræ accipiendam exiſtimant. Sic verò intelligi debere ait, ut nec aliquem putemus ſalvum fieri poſſe, niſi voluntate Dei, nec exiſtimemus volunta-
tem

tem Dei aut in aliquo non impleri, aut aliquatenus impediri: quâ vel unâ ſenrentiâ configitur voluntas generalis, quæ in prædeſtinatis impletur, non impletur in cæteris. Quid clarius, apertiuſque, quàm quod ſequitur apud Fulgentium? Niſi Deo volente ſalvum eſſe poſſe neminem; & omnes quos vult ſalvos eſſe, ſalutem revera conſequi: nullum eſſe omnino, quem ſalvum velit, & ſalutem non conſequatur, quia omnia quæcumquæ voluit; fecit, & ſupremam poteſtatem habet: vocabulo *omnes* non *totum omnino genus* hominũ ſignificari, ſed omnium univerſitatem ſalvandorum. Quod falſum eſt ſi *omnes* ad ſingulos trahi poſſe exiſtimavit.

Plura Deinde ex ſcripturis loca profert, quibus duo probantur apertiſſimè: primum, *omnes* ſæpe in ſcripturis uſurpari pro pluribus, non pro ſingulis: alterum,

Fulgentio perſuaſum fuiſſe ſententiam Apoſtolicam intelligi non debere de ſingulis. Qui enim voce, *omnes*, deſignari ſingulos exiſtimabit, is nunquam loca ſcripturarum vano & inani labore colliget, ut vocabulum, *omnes*, ſæpe reſtringi perſuadeat: multò minùs ea proferet, quæ voluntatem Divinam ſemper & in omnibus impleri, nunquam irritam eſſe doceant: quid enim hoc eſſet aliud, quàm evellere quod ſeveris, & propriam ſententiam evertere? Sed locus Fulgentii tam apertus eſt, tantùm ad id, quod volumus, conſtituendum valet, ut mihi metuendum ſit, ne paucculis hinc inde vocibus decerptis, repræſentatiſque cæteræ vel obſcurari, vel infirmari videantur. Nec prætermittendum hoc loco eſt, quod ille in libro de fide ad Petrum regulâ 35. n. 76. tradit. *Firmiſſimè tene & nullatenus dubites... neque perire poſſe aliquem*

*eorum, quos Deus prædeſtinavit ad regnum cœlorum; nec quemquam eorum, quos Deus non prædeſtinavit ad vitam, poſſe ulla ratione ſalvari.* Qui omnes Deum ſalvos eſſe velle affirmat, is ſalutem quoquomodo conſequi poſſe omnes affirmare debet. Contra negat Fulgentius eos qui minimè prædeſtinati ſunt, *poſſe ullâ ratione ſalvari.*

Nihil jam neceſſe eſt in iis inſiſtere, quæ à Petavio [a] partim ex Synodicâ Africanorum Epiſcoporum epiſtolâ, partim ex variis Fulgentii libris objiciuntur, cum frivola ſint omnia, nec ullam difficultatem novam contineant. Neque enim ſignificant aliud, quàm eos qui pereunt propria voluntate perire, non divinâ: Eſaü, cui culpam originis abſterſerat Circumciſio, damnari propter defectionem voluntariam. Quæ veriſſima ſunt, nec ad rem pertinent, ut ſæpe obſervavi.

[a] *L. 13. de Incarnat. cap. 6.*

## Caput IX.

### *De Petro Diacono & auctore commentarii in* 1. *Regum.*

PEtrus Diaconus in Epiſtolâ ad Fulgentium voluntatem quoque generalem excludit. Nam *Semipelagianorum rationem refellens* ( verbis [a] Petavii utor) *aientium Deum velle omnes ſalvos facere: ſed eorum voluntate fieri, ut non ſalventur, hunc in modum diſputat* [b] hæc ſi ita ſunt, ut hæretici jactitant, comprehenſa ſunt ab ipſis inſcrutabilia & incomprehenſibilia Dei judicia. Si enim, ut ipſi volunt, nolentes damnat, ſalvat autem volentes, nihil eſt omnino quod quæratur ulteriùs, & quantùm ad ipſos, fallit ſcriptura divina, quæ incomprehenſibilia Dei teſtatur judicia. Nos autem incomprehenſibilia credentes, & demonſtrantes judicia Dei, ex unâ maſsâ perditionis a-

a *Tom.* 1. *L.* 9. *c.* 16. *n.* 7.

b *In Epiſt. n.* 21.

lios ſalvari dicimus bonitate & " gratiâ Dei, alios juſto & occulto " judicio derelinqui. *Ac ſubinde* " *probat, Deum non omnes velle ſalvari. Perſpicuum eſt illi ſcriptori Auguſtinianam placuiſſe doctrinam, cum ex maſſâ damnabili liberari aſſerit: aut in eâ relinqui homines, non quia velint, aut nolint, hoc eſt propter eorum opera; ſed ex ſolâ Dei voluntate vel miſerentis, vel occulto judicio relinquentis.* Hic ergo confitentem habemus Petavium, apud quem nihil poſtea reperi quod primum infirmaret judicium.

Quod verò ille dictum Apoſtoli negat intelligi à Petro de omnibus ac ſingulis, id Petri verba proximè ſequentia manifeſtè ſignificant. *Alioquin dicant, ſi poſſunt, hi qui hoc divinæ juſtitiæ & bonitati contrarium æſtimant, cur is qui* omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, *tam multas virtutes*

*fecit in Corozaim & Bethſaïda, & nullam harum in Tyro & Sidone facere voluit, ubi ſi factæ fuiſſent*
a Matth. 11. 21. *(ſicut ipſe teſtatur)* a forſitan in cinere & cilicio pœnitentiam egiſſent? *Aut cur in Aſiâ & Bithyniâ Apoſtolum vetuit verbum ſalutis annunciare? Quòd ſi iſta nequeunt comprehendi, redeant ad ſe, & invenientes ſe homines deſinant quærere cur alios ſalvet gratuito dono, alios derelinquat juſto & occulto judicio, qui poteſtatem habet ex eâdem maſſâ aliud vas facere in honorem, aliud in contumeliam, & clament unâ nobiſcum, immò juxta Apoſtolum,*
b Rom. 1. 33. b O altitudo, &c.

Auguſtinianam interpretationem ſecutus quoque eſt Gregorius Magnus, vel quiſquis eſt auctor Commentarii in primum Regum L. 5. ſub finem in illud capitis 14. *Quocumque ſe vertebat, ſuperabat. Quia*, inquit, *dum de omni genere peccatores ad*

*vitam trahit, triumphare ubique cognoſcitur. Hos nimirum triumphos agere ſuos Milites, ſuos Principes imperabat Dominus, cum dicebat:* [a] Ite in orbem univerſum & prædicate Evangelium omni Creaturæ. *Omni Creaturæ Evangelium prædicare incipit, qui omnia genera hominum duci ad fidem voluit: ut dum nobiles Regum ſuorum triũphos oſtenderet, eos ſuperare ubique monſtraret. Unde ſcriptum eſt:* qui vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire. *Omnes quippe homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quia de omni hominum genere eligit, quos ad gaudium trahit.*

[a] *Marci* 16. 15.

Mitto Bedæ commentarium in omnes Pauli Epiſtolas confectum ex ſolis Auguſtini verbis ac ſententiis; ubi auctor in Epiſtolam ad Timotheum verba Enchiridii adoptans, Auguſtinianam quoque ſententiam adoptavit.

## CAPUT X.

### *De Lupo ſervato.*

Contro-verſia Go-theſcalca-na.

SÆculo IX. exorta eſt gravis controverſia, quæ univerſam propè Galliam ſcidit in duas partes; Epiſcopoſque cum Epiſcopis, Concilia cum Conciliis commiſit. Novam quæſtionem in Gallias invexerat Gotheſcalcus Orbacenſis Monachus & Presbyter: qui Româ rediens, cum divertiſſet ad Comitem Eberardum, de geminâ prædeſtinatione bonorum ad vitam, malorum ad pœnas ſempiternas prolatis in medium pluribus & Auguſtini & Fulgentii teſtimoniis privatim ac publicè diſſeruit. Rabanus Maurus Moguntinenſis Epiſcopus re ex Nothingo Epiſcopo cognitâ Literas x. Cal. Maii an. 848. ad Comitem dedit; in quibus eum hortatur, ut ne Gotheſcalcum ſinat falſa in

vulgus edere. Alias quoque non diſſimiles dedit ad Nothingum. In his contendit impios ad peccatum non prædeſtinari; qua de re, ut ab Eccleſiâ Lugdunenſi in Lib. de tribus Epiſtolis cap. 4. obſervatum eſt, nulla erat quæſtio: nonnulla ſimul inſerit de libero arbitrio decerpta ex Eccleſiaſticis dogmatibus Gennadii. Sic Gotheſcalcus ex Italia decedere coactus Moguntiam eodem anno venit ad Rabanum, moxque ab eo productus in Synodo geminam, ut antè, prædeſtinationem palam aſſeruit: liberi arbitrii notionem ex Libris Auguſtini adverſus Pelagianos petendam eſſe contendens Rabanum ex Semipelagiagianis fontibus depromentem liberè reprehendit: *omnes quos Deus vult ſalvos fieri, ſine dubitatione ſalvari* pronunciavit; *nec eſſe quemquam, quem Deus ſalvari velit, & non ſalvetur, quia*

*Deus noſter omnia quæcumque voluit fecit.* Qúæ ſunt verba Fulgentii. Poſtremò adjecit illud, impios, quorum redimendorum causâ Chriſtus venit, *irretractabiliter ſalvari*, eumque *reproborum perpetualiter Salvatorem eſſe noluiſſe.*

Cùm Patrum auctoritate fretus in ſententiâ perſeveraret, nec Rabani minis moveretur, deductus eſt ad Hincmarum Remenſem, & ab iſto in Cariſiaco Epiſcoporum tredecim, Chorepiſcoporum duorum, Abbatum aliquot conventu, Sacerdotali dignitate exutus, damnatus, cæſuſque eſt an. 849.

In judicio Epiſcopali tria damnationis capita commemorantur: primum, quòd eſſet contra leges à Chorepiſcopo creatus Presbyter: ſecundũ, quod Presbyteri gradu abuſus eſſet ad perverſam doctrinam & pravos mores: tertium denique, quod &

Eccleſiaſtica & civilia negotia tractaſſet. In Monaſterium Altivillarenſe poſtmodum, ſimulque in perpetuum carcerem detruſus eſt. Ea res plures Epiſcopos, doctoſque commovit adverſus Hincmarum, multò plures verò poſteaquàm in novo paucorum Epiſcoporum conventu conſtituta ab eo ſunt capitula quatuor, *eademque raptim, nec inſpectis codicibus*, ut teſtatur ipſe. Primum eſt adversùs geminam prædeſtinationem : ſecundum de libertate arbitrii in primo homine amiſsâ & per Chriſtum reparatâ: tertium ſic concipitur: *Deus omnes homines ſine exceptione vult ſalvos fieri, licet non omnes ſalventur : quod autem quidam ſalvantur, ſalvantis eſt donum. Quod autem quidam pereunt, pereuntis eſt meritum*: quartum eſt de Morte Chriſti pro omnibus & ſingulis omnium temporum hominibus oblatâ. Antequam vulgarentur

& poſtquam vulgata ſunt capitula, major Eccleſiæ Gallicanæ pars reſtitit Hincmaro. Capitula ipſa Concilium Valentinum deinde proſcripſit, Epiſcopi & Docti complures ſcriptis refutarunt, è quibus pauca quæ ad quæſtionem noſtram pertinent, proferã.

Antequam capitula ederentur, in ipſo controverſiæ exordio Lupus Servatus Moguntinus Preſbiter; ſive idem eſt, ac qui poſtea Ferrarienſis Abbas fuit, ut nonnullis placet; ſive ab eo diſtinguitur, ut viſum eſt aliis; ſcripſit librum de tribus quæſtionibus an. 849. ut ipſe in libri limine teſtatur. In prima, quæ eſt de libero arbitrio, n. 26. hæc habet. a *Nam quod venerabilis Paulus ait*, qui vult omnes homines ſalvos fieri: *non ſic accipiendum eſt, quaſi cum Deus velit generaliter omnes fieri ſalvos, quibuſdam impedientibus impotentiſſimis non valcat omnipotentiſſimus implere quod velit: ſed*

a *Apud Mauguin. Tom. 2. p. 24. & 25.*

*ita potiùs quòd illis ſive volentibus, ſive nolentibus (namplures infantili ætate baptizati, non horum habentes diſcrimen, mox vitâ excedentes transferuntur ad gloriam) ſalvantur omnes quoſcumque ille ſalvare voluerit.* Omnes *ergo vult ſalvos fieri homines, ſed non alios, quàm qui ſalvantur. Quo elocutionis genere uſus eſt Evangeliſta Joannes his verbis:* a qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum: *non quòd fidei luce omnes in hunc mundum venientes illuminet; quod ſentire perquam abſurdum eſt, quando quidem plures infidelitatis tenebris obſcurentur: ſed eos videlicet qui illuminantur: dum non ab alio, niſi ab illo illuminantur.* Omnes *autem non ſemper univerſitatem generaliter, verùm aliquando exceptionem quandam peculiariter comprehendere etiam ipſe Apoſtolus, de cujus deliberatur ſententiâ, idoneus auctor eſt, ubi ait* b ſicut per omnia omnibus placeo. *Namque non*

a *Joan.* 1. 9.

b 1. *Cor.* 10. 33.

*placebat his.... à quibus ridebatur... placebat autem ſolis fidelibus qui tot erant, ut merito dici poſſent omnes.* Reliquas deinde interpretationes Auguſtini duas ſubjicit & probat. Voluntatem generalem tam apertè rejicit, ut ſi qua ex ejus verbis argumenta ad id confirmãdum proferrentur, loco per ſe clariſſimo plus afferent tenebrarum, quàm luminis. Duo tantummodò obſervanda ſunt, primum eſt dicendi genus, quod Lupus uſurpavit, *non ſic accipiendum eſt*, quo voluntas generalis prorſus excluditur. Alterum eſt id quod ſuperiorem Lupi ſententiam proximè præcedit. *Cur iſtos, non illos ſalvet Deus, aut cur non potius illos, quàm iſtos, jam hoc ſupra hominem eſt...* [a] quis *enim* cognovit ſenſum Domini?... *Igitur ut itidem ait* [b] cujus vult miſeretur & quem vult indurat. *Miſeretur exuberante bonitate, indurat nullâ intercedente iniquitate, in-*

a Rom. 11. 34.

b Rom. 9. 18.

*durat autem non ad peccatum impellendo... ſed in peccato deſerendo, quia ipſe quorum vult ſolum liberator eſt: & utique ut eſt quorumdam; ſi voluiſſet, eſſe potuiſſet & omnium.* Omnia *enim* quæcumque voluit fecit. *Sed ita voluit miſericordiam, ne in aliquo infirmaret juſtitiam.* Quibus in verbis principium interpretationis Auguſtinianæ potiſſimum continetur, id eſt, ſemper & in omnibus efficaciſſima Dei voluntas. Nam propterea ſtatim negat ſententiam Apoſtoli ſic generatim accipiendam eſſe, quaſi Deus omnes ſine exceptione ſalvos eſſe velit.

Ratramnus Corbeïenſis ſub idem tempus unicam de geminâ prædeſtinatione quæſtionem pertractavit, quæ velut princeps & caput cæterarum videbatur; ſic tamen ut principia noſtræ per totum ejus opus velut ſparſa reperias.

Lupus verò Ferrarienſis ſub annum 850. & in Epiſtolâ breviſſima, & in libro ſingulari, quod totum pæne conflatum eſt ex veterum ſententiis, de libero arbitrio, de prædeſtinatione, & morte Chriſti diſputat, nullam Apoſtolicæ ſententiæ, *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, mentionem facit, quamquam ea ponit principia, ex quibus voluntas generalis excluſa facilè intelligatur. Chriſti enim mortem pluribus prodeſſe, & ſemper profuiſſe nihil vetat, quos Deus nec voluerit, nec propriè velit eſſe ſalvos: eos verò Deum ſalvos eſſe velle propriè, pro quibus Chriſtus mortuus negetur, nemo hactenus, quem ſciam, affirmavit. Chriſtus à patre miſſus eſſe creditur, & ſemper creditus eſt, ut quos Deus vult ſalvos eſſe liberaret, & ad æternam fælicitatem perduceret. Quæ cum ita ſint, Lupum Ferrarienſem, & cæteros omnes, qui Chriſtum pro

omnibus ac ſingulis mortuum eſſe negarunt, teſtes citare poſſum, hoc eſt, ſæculi IX. ſcriptores doctiſſimos & ſanctiſſimos, Concilia quoque Epiſcoporum. Non alios tamen citabo, quàm eos ipſos qui quæſtionem noſtram attigerunt.

## CAPUT XI.

### *De Prudentio Tricaſſino, & Floro Diacono.*

CUm Hincmaro, & Pardulo Laudunenſi incitantibus, Scotus Erigena ſcripſiſſet de prædeſtinatione adversùs Gotheſcalcum ſub an. 851. quo in opere dum commentitiam hæreſim inſectatur, incidit in Pelagianam: in profanum hominem commota eſt Eccleſia Gallicana.

Extat ingens Prudentii Tricaſſini volumen, in quo ſingula hominis commenta ſolidè refutantur.[a] In libro 2. cap. 2. integram Auguſtini ſententiam ex c. 102. &

[a] *Apud Mauguin. Tom. 1. p.*

*219. & 220.* 103 Enchiridii producit, treſque interpretationes Auguſtinianas approbat, quibus voluntas generalis apertiſſimè configitur. Aliud Prudentii teſtimonium inſigne poſtea proferam.

Florus quoque Diaconus Lugdunenſis Eccleſiæ nomine ſcripſit adverſus Erigenam, nec voluntatem generalem obſcuriùs confixit cap. 2. n. 8. [b] *Sequitur ille* Erigena, *& dicit*; & quicquid de Divinâ voluntate intelligitur, de prædeſtinatione Dei ſentiri debere. *Hæc definitio in eò nobis placet, quia voluntatem Dei dicit prædeſtinationem Dei. Quid eſt enim aliud prædeſtinatio Dei, quam æterna & incōmutabilis voluntas Dei ad opera ſua? Neque enim Deus neceſſitate ſed volūtate prædeſtinavit, quæcumque prædeſtinavit. Et ſicut* omnia quæcumque voluit fecit, *ſic omnia quæcumque prædeſtinavit, implevit; immò jam fecit; ſicut de eo Propheta dicit* [c] qui fecit quæ fu-

b. *Ibidem. p. 602.*

c *Iſaïa 45. 11. ſe-*

tura ſunt. *Conſequens ergo omnino eſt, ut & illud quod de Deo dicit Apoſtolus;* qui vult omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: *ſicut eſt in prædeſtinatione Dei, id eſt, ut quos prædeſtinavit Deus æternâ voluntate ſuâ ex omni genere humano electos, ipſos* omnes velit ſalvos fieri, & ad d agnitionem veritatis venire. *Videlicet quia omnino ab Apoſtolo dictum eſt;* cujus vult miſeretur, & quem vult indurat: *ita & de prædeſtinatione Dei certiſſimè teneatur: ſcilicet quod æterna prædeſtinatione, ſicut æterna voluntate ſuâ* e Jacob dilexit, Eſaü autem odio habuit. *Et* f ex eadem maſſâ fecit aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam; *ſed illud bonitate ſuâ, iſtud juſto judicio ſuo ut eſſent alii* g vaſa iræ, *alii* vaſa miſericordiæ

*cundum lxx.*

d *Rom.* 9. 18.

e *Ibid v.* 13.

f *Ibid v.* 21.

g *Ibid v.* 22. & 23.

Quo in loco non modò obſervanda eſt ſententiæ Apoſtolicæ interpretatio Auguſtiniana, ve-

rùm etiam principium in quo maximè nititur. Prædeſtinationem enim ſemper impleri ait, quia voluntas Dei ſemper impletur; & prædeſtinatio nihil aliud eſt quàm voluntas Dei. Quod eſt voluntatem generalem prorſus excludere, quæ impleretur in pauciſſimis. Obſervandum quoque eſt voluntatem Dei, ut ex totâ Flori argumentatione liquet, non latiùs patere, quam prædeſtinationem, uno verbo prædeſtinationem & voluntatem in Deo reciprocari: utramque certam eſſe & immutabilem, utramque ſemper & in omnibus efficaciſſimam. Nulla igitur in Deo voluntas generalis de ſalute omnium & ſingulorum, quæ eſt, ut S. Thomas docet, ac plerique deinceps Theologi, ſimplex quædam *velleitas*, ideoque ſterilis; rem generatim conſiderans; non particulatim, ſive ex propriis circumſtantiis: cum prædeſtinatio

ſit voluntas rata, perfectaque de re aliqua ſpectatis omnibus circumſtantiis. Florus denique ex loco Apoſtoli prædeſtinationem concludit; quod ineptiſſimum eſt, ſi ad omnes & ſingulos, hoc eſt, ad alios quàm ad electos pertinere exiſtimavit.

## Caput XII.

### *De eodem Prudentio & Remigio Lugdunenſi.*

UT an 853. vulgata ſunt Capitula Hincmari, Prudentius ſtatim reſtitit, uti ex ejus Epiſtolâ tractoria ad Synodum Senonenſem cognoſcimus. Synodus convenerat, ut Æneas, qui jam deſignatus eratEpiſcopus Pariſienſis, communi Epiſcoporum provincialium conſenſu & ſuffragio confirmatus conſecraretur. Prudentius, qui propter infirmitatem adeſſe non potuerat, per literas ſignificavit de Æneâ

ſe non aſſentiri, niſi inter cætera *credat & confiteatur cum omnibus Catholicis Sanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti pro omnibus hominibus ex toto mundo in eum credentibus fuſum : non autem pro illis, qui nunquam in illum crediderunt, neque hodie credunt, nunquamque credituri ſunt, dicente ipſo Domino* [b] venit enim filius ho„ minis non miniſtrari, ſed miniſ„ trare & dare animam ſuam in re„ demptionem pro multis. Niſi præ„ terea *credat atque confiteatur Deum omnipotentem omnes quoſcumque vult, ſalvare, & neminem poſſe ſalvari ullatenus, niſi quem ipſe ſalvaverit: omnes autem ſalvari quoſcumque ipſe ſalvare voluerit. Ac per hoc quicumque non ſalvantur, penitus non eſſe voluntatis illius* „ *ut ſalventur, dicente Prophetâ;* [c] om„ nia quæcumque voluit Dominus „ fecit in cœlo & in terra & in om„ nibus abyſſis. Et eſt poſtremũ hoc „ adversùs tertium capitulum Ca-

a *Apud Mauguin. Tom. 2. p. 280.*

b *Mat. 20. 28.*

c *Pſal. 134. 6.*

riſiacum, cujus antè memini. Cætera quæ à Prudentio in eadem Epiſtolâ conſtituuntur, ex adverſo pugnant cum reliquis Hincmari capitulis.

Remigius Lugdunenſis Epiſcopus, vir cùm pietate, tum doctrinâ percelebris de eadem controverſiâ ſcripſit, & antequam capitula Cariſiaca vulgarentur, in libro de tribus Epiſtolis; & poſtea quàm vulgata ſunt, in libro de tenenda veritate Scripturarum. Prior editus eſt an. 853. poſterior an. 854.

Prioris occaſio fuit Epiſtola Hincmari; altera Parduli ad Amolonem: tertia Rabani ad Nothingum, quam poſteriorem literis ſuis adjunxerat Hincmarus, ut in partes Amolo faciliùs traheretur.

Remigius, qui poſt ſcriptas literas Amoloni ſucceſſerat, libro ſingulari reſpondit; & quia quinque in Gotheſcalco capita

reprehendebantur, è quibus tertium eſt illud: [a] *Et Deus non vult omnes homines ſalvos fieri, ſed eos tantùm qui ſalvantur. Et quod dicit Apoſtolus*, qui vult omnes homines ſalvos fieri, *illos dici omnes qui ſalvantur*: judicium de ſingulis ſuum interpoſuit.

[a] *Apud Mauguin. Tom. 2. p. 69.*

Ad Tertium hoc vero reſpondet [b] locum Apoſtoli perobſcurum variè à Patribus explicari: nec quidquam temere definiendum eſſe antequam & Scripturæ, & veterum teſtimonia diligentiùs excutiantur. Omnes quidem Deum ſalvos eſſe velle, quoniam id Apoſtolus docet. Nihilominus nec ſalvos eſſe omnes, nec veritatem cognoſcere. *Quomodo ergo Omnipotens Deus* & omnes homines ſalvos fieri vult, atque ad agnitionem veritatis venire; *& tamen non omnes ſalvantur, nec veniunt ad hanc agnitionem, cum alibi Scriptura dicat*: omnia quæcumque voluit, Dominus

[b] *Ibid a. pag. 85. uſque ad 90.*

minus fecit: *cur itaque hoc voluit, & non fecit, qui* omnia quæcumque voluit, fecit?

Locum quatuor potiſſimum modis à Catholicis Patribus explicatum eſſe admonet: è quibus priores tres ſunt Auguſtiniani, quos pluribus Scripturarum teſtimoniis communit. Quartum deindè ſubjicit Cap. XII. [a] uſurpatum à nonnullis Patribus: *ut ſimpliciter accipiatur hoc de omnibus hominibus, quantùm in ipſo eſt, Deum velle, eò quòd omnes ſalvari velit bonitate creatoris: ſed quia liberi arbitrii eos condidit, expectet, ut hoc etiam ipſi velint: & ſi voluerint juſtè ſalventur: ſi noluerint juſtè puniantur.* Cui modo illud maximè adverſari ait, quòd Deus voluntatem bonam efficiat, eamdemque niſi ab ipſo nullus habere poſſit. Deus ergo non expectat voluntatem noſtram, qui auctor ipſe eſt bonæ voluntatis & boni operis.

[a] *Ibidem. P. 88.*

Quod ſi ita eſt, nec ab aliis negatur, quàm à Pelagianis, Semipelagianiſque: *An quòd vult, non poteſt Omnipotens? ut, quod abſit, velit ſalvare omnes homines, nec poſſit. Quid ergo reſtat, niſi ut ille qui* omnia quæcumque voluit, fecit, *ideo hoc non faciat, quia nolit; non quia non poſſit? quia ſicut verè* omnia quæ voluit, fecit; *ita verè noluit, quæ non fecit. Cur ergo noluit, niſi quia in hac re, ſicut juſtum, ita occultum eſt judicium ejus?.... Quos ergo voluit ſalvare, ſalvavit: quia* omnia quæcumque voluit, fecit. *Quos autem ſalvare noluit, ubi, niſi in illâ ex Adam veniente maſſâ damnationis reliquit? Ita fit etiamſi ſecundum pium quorumdam Patrum piorum ſenſum Deus omnes homines vult ſalvos fieri bonitate Creatoris, quâ creaturam ſuam benè à ſe conditam perire non vult, idipſum iterum nolit judicis æquitate, quâ eamdem creaturam ſuam*

*el originali, vel etiam actuali eccato nequiter inquinatam & viatam impunitam eſſe non ſinit. n tantùm enim neminem vult perire, nec voluntas ejus alicui cau- perditionis exiſtit, ut per Prophetam etiam juret & dicat:* a vi- o ego dicit Dominus, quia no- mortem impii, ſed ut revertur à via ſuâ impiâ, & vivat: *tamen ipſe qui non vult mortem pii, perſeverantem in impietate impium proculdubiò punit. Ita uno atque eadem homine & boatem, & ſeveritatem ſuam oſdens; bonitatem, quâ non vult n perire: ſeveritatem, quâ perverantem in iniquitate non vult unitum relinquere. Si ergo hoc d de uno homine diximus, de verſo genere hominum pereunm ſimiliter intelligatur, poteſt tan non abſurdè dici, quòd Deus nes homines velit ſalvos fieri bote Creatoris: & tamen eos quos ignos ſalute judicaverit, juſtâ*

a *Ezech. 33. 11.*

*judicis ſeveritate non ſalvet.*

Hæc ille de quarto modo, quem negat abſurdum eſſe. Rem paucis explico. Voluntas Creatoris refertur ad hominem, ut ipſe ait, *bene conditum*, hoc eſt ſpectatum ex primâ conditione originis : voluntas verò judicis ad eumdem ut *Originali vel etiam actuali peccato nequiter inquinatū & vitiatum*.Deus Adamum, ejuſque poſteros condere conſtituens ad æternam beatitudinem creare ſimul conſtituit, ut conceditur ab omnibus. Quoniam verò æterna Dei voluntas cauſa eſt rerum omnium efficiens, eademque planè immutabilis, per eamdem Dei voluntatem nos quotidiè naſcimur, per quam primus Homo conditus eſt : vel ut apertiùs dicam, prima illa voluntas creandi hominis ad æternam beatitudinem, ut fuit Adami, ita quoque eſt cauſa efficiens poſterorum omnium. Neque e-

nim voluntas Dei, ut noſtra, mutabilis eſt, aut perit. Deus ergo, ut Creator, vult adhuc, quod ab æterno voluit, omnes ſalvos eſſe, quos & ad ſe cognoſcendum, amandumqûe, & ad æternam beatitudinem creavit, creatque in ſingulos dies. Quia tamen id volens conditionem poſuerat, quam violavit primus Homo, totaque in eo poſteritas: voluntas iſta jam nobis eſt inutilis. Et quia pertinet ad omnes omnino, id eſt, & ad nos qui hîc vivimus, & ad damnatos, qui æternis ſuppliciis afficiuntur, quique ut iſtâ voluntate conditi ſunt, ita quoque nunc conſervantur: hinc antiqui gratiæ defenſores, dum Apoſtoli locum interpretantur, ad eam minimè confugiunt. Primus omnium, quem ſciam, Remigius noſter eamdem adhibuit, & ad eam veterum nonnullorum dicta accommodavit. Propterea, ut ego

quidem exiſtimo, Synodus Valentina, cui præſidebat Remigius, capitula Hincmari omnia generatim proſcripſit, tria tantummodò nominatim & diſtinctè, nullâ mentione factâ voluntatis generalis, quam Remigius commodè interpretabatur. Fuit autem ille ea moderatione animi, ut neutram ſententiam, hoc eſt, & eorum qui voluntatem generalem reſpuebant cum plurimis Patribus; & eorum qui admittebant cum aliis, damnari notarive pateretur. Quamobrem Hincmarum primos damnantem & ad dogma trahentem id de quo diſputabatur, damnavit proſcriptis in C. Valentino capitulis Cariſiacis: opriam Hincmari ſententiam non damnavit. Sed ipſe audiendus eſt, cujus moderationem ſi imitarentur adverſarii, nullam hîc quæſtionem haberemus.

a *Ibid cap. 13. p. 90.*

[a] *In tribus itaque prioribus modis*, Auguſtinianis, *intelligentiæ eo-*

*rum verborum , quibus de Deo dicitur*:quí vult omnes homines ſalvos fieri,&c. *nulla abſurditas , nulla repugnantia fidei invenitur : quia ſive omnes homines , quos Deus vult ſalvos fieri, omnia hominum genera accipiantur : ſive omnes homines ſalvos fieri Deum velle ita intelligatur, quia omnes qui ſalvantur , non niſi ejus voluntate ſalvantur : ſive eo modo dictum credatur : omnes homines Deum velle ſalvos fieri ; quia in ſanctis ſuis pſe hoc vult, qui eis talem voluntatem inſpirat, ut omnes homines velint ſalvos fieri ſicut ſeipſos. In is, inquam ; omnibus & vera omnino & ſalubris intelligentia eſt. In uarto autem modo illud ſine dubio cavendum, quia & occaſionem elagianæ pravitati præbet, quòd eum, ut ſalvet homines, humanas xpectare aſſerit voluntates. Contra quem errorem* canonem quarum Arauſicanæ Synodi produit. Et mox. *Quod autem ibi ſim-*

*pliciter intelligitur Deum omnes homines ſalvos fieri bonitate ſcilicet creatoris, ita, ut putamus, fideliter poteſt recipi, ſi hanc voluntatem bonitatis ſuæ erga ſalutem hominum non credatur humanâ obſiſtente voluntate implere non poſſe, ſed obſiſtente humanâ iniquitate implere nolle. Quæ omia cum tam obſcura ſint, & tam profunda, atque perplexa, nollemus inter fratres & cariſſimos noſtros aliquid de his contentiosè ventilari, vel temere definiri, ſed potiùs quod in eis certum eſt ſine dubitatione defendi. Quod autem etiam inter magnos diverſo modo, ſed non diversâ pietate ſentientes ambiguum atque incertum remanſit, etiam apud nos reverenter honorari, quia neutrum eorum videtur eſſe falſum, vel fidei contrarium: & magis in talibus inquietos & contentioſos ad tranquillitatis & ſobrietatis modeſtiam provocari, quàm pro inuſitatis & minùs elucentibus rebus aliquem immode-*

*ratâ auſteritate & ſeveritate dãnari.*

Poſt vulgata capitula, in libro de tenenda veritate ſcripturæ ſub an. 854. edito ſcribit quæſtionem de voluntate Dei unam eſſe ex illis profundioribus, quarum fit mentio in Cœleſtini literis: de eâ varias eſſe doctorum ſententias, aliis voluntatem generalem excludentibus, deffendẽtibus aliis; omnibus tamen pacificè in proprio ſenſu abũdantibus. *Quam* [a] *pietatis moderationẽ ſi etiã iſti boni viri, qui hanc novam definitionem ſtatuerunt, ſervare voluiſſent, meliùs hanc rem ſilentio, prætcriiſſent, & uniquique de eâ ſecundùm fidem ſuam & auctoritatem, cui magis acquieſcendùm putaret, ſentiendum permitterent; finitoque inter eos tam longæ & pernicioſæ contentionis jurgio pax & unitas Chriſti Eccleſiæ reformaretur. Ecce enim aliquis ſentiat & dicat, ſicut etiam antiquitùs & ſenſum eſt & dictum: non dixit Apoſtolus univerſaliter*

[a] *Ibid* 212.

*& generaliter &, ut iſti addiderunt, ſine exceptione* : qui vult omnes homines ſalvos fieri : *ſed ſpecialiter ad eos retulit, de quibus ſuprà dixerat*, pro omnibus Regibus, & his qui in ſublimitate ſunt; *ut quod dixit*, omnes, *omnia genera hominum intelligi voluerit, omnium ſcilicet gentium, ſexuum, conditionum, ordinum, dignitatum. Quid habet hæc intelligentia inconſequens, aut contrarium veritati? Item alius dicat & ſentiat, ſicut etiam à quibusdã majoribus dictum & ſenſum reperitur. Apoſtolus cum ſuperiùs orari juſſiſſet* pro omnibus hominibus, pro Regibus & his qui in ſublimitate ſunt; *poſt illa omnia generaliter de univerſo genere humano ſubjunxit* : qui vult omnes homines ſalvos fieri : *quid habet mali, aut periculi etiam iſta intelligentia? neque enim qui ita ſentit, putat voluntati Dei, quâ* vult omnes homines ſalvos fieri; *aliquem reſiſtere & contraïre, ut*

*nonpoſſit implere quod velit. Et ambo ſibi, & iſte videlicet, & ille diverſa ſentientes fideliter atque unanimiter concordant.* O dignam tanto Epiſcopo ſententiam, quæ vel ſola, ſi ab omnibus admitteretur, diuturnas dirimeret & graves controverſias! Adverſarii, quoniam ita volunt, locum Apoſtoli generatim intelligant, ut non abſurdè intelligi poſſe Remigius concedit: non ægre patiar. Ut opinionem ſuam tanquam Eccleſiæ Catholicæ dogma tueantur; ut hæreticorum loco habeant diſſentientes à ſe Theologos; ut Patrum, à quibus Remigio teſte excluſa eſt voluntas generalis, auctoritatem vel derideant, vel inſigni temeritate ad ſtultos & ridiculos ſenſus detorqueant, quis æquo pati animo poſſit? Epiſcopi ſanctiſſimi conditionem accipimus. Unuſquiſque in proprio ſenſu abundet. [a] *Quolibet quis acquieſ-*

[a] *Ibidem.*

*cat modo non eſt hæreticum, niſi contentione fiat hæreticam.* Expônant pacificè quid ſentiant, ſolidè ſi poſſint, tueantur, nec inſultent diſſentientibus. *Nam qui non tranquillè & pacificè moderatur quod ſentit, ſed ſtatim paratus eſt ad cõtentiones, diſſenſiones & ſcandala, etiamſi non habeat hæreticum ſenſum, certiſſimè habet hæreticum animum.*

Cæterum hæc qualiſcumque voluntas generalis, quam utì non improbabilem Remigius admitti poſſe exiſtimavit, nihil favet Petavio, vel cæteris qui pro voluntate generali non ſecus ac pro Religionis ſummâ decertant. Nam voluntas generalis, quam in Eccleſiam, Patribus, ac Teologis pleriſque reſiſtentibus, invehere conantur, eſt certa & efficax mediorum omnium quæ ad ſalutem neceſſaria ſint præparatio. Eaque media vel omnibus præberi ſentiunt, vel certè aliqua, quibus ſi utuntur (& quo-

minùs utantur, nihil eis neceſſarium deeſt) cætera omnia promereantur. Ita voluntas Dei de ſalute hominum conditionata eſt, qualem fere de Adami & Angelorum ſalute Auguſtinus extitiſſe docet. Cui opinioni nihil commune eſt cum Remigianâ. Nam Remigius etſi affirmat omnes Deum ſalvos eſſe velle bonitate creatoris, maximam nihilominus partem hominum iis quę neceſſaria ſunt ad ſalutem carere & ſemper caruiſſe ſimul contendit. Ita in libro de tenendâ veritate ſcripturæ. a *Certè illud in hac quæſtione manifeſtum eſt, quod etiamſi generaliter, & indifferenter* omnes homines Deus vult ſalvos fieri; *in aliorum tamen cordibus benignitate miſericordiæ ſuæ operatur eamdem bonam voluntatem ſuam, ut & ipſi ſalvari velint, atque ſalventur.* Quia operatur in nobis velle & perficere. *In aliorum autem cordibus non operatur*

a *Ibid. p. 213.*

*hanc ſalutarem voluntatem*, *ſed dimittit eos ſuo arbitrio*, *ut quia noluerunt credere, juſtâ ultione damnentur. Et hoc de illis quidem dici poteſt*, *qui verbum Evangelii audierunt*; *ſed duritiâ incredulitatis ſua recipere noluerunt.* De cæteris autem impiis qui ante Chriſtum extiterunt, & de illis qui poſtea vixere & vivunt, qui cum non audierint, credere non potuerint, nec poſſint: *numquid propterea damnabuntur? & tamen omnino damnabuntur pro aliis peccatis ſuis*, *& principaliter pro illo primo & originali peccato*, [a] in quo omnes peccaverunt: *quia non fruſtra ſcriptum eſt:* [b] effunde iram tuam in gentes, quæ te non noverunt; & in regna quæ nomen tuum non invocaverunt. *Si quis de talibus interroget*, *quid in eis egerit voluntas Dei*, *qui omnes homines vult ſalvos fieri*, *& ad agnitionem veritatis venire*, *quid reſpondebitur? Nonne homo cautus*

a Rom. 5. 12.

b Pſ. 78. 6.

*& pius magis eliget tacere, aut ertè cum Prophetâ & Apoſtolo exlamare*: [a] judicia tua abyſſus a *Pſ. 35. 7.*
multa? Ita teſte Remigio de maima hominum multitudine, hoc ſt de iis omnibus qui à natione udaïcâ alieni ante Chriſtum vierunt, & de cæteris omnibus ui Evangelium deinde non auierunt, dici nullo modò poteſt, uid voluntas illa generalis egeit. Remigio longè inſtructior eſt etavius, qui gratiam omnibus ari aït, talem ut vel ipſa per e ad ſalutem conſequendam eniſſimè ſufficiat; vel certè ad promerenda quæ ſufficiant. n in eadem ſententia fuit Regius & ſcriptores ejuſdem ſæli, conſequens eſt ut ejuſmodi tiam à Chriſto profluere non ediderint, qui Chriſtum pro is fidelibus, ſive antè, ſivè poa vixere, paſſum eſſe teſtantur. uod Petavius ipſe non obſcuindicavit L. 13. de Incarnatio-

ne cap. 14. n. 8. *Atque hoc Lugdunenſes illos*, inquit, *& ſi qui extiterunt alii, qui mediatoris pretium in ſalutem omnium impenſum fuiſſe negarent, fefeliſſe videtur: quod nullum omninò fructũ infideles aliquos ex illius cepiſſe ſanguine putarent, eò quòd caruiſſent interiore illa permotione gratiæ, quæ à fide incipit.*

Cæterum Remigius, ut Florus, Auguſtini ſententiam ſecutus eſt; prædeſtinationem gratuitam pluribus in locis conſtituit, nec perſeverantiam ſingulare Dei donum eſſe, idemque ad conſequẽdam ſalutem omnino neceſſariã inficiatus eſt: quod ab eo negari non poteſt, qui prædeſtinationem verè & propriè gratuitam concedit. Hoc autem ſemel poſito, conſtitutoque, ut etiam ab omnibus qui Auguſtini doctrinam ſequuntur, poni, cõſtituique neceſſe eſt; voluntas conditionata de fidelium omniũ ſalute configitur; quæ ut ſincera ſit, conditio tota

ex ſolo voluntatis nutu pendere debet. Verum quidem eſt juſtos omnes qui peccando à juſtitiâ deficiunt, potuiſſe non peccare, cum peccatum liberum ſit; & eos idcirco in culpâ eſſe, quod minimè perſeveraverint: ſed conſtat quoque apud Auguſtinum & ſinceros prædeſtinationis gratuitæ defenſores; juſtos qui perſeverant, à juſtitia ſimiliter defecturos eſſe, niſi ſingulari perſeverantiæ dono protegerentur. *Nam ſi in tantâ infirmitate vitæ hujus ipſis relinqueretur voluntas ſua; nec Deus in eis operaretur, ut vellent; inter tot & tantas tentationes voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent; ut non ita vellent infirmitate voluntatis, ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur; & ideo quãvis infirma, non tamen deficeret;*

a *Auguſt. in l. de cor. rept. & grat. n. 38.*

*neque adverſitate aliquâ vinceretur.*

Atque hinc patet, quàm ineptè voluntatem conditionatam & generalem ex Floro & Remigio extundere conetur. Neque enim aliud dicunt illi, quam quod & nos antea conceſſimus, & ab omnibus conceditur; Deum non eſſe cauſam peccati, reprobos idcirco deſtinari ad pœnam, quod propriâ voluntate peccaturi præſentiantur; damnarique, non quia boni eſſe non potuerint, ſed quia boni eſſe noluerint.

a *l. 13. de incarnatione cap. x. n. 3.*

*Quod autem dixi*, [a] inquit Petavius, *& in hac diſputatione cogor repetere, non eſſent accuſandi voluntariæ, id eſt, liberæ permanſionis in malo, ſi nullam Deus voluntatem haberet tribuendæ illis ſalutis, & quod idem eſt, perſeverantiæ: nec privatâ culpâ & vitio, ſalutis jacturam facere dicerentur, ſi nullo modo eam conſequi poſſent. Quis enim prudēs & ſobrius inquirenti, cur Diabolus nunc ſalutem*

*dipiſci nequeat, aut à damnatione berari, reſpondendam putet, ideo eri, quia nolit? Nam qui ita lo-uitur .... neceſſariò iſtud etiam citus ſignificat; eſſe in te comparan- poteſtatem, qua uti, ſi velles, ſſes.*

Quæ tota argumentatio cogi potest: Deus eos omnes vo-ntate generali, & conditionatâ ılt ſalvos eſſe, qui liberè & pec-nt, & in peccato perſeverant; l qui ideo pereunt, non quia oni eſſe non potuerint, ſed ıia boni eſſe noluerint: atqui xta Florum, Remigiumque ta-eſt reproborum omnium con-tio: ergo Deus reprobos om-s voluntate generali & condi-onatâ vult eſſe ſalvos, & ſi bo-ſint, perſeverare in bono.

Sed prima propoſitio, utì fal-rejicitur ab iis omnibus, qui luntatem generalem rejiciunt. ım illa voluntas conditionata generalis, ut ſincera ſit, ta-

liś eſſe debet, ut quicquid neceſſarium eſt ad ſalutem omnibus exhibeatur; ut media conceſſa omnibus pleniſſimè ſufficiant; ut conditio quæ exigitur, tota pendeat ex ſolo voluntatis nutu. Peccatum liberè velle, bonum liberè nolle, vel deſerere, eſt conditio naturalis hominis quandiu vivit. *Nam* ut ait Florus in eodem ilb. adverſùs Erigenam cap. 4. a *remanſit liber ad malum: quia ſicut liberâ voluntate deſeruit bonum; ita liberâ voluntate adhæſit malo. Habet liberum arbitrium, quo poſſit aſſurgere ad bonum; ut autem aſſurgat ad bonum non eſt propriæ virtutis, ſed gratiæ Dei miſerentis. Habet liberum arbitrium, ut poſſit bene velle, ut poſſit bene vivere, ut poſſit Deo adhærere: ſed ut bene velit, ut bene vivat, ut Deo adhæreat, non eſt ſuæ virtutis, ſed gratiæ Dei miſeretis.... & ideo rectè omnes admonentur, rectè omnibus verbum*

a *Apud Mauguin. tom. 1. p. 619.*

*ei prædicatur, quia habent poſſe redere, habent poſſe converti ad eum, ut verbo exvinſecùs admoonte, & intus Deo ſuſcitante, qui udiunt reviviſcant...... De hac oſſibilitate humanæ naturæ, quæ taen nihil valet abſque divinæ gratiæ largitate ita B. Auguſtinus doet, dicens :* [a] poſſe habere fidem, " [a] in l. de prædeſt. Sanct. n. 10.
cut poſſe habere caritatem, na- "
uræ eſt hominum : habere au- "
em fidem, ſicut habere carita- "
em, gratia eſt fidelium. [b] Sed " [b] Ibid. n. 11.
ura voluntas credendi aliis præ- "
aretur ; aliis non præparetur à "
Domino, diſcernendum eſt quid "
eniat de miſericordiâ ejus, quid "
e judicio. [c] *Univerſæ enim viæ* " [c] Pſ. 24. 10.
*Domini miſericordiâ & veritas.* [d] *In-* " [d] Rom. 11. 33.
*veſtigabiles* autem ſunt *viæ ipſius.* "
nveſtigabiles ejus ſunt, & miſe- "
icordia qua gratis liberat, & ve- "
itas quâ juſtè judicat. "

Hæc naturalis omniũ hominum conditio, quam Flori verbis expreſſi; voluntatem generalem &

conditionatã nullomodo conſti-tuit, niſi accedat aliud, hoc eſt gratia illa voluntatem præparans, quam in eodem loco Florus negat eſſe communem omnium: ut de gratia perſeverantiæ ad ſalutem omnino neceſſariâ & ſolis electis præparatâ taceam.

Comparatio, quæ ſumitur ex Dæmonibus, ineptiſſima eſt; qui cum voluntatem in malo confirmatam habeant, nec peccatum liberè volunt, nec bonum liberè nolunt. Quid hoc ad nos attinet, qui quandiu vivimus, ad utrumque liberrimè ferimur, quemadmodum ſuprà pluribus explicui?

Quàm inane ſit totum hoc ratiocinationis Petavianæ genus, ex alio capite non difficile eſt oſtendere. conſtat voluntatem generalem rejectam eſſe à Gotheſcalco. Verba hominis apertiſſima produxi, quem Hincmarus cum ob alia, tum propterea maximè damnavit. Qui pro Go-

theſcalco deinde ſcripſerunt, ut Prudentius, Remigius, Lupus Servatus, Florus, vel voluntatem generalem ab Hincmaro aſſertam excluſere, vel Hincmarum damnaverunt, quòd voluntas generalis ab eo in dogma traheretur. Quæ à nobis antè producta ſunt, tametſi pauca ex pluribus, id probant apertiſſimè: atqui Petavius non modò ex iſtis, verùm etiam ex Gotheſcalco voluntatem generalem elicere conatur, nec ob aliam rationem, quàm quòd ille in utrâque confeſſione ſuâ malos ad mortem propter peccata præviſa juſtiſſimè deſtinatos eſſe dixit. Ad has ineptas & abſurdas raciocinationes Petavium, ut opinor, impulit cùm cauſæ ſuſceptæ inopia, tum etiam tuendæ neceſſitas.

## Caput XIII.

## Caput XIII.

### *De Haimone.*

Haimo Halberſtatentis Epiſcopus, qui Concilio Moguntino adversùs Gotheſcalcum interfuit, & an 853. mortuus eſt; nihil à Gotheſcalco de voluntate Dei diſſenſit; ut conſtat ex ejus commentario in Epiſtolam priorem ad Timotheum. Sic enim Pauli ſententiam interpretatur: *cum enim pſalmiſta dicat:* omnia quæcumque voluit, Dominus fecit; *& Apoſtolus* : qui vult omnes homines ſalvos fieri: *quærendum eſt, quare omnes homines non ſalventur. Ad quod dicendum, quia verum eſt, quod Pſalmiſta dicit* : quia ipſe dixit, & facta ſunt. *Similiter omnes homines vult ſalvare qui ſalvantur, & qui per miſericordiam quærunt ſalvari. Totum enim pro parte poſuit Apoſtolus, ſicut & in Evangelio ubi dicit Dominus:*

*Edition. Par. 1550.*

*minus* : [a] ſi exaltatus fuero à Terrâ, omnia traham ad me. *Non enim omnes homines traxit, aut trahit ad ſe, ſed* omnia, *ſubaudis electa, & ex omnibus generibus & gentibus, & ex omni ſexu, & conditione, à Regibus uſque ad mendicum, à perfectis uſque ad puerum, vel infantem unius diei. Nemo tamen poteſt ſalvari, niſi quem Dominus vult, quia* ipſe cui vult miſeretur. *Si enim omnes homines in ſua perditione manſiſſent, rectum Dei judicium eſſet. Sed ut ejus miſericordia & potentia oſtenderetur, quia ipſe potens eſt omnes homines ſalvare; in illis qui pereunt oſtendit ſuum rectum judicium: & in his qui ſalvantur, ſuam miſericordiam. Prævenit enim nos ejus gratia, ut velimus. Debet noſtra voluntas voluntati illius concordare, & tunc ipſe dabit poſſe. Atque ex hoc quod ejus voluntati jungimus noſtram voluntatem, digni ſumus remuneratione: tamen totum illius gra-*

a *Joan.* 12. 32.

*tiæ eſt retribuendum, quicquid boni agimus.* Qui vult, *inquit*, omnes homines ſalvos fieri; *ſubaudis, qui ſalvantur*, & ad agnitionem *Sanctæ Trinitatis* venire: *quæ eſt ſumma & ſubſtantialis Trinitas.* Locus Haimonis apertiſſimus eſt, nec noſtris indiget commentariis. Docet auctor ſententiam Apoſtoli de ſolis prædeſtinatis intelligendam eſſe, quia *omnia quæcumque voluit Dominus fecit.*

Et hæc ex Patribus dicta ſint, quæ quamquam apud doctos & & ſapientes plenè ſufficiunt ad id conſtituendum quod propoſui, ac voluntatem generalem non eſſe dogma fidei Catholicæ probant: quia tamen cum adverſariis pertinacibus pugnamus, apud quos parum valet Patrum auctoritas, vel qui priſcos Eccleſiæ Doctores non alio ſolent habere loco, quàm veſtes vetuſtate confectas, ſolis interpolatoribus dignas & Mangonibus: pla-

cet ſcholaſticorum quoque nonnullorum ſententias adjungere, ut eorum ipſorum, in quibus maximè confidunt, auctoritate & numero obruantur.

## Caput XIV.

### *De Roberto Pullo.*

ROBERTUS Pullus Scholaſticorum omnium antiquiſſimus floruit ſub initia ſæculi XII. laudatus à S. Bernardo *ob ſanam Doctrinam.* Docuit Primùm in Academiâ Pariſienſi, Oxonienſem in Angliâ deinde condidit an. 1133. creatuſque Cardinalis an. 1144. obiit demum ſub an. 1150. In libro primo ſententiarum cap. 14. Auguſtinianam ſententiæ Apoſtolicæ interpretationem ſequitur, eam quam tertio loco poſui; cæteras quæ ad voluntatem generalem referuntur, penitus excludit. *In Epiſt. 205.*

Quæritur an deceat Sanctos

& Fideles Chriſtianos, qui optant omnium ſalutem, diſſentire à voluntate divinâ, quæ per ſeipſa non vult omnes ac ſingulos ſalvos eſſe.

Reſpondet Pullus licere omnino, idque etiam Deum velle, quamdiù ſingulorum exitus latet. *Nam ſi exitus eorum non lateret*, inquit, *divino diſſentire judicio non deceret: nec omnimodè diſſentimus, cum ipſe velit, ut ſic diſſentiamus*, qui vult omnes homines ſalvos fieri *& neminem perire*; NON IN SE, *quia* quæcumque voluit, fecit: *ſed in cunctis, quos ita facit velle*. Quem in locum ejus interpres Hugo Mathoud ſcitè obſervavit, difficultatis ſolvendæ rationem explicatiſſimam eos habere, qui voluntatem generalem tuentur: *dicendo Deum velle etiam, quantùm in ſe eſt, ſalutem omnium hominum*; *proinde Sanctos ab eo ſic volente nullatenus diſſentire*. *Sed* Robertus Pullus *illis*

*adhæſit expoſitionibus, quas Auguſtino peculiariter arriſiſſe certò novit.* Eamdem poſtea interpretationem repetit Pullus & confirmat : *vult itaque omnes homines ſalvos fieri & neminem perire ſæculi, id eſt ſanctos ſuos facit velle.* Obſervandum eſt inprimis illud prioris ſententiæ : *vult omnes homines ſalvos fieri, & neminem perire* NON IN SE, *quia quæcumque voluit fecit.* Quæ locutio, *non in ſe*, ut ratio ſumpta ex voluntate per ſe & ſemper efficaci voluntatem generalem prorſus excludit.

## CAPUT XV.

### *De Petro Lombardo.*

PEtrus Lombardus in Academia Pariſienſi docuit, tantâque perſpicuitate veterum ſententias quatuor libris digeſſit in ordinem, ut appellatus propterea ſit ſententiarum Magiſter, nec

alium ſubſecuti deinde Theologi ſibi ducem propoſuerint, quem imitarentur. Creatus Epiſcopus Pariſienſis an. 1150. diem extremum obiit an. 1164.

L. 1. d. voluntatem duplicem diſtinguit, alteram ſigni quæ in Deo non eſt; & beneplaciti alteram, quam in Deo ſolam ineſſe contendit, & ſemper impleri docet. Mox diſtinct. 46. A. *Hic oritur quæſtio*, inquit. *Dictum eſt enim in ſuperioribus, & auctoritatibus communitum, quòd voluntas Dei, quæ ipſe eſt, quæ beneplacitum ejus vocatur, caſſari non poteſt: quia illâ voluntate fecit,* a quæcumque voluit in Cœlo & in Terrâ; *cui teſte Apoſtolo* b nihil reſiſtit. *Quæritur ergo quomodò accipiendum ſit, quod Apoſtolus de Domino ait:* qui vult omnes homines ſalvos fieri. *Cum enim non omnes ſalvi fiant, ſed plures damnentur; videtur utique non fieri, quod Deus vult fieri, humanâ ſci-*

a Pſ. 134. 6.
b Rom. 9. 19.

*licet voluntate impediente voluntatem Dei. Dominus quoque in Evangelio impiam civitatem compellans :* a quoties, *inquit*, volui congregare filios tuos ſub alas, & noluiſti? *Ita etiam hæc dicuntur*, b tanquam Dei voluntas ſuperata ſit hominum voluntate: & infirmiſſimis nolendo impedientibus non potuerit facere potentiſſimus, quod volebat. &c.

a *Matth.* 23. 37.

b *Aug. Enchirid. c.* 97.

Ad ſecundum hoc ſtatim reſpondet §. B. *Sed audiamus ſolutionem. Ac primùm quomodò accipiendum ſit illud, quod Dominus ait, videamus. Non enim ex eo ſenſu illud dictum eſt, ut ait Auguſtinus in Enchiridio prædictam quæſtionem ſolvens, quaſi Dominus voluerit congregare filios Jeruſalem, & non ſit factum quod voluit, quia ipſa noluerit, ſed* potiùs c ipſa quidem filios ſuos ab ipſo colligi noluit, quâ *tamen* nolente filios ejus collegit ipſe *omnes*, quos voluit: quia in Cœlo & in

c *Ibid.*

„ Terrâ non quædam voluit, & fe-
„ cit; quædam verò voluit, & non
„ fecit: ſed omnia quæcumque
„ voluit, fecit. *Ut ſit ſenſus, quoties volui congregare filios tuos, & noluiſti? Id eſt, quotquot congregavi, mea voluntate ſemper efficaci te nolente feci. Ecce in evidenti poſitum eſt, quòd illa Domini verba ſuperioribus non repugnant.*

Ad primum reſpondet §. C. *Nunc videre reſtat, quomodò etiam præmiſſa verba Apoſtoli prædictis non contradicant, qui de Deo loquens ait:* vult omnes homines ſalvos fieri. *Quorum occaſione verborum multi à veritate deviaverunt dicentes Deum multa velle fieri, quæ non fiunt. Sed non eſt intelligendum ea ratione illud eſſe dictum, quaſi Deus velit aliquos*

*Auguſt. Ibid. c. 98.*

„ *ſalvari, & non ſalventur.* Quis
„ enim tam impiè deſipiat, ut
„ dicat Deum malas hominum
„ voluntates, quas voluerit, &
„ quando voluerit in bonum non

poſſe convertere ? Non eſt uti- «
que verum, quod in pſalmo di- « Ibid. c.
citur, quæcumque voluit, fe- « 95.
cit; ſi aliqua voluit, & non «
fecit: & quod eſt indignius, «
ideo non fecit, quoniam ne fie- «
ret quod volebat omnipotens, «
voluntas hominis impedivit. «
Ideoque cum audimus, & in ſa- « Ibid. c.
cris literis legimus, quod velit « 103.
omnes ſalvos fieri: non tamen «
ideo debemus omnipotentiſſimæ «
Dei voluntati aliquid derogare, «
ſed ita intelligere quod ſcriptum «
eſt, vult omnes homines ſalvos «
fieri: tanquam diceretur nullum «
hominem fieri ſalvum, niſi quem «
ſalvum fieri ipſe voluerit: non «
quòd nullus ſit hominum, niſi «
quem ſalvum fieri velit; ſed quòd «
nullus fiat ſalvus, niſi quem ve- «
lit ſalvari: & ideo rogandus eſt, «
ut velit; quod neceſſe eſt fieri, «
ſi voluerit. *Non eſt enim creden-* «
*dus omnipotens aliquid voluiſſe fie-* «
*ri, quod factum non ſit. Sic etiam* «

a *Joan.* 1. 9. » *intelligitur* illud : [a] illuminat om-
» nem hominem venientem in
*Auguſt.* » hunc mundum : non quia nullus
*Ibidem.* » hominum eſt, qui non illumine-
» tur, ſed quia nullus niſi ab ipſo
» illuminatur. *Poteſt & alio modo*
*Ibidem.* » *intelligi*: dum tamen credere non
» cogamur omnipotentem aliquid
» fieri voluiſſe, factumque non eſſe:
» qui ſine ullis ambiguitatibus ſi-
» ve in Cœlo, & in Terrâ, ſicut
» veritas cantat, omnia quæcum-
» que voluit fecit : profectò face-
» re non voluit, quæcumque non
» fecit. *Ex his apertè oſtenditur*,
» *quod Deus eâ voluntate, quæ ipſe*
» *eſt, non vult aliquid fieri quod non*
» *fiat, neque non fieri, quod fiat.*

Locum Lombardi integrum deſcripſi, tum quia nondum Auguſtini verba omnia, quæ ab eo proferuntur, repreſentaveram; tum quia Auguſtini ſententia, quid ſenſerit Magiſter, planè & diſtinctè docet. Eſt autem iſte Magiſtri locus tam apertus, ma-

nifeſtuſque, nullâ ut tergiverſatione eludi poſſit.

## Caput XVI.

### *De Hugone Victorino.*

Hugo Victorinus Lombardo & Pullo æqualis nihil ab ipſis diſſenſit. In ſummâ ſententiarum [a] obſervat ille voluntatem Dei primam eſſe cauſam omnium, quæ nullam idcirco cauſam habet : eamdem in ſeipsâ ſimplicem eſſe & individuam, quamvis ob varios effectus dicatur multiplex. *Nam voluntas Dei in ſacra Scripturâ aliquando accipitur ipſa, quæ idem eſt cum Deo, & ipſi coeterna eſt : & hæc voluntas ſemper impletur. De hac dicit Apoſtolus :* [b] voluntati ejus qui reſiſtit... *& poteſt hæc voluntas beneplacitum Dei vel diſpoſitio appellari. Unde Propheta :* [c] quæcumque voluit, fecit : *id eſt, quæcumque diſpoſuit ſe facturum. Aliquando præceptio,*

[a] *Tract. 1. cap. 13. de voluntate Dei.*

[b] *Rom. 9. 19.*

[c] *Pſ. 134. 6.*

*vel prohibitio Dei voluntas Dei dicitur: quia ſunt ſigna divinæ voluntatis. Ut ſigna iræ appellantur ira.* Contra hanc ſigni voluntatem multa fieri concedit, ut cum ab Auguſtino dicitur in Libro de Spiritû & literâ: *Infideles quidem contra voluntatem Dei faciunt, cum ejus Evangelio non credunt.* Sed *ſicut præceptio & prohibitio ſigna ſunt voluntatis divinæ: ita & operatio & permiſſio. Et ideo in Scripturâ Sacrâ ſæpe appellantur voluntas Dei. Unde illud Apoſtoli:* vult omnes ſalvos fieri. *Quod ita exponit Auguſtinus in Libro de correptione & gratiâ.* Vult omnes ſalvos fieri: *id eſt, nos facit velle. Ecce quod illa quæ operatur in nobis voluntas Dei nominatur. Similiter & permiſſo. Unde illud Apoſtoli,* quem vult indurat. *Et Auguſtinus in Enchiridio: non fit aliquid niſi omnipotens velit fieri, vel ſinendo ut fiat, vel ipſe faciendo.*

In his Hugonis noſtri verbis

duo habemus: primum eſt voluntatem Dei propriè dictam, quæ beneplaciti nominatur, eſtq; Deus ipſe, ſemper impleri: alterum, ei verborum Apoſtolicorum interpretationi, quam inter Auguſtinianas tertio loco produximus, Hugonem inhærere... Ex quibus efficitur Deum non alios ſalvos eſſe velle voluntate beneplaciti, quàm electos: ſi enim reprobos aliquos; igitur voluntas Dei aliquando irrita eſt, nec impletur. Accedit ſententiam Apoſtolicam ab Hugone de ſolâ ſigni voluntate fruſtra explicari, ſi divinum beneplacitum eludi, fruſtrative poſſit.

Cætera quæ ſequuntur, rem eamdem confirmant, hoc eſt, voluntatem Dei ſemper efficaciſſimam. Nam cum Deus quidquid bonum eſt velle, quidquid malum eſt omnino nolle dicatur; & plurima tamen mala ſint, nec bonum omne fiat, ergo ſæpe ir-

rita eſt voluntas Dei. Sed Hugo rem ſic explicat, ut aliud ſit bonum velle, vel malum nolle: aliud, bonum eſſe velle, vel malum eſſe nolle. Bonum Deus velle dicitur, cum approbat, conſentaneum ſibi judicat, gratumve habet, aut remuneratur: malum nolle; cum improbat, ſibique contrarium judicat, vel punit. Bonum verò eſſe velle idem eſt, ac velle ut fiat: malum eſſe nolle, idem eſt ac nolle ut fiat: quam Dei voluntatem ſemper impleri docet. *Ea quæ ſunt bona*, inquit, *in ſe & ad aliud, vult Deus, id eſt approbat: & vult ea eſſe, quia ad aliud bona ſunt, ſicuti omnia bona quæ fiunt. Bona in ſe & non ad aliud, ut bona quæ poſſent fieri & non fiunt, ea vult Deus, quia vult omne bonum, id eſt, approbat; ſed non vult ea eſſe, id eſt, non approbat ea eſſe, quia non ſunt bona ad aliud. Quæ ſunt mala in ſe & ad aliud bona, ſicut*

*mala quæ fiunt, ea non vult Deus, id eſt non approbat: & tamen vult ea eſſe, quia bonum eſt ea eſſe. Niſi enim vellet, quòd mala eſſent, nullomodò eſſe poſſent.* Hinc cum Chriſtum Judæi cæſum occiderunt, *actus malus illorum non placebat Deo, qui nullum malum vult, etſi placeret Deo, ut eſſet actus ille. Ita enim ſolent accipi hæc verba. Iſte facit quod vult Deus, id eſt quod facit remunerat, gratum habet.* Ita *Deus vult malum eſſe, & tamen non vult malum; quia inde non remunerat, immò punit.* Hinc illud Auguſtini: *voluntas Dei ſemper impletur aut de nobis, aut à nobis.*

Denique cum ſibi objeciſſet multa à Deo præcipi, prohiberive quæ minimè obſervantur: ex quo conſequens ſit ea Deum eſſe nolle: *quia, ſicut jam diximus, quicquid Deus vult eſſe, cum omnia poſſit, illud totum eſt: alioquin impotens eſſet, ſi vellet aliquid eſſe*

*& non eſſet.* Sin de malis agitur, vult ea eſſe, *quia nihil poteſt eſſe, niſi Deus velit illud eſſe. Unde apparet quòd præcipit aliqando quod non vult eſſe: quia nihil poteſt eſſe, niſi Deus velit illud eſſe: & quod vult eſſe, prohibet. Sed ſi vult eſſe, quare prohibet? Si non vult, quare præcipit?* Reſpondet Deum idcirco præcipere, quia bonum eſt homini: *& Domini eſt præcipere ſervo quod bonum eſt in ſe, & quod bonum eſt illi cui præcipit. Et ſi placet Domino juvare ſervum ut illud faciat, miſericordia eſt: ſi non placet juvare, juſtitia eſt. Similiter prohibet ſervo malum, quia in ſe malum & illi malum cui prohibet: & Domini eſt ſervo prohibere malum, ut non habeat excuſationem.* Addit id quod præcipitur bonum quidem eſſe privato cuìque, non ſemper univerſitati: quicquid prohibetur, id privatis malum ſemper eſſe, non univerſitati: & quia totius bonum ma-

jus quiddam eſt, quàm bonum partis, & partis malum minus quiddam eſt, quàm malum totius: *ideo quod bonum eſt uni, & non univerſitati, non vult eſſe, & quod malum eſt uni & bonum univerſitati, vult eſſe, ne bonum univerſitatis impediatur.*

Ex his patet quàm perſuaſum Hugoni fuerit omnem Dei voluntatem ſemper impleri, nullumque ejus decretum eſſe quod non ſit efficax, cum Deus idipſum quod præcipit, ſi non impleatur, eſſe noluerit: & quod prohibet, ſi nihilominùs fiat, eſſe velit: non alios quoque Deum ſalvos eſſe velle, quàm electos; quoniam, ut ipſe loquitur, *quicquid Deus vult eſſe, illud totum eſt, & nihil poteſt eſſe niſi Deus velit illud eſſe.* Atque ut uno verbo concludam, omnino liquet, quàm Hugoni & veteribus Theologis incognita fuerit illa decretorum *efficacium* & *inefficacium*

diſtinctio, quam velut dogma FideiCatholicæGermanusAbbas nobis inverecundè propoſuit.

## Caput XVII.

### *De Petro Pictavienſi.*

PEtrus Pictavienſis per octo & triginta annos docuit in Academiâ Pariſienſi ab an. 1167. uſque ad obitum, hoc eſt, uſque ad an. 1205. Summam Theologiæ Guillelmo Senonenſi dicaverat ſub an. 1170.

In parte primâ cap. x. diſtinguit, ut Magiſter, voluntatem ſigni, & voluntatem beneplaciti. Tum cap. xi. *patet*, inquit, *ex his quæ dicta ſunt, multa fieri contra ſigna voluntatis Dei, id eſt contra præcepta, conſilia, prohibitiones &c. De cætero inquirendum eſt, an poſſit aliquid fieri contra voluntatem Dei, quæ ipſe eſt; id eſt an quicquid vult Deus fieri, fiat; & è contrario.*

Mox ſibi objicit: *non videtur. Vult enim Deus omnes homines ſalvos fieri, ut ait Apoſtolus: non tamen omnes ſalvantur. Alibi etiam ait:* [a] Jeruſalem, quoties volui congregare filios tuos ſub alas meas, & noluiſti? *quaſi aliquid voluerit Dominus, quod impeditus ſit facere Jeruſalem voluntate contrariâ. Et ita aliquid voluit quod non factum eſt.* a *Matth.* 23. 37.

Reſpondet: *ſed palam eſt nihil velle fieri à Deo quod non faciat, ſecundùm illud,* [b] voluntati ejus quis reſiſtet: *&* [c] omnia quæcumque voluit fecit. *Quod ergo primò dicitur, ſic exponitur:* vult omnes homines ſalvos fieri: *id eſt, nullus ſalvatur; niſi quem vult ſalvum fieri. Sic dicitur:* [d] Deus illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Id eſt, nemo illuminatur, niſi per eum. Eodem modo & illud allidit:* Jeruſalem &c. *Id eſt, quotquot de filiis tuis voluntate meâ ſemper effi-*

b *Rom.* 9. 19.
c *Pſ.* 134. 6.
d *Joan.* 1. 9.

*caci congregavi, te nolente & invitâ hoc feci. Conſtat igitur quod Deus nihil vult fieri voluntate, quæ ipſe eſt, quod non fiat.*

Quatuor ſcholæ principum ſententias habemus & conſentientes & apertas; quorum auctoritas, meo quidem judicio, potior, quàm recentiorum ſcholaſticorum videri debet. Nam cum ea ſoleat eſſe plerorumque ratio, ut ad novas ſubtilitates intenti plùs de veterum ſententiis ad ſua præjudicia flectendis, quàm de opinionibus ſuis ad eorum judicia, quos tanquam Patres venerantur, accommodandis laborare videantur: vitium hoc in recentioribus præſertim inhæſit. multiplicata ſenſim eſt novarum opinionum ſeges; quibus cum minimè congruerent veterum ſententiæ, novis ſubinde ſubtilitatibus opus fuit; ut quæ erant contrariæ, faciliùs eluderentur. Ita in pleriſque inn-

cilis fuit Patrum auctoritas. Quamquam in ea re, de quâ agimus, adeo manifeſta eſt, & evidens; ut omnes fere quos legerim, de Auguſtini, Magiſtrique ſententiâ nihil diſſentiant, tametſi aliam multi ſequuntur.

## Caput XVIII.

### *De Anſelmo, ſive de Hervæo.*

Superioribus adjungere poſſumus auctorem Commentarii in Pauli Epiſtolas, ſub Anſelmi Cantuarienſis nomine vulgati; ſive is Anſelmus Laudunenſis Decanus: ſive Hervæus Monachus Benedictinus fuit, ut ex Mſ. codicibus cônſtare videtur. Floruit iſte ſub initia ſæculi XII. & eodem tempore, ac Robertus Pullus, cujus ante memini.

In Caput 2ū prioris Epiſtolæ ad Timotheum ſic loquitur. *Orate*, inquit, *pro pace princi-*

*pum, & pro ſalute omnium, quia* hoc *agere* eſt bonum; *id eſt, utile Eccleſiæ*, & acceptum; *id eſt, gratum atque placitum* coram Deo Salvatore noſtro, *qui ſicut nos ſalvat, ita &* omnes homines vult ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire; *ſicut jam venimus.* Quamvis certum ſit nobis non omnes ſalvos fieri, non tamen ideo debemus omnipotentiſſimæ Dei voluntati aliquid derogare, ſed ita intelligere quod dictum eſt, qui omnes homines vult ſalvos fieri, tanquam ſi diceret nullum hominem fieri ſalvum, niſi quem ſalvum fieri velit ſeu quod nullus fiat ſalvus, niſi quem velit: & ideo rogandus eſt ut velit: quia neceſſe eſt fieri, ſi voluerit. Reliquum deinde Caput. CIII. Enchiridii deſcribit, neque ad explicationem ſententiæ Apoſtolicæ quidquam adjicit aliud, ut manifeſtum ſit non alias cum interpretationes,

*Auguſt. in Enchiridio c. 103.*

quàm Auguſtinianas agnoſcere, hoc eſt eas ipſas, quæ vocem *omnes* evidentiſſimè reſtringunt, & ad electos ſolos accommodant.

Poſteà de Chriſti morte diſputans *Jeſum ait eſſe Mediatorem, quatenus eſt* homo: *qui dedit ſemetipſum in Cruce redemptionem pro omnibus, nullum excipiens qui vellet redimi ad ſalvandum. In hoc enim patet quantùm Deus homines diligat, & eos velit omnes ſalvos fieri, ſi perverſitas eorum non obſtiterit.... & ideo qui non ſalvantur, non eſt quod de Deo vel de Mediatore poſſint conqueri, ſed de ſeipſis, qui nec redemptionem, quam Mediator dedit, nec ſalutem quam Deus obtulit, voluerunt accipere.* Quam ſententiam cum ſuperiori facilè conciliaturus eſt quiſquis meminerit mortem Chriſti ſaltem aliquo modo pertinere ad omnes & ſingulos: ſive Chriſtus homo, ut plures Theologi docent, vo-

luntate humana optavit, ut prodeſſet ſingulis; & ita excepit neminem. Sive quia Evangelium & Sacramenta propoſuit omnibus; per ſe excipiens neminem: non quod gratia Chriſti derivetur in omnes; ut conſtat ex alterâ Pauli ſententiâ, [a] *qui eſt Salvator omnium hominum, maximè Fidelium:* quam Hervæus ſic interpretatur. *Speramus in Deum vivum, id eſt, in hoc inſudamus pietatis ac juſtitiæ operibus, quia ſperamus vitam, quam Deus vivens promiſit piè agentibus. Qui eſt Salvator omnium hominum, quia ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos & pluit ſuper juſtos & injuſtos: atque ſalutem corporis in hac vitâ communiter parat bonis & malis. Maximè tamen ipſe eſt Salvator Fidelium, quia præter temporalem ſalutem, quæ illis eſt communis cum reprobis, dat eis æternam ſalutem, quam poſſideant cum Angelis.* Nam qui Deum non alio modo

[a] 1. *Tim.* 4. 10.

modo Salvatorem omnium agnoſcit, quàm *quia ſolem ſuum facit oriri ſuper bonos & malos*, vitamque corpoream tribuit omnibus, is proculdubiò ut gratiam communem ita quoque voluntatem generalem excludit.

Nec qui Anſelmum legerit, objecturus eſt, ut opinor, ea quæ paulo antè produximus. *In hoc patet quantùm homines diligat, &c.* Nam cum ipſe locum Apoſtoli *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* cum Auguſtino dixerit non ſic intelligendum eſſe, quaſi *nullus hominum eſſet quem ſalvum fieri nollet, qui virtutes miraculorum facere noluit apud eos, quos dicit acturos fuiſſe pœnitentiam ſi feciſſet: ſed ut omnes homines, omne genus hominum intelligamus per quaſcumque differentias diſtributum*: cum dixerit *omnipotentem velle inaniter non poſſe quodcumq; voluerit*: facilè intelligitur populari & uſitatâ locutione ab

Hervæo nihil ſignificari aliud, quàm cauſam cur omnes ſalutem non conſequantur, in ipſis eſſe, non in Deo: ut latè diſputat in caput 9ᵘᵐ Epiſtolæ ad Romanos. *Miſeretur*, inquit, *ſecundum gratiam quæ gratis datur, non meritis redditur. Indurat autem ſecundum judicium quod meritis redditur. Miſeretur magna bonitate, indurat autem nullâ iniquitate; ut nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim gratia Redemptoris diſcernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat maſſam ab origine ducta cauſa communis. Cum ergo totus mundus juſtiſſimè poſſet damnari, Deus cui vult miſeretur & quem vult indurat; id eſt, non miſeretur ei, nec emollit cor ejus; nec tamen injuſta eſt ejus voluntas volentis alii miſereri, aliique non volentis. Quis enim dicat aliquem potentem injuſtè agere, ſi ex duobus reis unum*

*juſtè velit interimere & alterum miſericorditer liberare? Sic & Deus in nullo poteſt reprehendi, ſive damnet, ſive miſereatur. Meritum enim miſericordiæ nullum eſt: meritum autem indurationis eſt peccatum totius maſſæ damnatæ. Nec indurat Deus impartiendo duritiam, ſed non impartiendo miſericordiam, ſicut nec digni ſunt.*

Cætera quæ in toto hoc cōmentario leguntur omitto, in quibus omnia Auguſtini principia ſectatur auctor, prædeſtinationem gratuitam adſtruit, reprobationem rejicit in peccatum originis: quo ex principio Petavius conſequens eſſe fatetur, ut nulla ſit in Deo reproborum ſalvandorum voluntas. In caput 2ū ad Philippenſes explicans illud, *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*, gratiam ad perſeverandum qualis data eſt Adamo & qualis jam datur ſanctis prædeſtinatis exprimit iiſdem verbis

ac Auguſtinus. Quo vel ſolo, ut ſæpe oſtendi, voluntas conditionata funditus evertitur. Sed iſta de Hervæo ſufficiant.

## CAPUT XIX.

### *De Præpoſitivo.*

PRæpoſitivus ſub initia ſæculi XIII. floruit in Academia Pariſienſi, vir ſuo tempore celèbris. In ſummæ principio non aliam agnoſcit Dei voluntatem, de ſalute omnium, quàm quæ vulgò ſigni dicitur, quæque poſita eſt in præceptis & conſiliis; probat quoque interpretationem Auguſtinianam.

*Quæritur*, inquit, *utrum voluntas Dei maneat inexpleta aliquando. Quod numquam maneat inexpleta, probatur ex illa auctoritate*: [a] omnia quæcumque voluit, fecit: *& ex illâ*, [b] voluntati ejus quis reſiſtet. [c] *Et ex illâ*: quoties volui congregare filios

a *Pſ.* 134. 6.
b *Rom.* 9. 19.
c *Matth.* 23. 37.

tuos, quaſi gallina congregáns pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? *Ubi dicit Auguſtinus:* ita dicit ac « ſi voluntas hominis infirmi vo- « luntati Dei reſiſtere poſſit: quod « non eſt. Immò ſic intelligendus « eſt: quotquot congregavi, te no- « lente, ex voluntate meâ ſemper « efficaci congregavi. *Si voluntas* « *ejus ſemper efficax, ergo nunquam remanet inexpleta.*

*In Enchiridio cap. 97.*

*Sed dicit auctoritas: Deus vult omnes ſalvos fieri: ſed hoc non fit: ergo voluntas remanet inexpleta.* Objectio.

*Sed ad hoc reſpondet Auguſtinus, vult omnes homines ſalvos fieri, id eſt, omnes qui ſalvantur ejus voluntate ſalvantur.* Reſponſio.

*Item Deus non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, ſed dicit de merito peccatorem iſtam præſcivit ad mortem: dicit enim ſic: Deus vult ut iſte convertatur & vivat; ſed hoc non fit nec fiet; ergo ejus voluntas remanet inexpleta.* Alia Objectio.

quens videatur, vel Deum id impleri noluiſſe, vel voluntatem ejus irritam & inanem fuiſſe. *Ad hoc forte reſpondebitur*, inquit, *ſicut de Baptiſmo. Solet enim dici, quia Baptiſmus qui receptus eſt ab iſto fictè, ſic eſt ſignum gratiæ Dei, non quia potitus ſit, ſed quæ eſſet, niſi culpa ejus impediret. Ita prohibitio illa fuit ſignum divinæ voluntatis, non quia fuerit, ſed quia fuiſſet, niſi culpa hominis impediſſet. Sed ex hinc infertur, ergo culpa hominis poteſt impedire voluntatem divinam.* Sed reſpondet *prohibitionem & præceptum quandoque eſſe ſignum voluntatis divinæ directè, tunc ſcilicet cum impletur, quia Deus vult impleri; quandoque non directè, ut quando non impletur, & tunc eſt ſignum boni, quod inde elicit Deus.* Ita ille reſpondet, ne voluntatem Dei aliquam *inefficacem* confiteri videatur.

Nulla quoque extat apud ve-

teres illos Theologos voluntatis antecedentis, conſequentiſve mentio: quam diſtinctionem Guillelmus Altitiodorenſis æqualis Præpoſitivo, (nam an. 1223. obiiſſe dicitur; ſcripſit tamen poſt Præpoſitivum, quem ab eo interdum citari video.) Primus Latinorum omnium quem legerint, uſurpavit; quamquam non tam ipſe uſurpaſſe, quàm à Damaſceno uſurpatam indicaſſe videatur. Ita enim loquitur L. 1°. Cap. x. de Providentiâ divinâ. *Item dicit Damaſcenus, quòd providentia divina duplex eſt. Quædam eſt ſecundùm acceptionem, quædam ſecundùm conceſſionem. Secundùm acceptionem ſinit quæcumque in contradictione ſunt bona, ſicut gratia, gloria, & hujuſmodi. Dicit Damaſcenus, quòd Deus antecedenter vult omnes ſalvari: ad hoc enim eſt ejus antecedens voluntas, & actio ex ipſo exiſtens, bona enim ſpiritualia ex*

*corde ſuò dat. Providentia ſecundùm conceſſionem eſt voluntas Dei conſequens ex noſtrâ causâ : ſicut punire quod nobis infligitur ex peccato noſtro.*

Aliâ tamen diſtinctione utitur Cap. XIII. in quo quærit an voluntas Dei ſemper impleatur. *Dicimus*, inquit, *quòd hoc verbum*, vult, *ſecundùm quod ſignificat voluntatem beneplaciti duobus modis accipitur, quia quandoque accipitur ſimpliciter : ſicut cum dicitur, Deus vult bona eſſe, quandoque ſecundùm quid ; ſicut dicit Apoſtolus* : Deus vult omnes homines ſalvos fieri ; *non ſimpliciter, ſed quantùm in ſe eſt.* Ita Cap. XII. illud Ezechielis *nolo mortem peccatoris* explicans : *hoc verbum*, nolo, inquit, *ſumitur pro, non volo ; vel poteſt dici ; nolo quantum in me eſt.* Ita ille.

Frequens deinceps occurrit voluntatis antecedentis apud veteres Scholaſticos mentio, ut

apud Alexandrum Alenſem, & Albertum Magnum, ex quibus S. Thomas diſtinctionem ſuam deprompſit, ac plerique deinde Theologi; non ſic tamen ut omnes voluntatis antecedentis nomine voluntatem beneplaciti & propriè dictam intellexerint, utì poſtea conſtabit.

## Caput XX.

### *De Alexandro Alenſi.*

Cum cribebat Alenſis, communis erat Theologorum omnium opinio, voluntatem beneplaciti de ſalute omnium in Deo nullam ineſſe, ut ipſe in prima parte q. 36. membro 2. teſtatur. Ibi quærit an voluntas beneplaciti ſemper impleatur, an interdum irrita eſſe poſſit. Reſpondet ſcriptum eſſe in Pſalmo: *omnia quæcumque voluit fecit.* Et in Epiſtolâ ad Romanos: *voluntati ejus quis reſiſtet?* Addit

& illud, voluntatem non fruſtrari niſi vel ob ignorantiam; vel ab infirmitatem: quarum neutra in Deum cadit. Ex quo conſequens eſt voluntatem divinam ſemper impleri. Mox ſibi objicit duo Scripturæ loca, quæ à nobis ſæpe commemorata ſunt: Deum omnes homines ſalvos eſſe velle, quorum magna pars perit: voluiſſe congregare Jeroſolymorum cives, nec propterea tamen congregatos eſſe. *Ad hæc*, inquit, *eſt reſponſio Magiſtrorum, quod eſt voluntas beneplaciti, & voluntas ſigni. Voluntate beneplaciti non vult omnes homines ſalvos fieri, nec Jeruſalem congregari. Voluntate verò ſigni vult omnes ſalvos fieri: quia præcipit & conſulit omnibus omnia quæ pertinent ad eorum ſalutem.* Erat ergo communis hæc ſententia Doctorum illius temporis. Floruit autem Alexander ab an. 1222. quo inſtitutum Franciſcanorum ample-

xus eſt, ad an. 1245. quo diem extremum obiiſſe fertur.

Verbis, quæ repræſentavi, proximè ſubjicit diſtinctionem à Damaſceno primum invectam. *Contrà Damaſcenus diſtinguit voluntatem beneplaciti in antecedentem & conſequentem. Dicit ergo quia oportet ſcire, quòd voluntate antecedenti vult omnes ſalvos fieri, & regno ejus potiri; non enim inpuniendo plaſmavit nos, ſed ad participationem bonitatis ejus, ut bonus. Si ergo voluntas antecedens eſt voluntas beneplaciti, voluntate beneplaciti vult omnes ſalvari: ergo voluntas beneplaciti quantùm ad aliquid fruſtratur.* Aliorum deinde meminit, qui dicebant Deum omnes ſalvos velle voluntate conditionatâ; ſolos electos abſolutâ. Hos refellit exemplo puerorum qui libero carentes arbitrio non ideo damnantur, quod ſalvi eſſe noluerint, vel bene agere. Mox ad Damaſceni diſ-

tinctionem redit, multiſque dubitandi rationibus propoſitis interpretationem Auguſtini ſubjicit. *Reſpondetur, quòd voluntas beneplaciti nunquam fruſtratur, ſicut dicit juxta Apoſtolum beatus Auguſtinus. Ad illud ergo quod objicitur ex auctoritate Apoſtoli:* vult omnes homines ſalvos fieri: *Reſpondetur multipliciter. Uno modo ſecundùm Auguſtinum in Enchiridio, ut ſic intelligatur:* vult omnes homines ſalvos fieri; *id eſt, nullus ſalvatur, niſi quem vult ſalvari. In quem modum accipitur illud Joannis primo:* illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Quod ſic intelligitur, non quia nullus hominum eſt, qui non illuminetur; ſed quia nullus niſi ab ipſo illuminatur, ut ex parte iſtâ intelligendum eſt. Et eſt exemplum B. Auguſtini in Libro* a *de Vocatione Sanctorum. Si eſſet unus ſolus Magiſter, qui doceret pueros, poſſet dici, quòd iſte*

a *De Prædeſtinat. Sanct.* n. 14.

*Magiſter doceret omnes pueros iſtius Civitatis; non quòd omnes doceantur, ſed quòd nullus docetur, niſi qui docetur ab ipſo. Sic ex parte iſtâ * unus eſt qui * vult omnes ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvi fiunt; Sed qui ſalvi fiunt, per ipſum ſalvantur. Aliter reſpondet Auguſtinus in Enchiridio diſtinguens hanc*, vult omnes ſalvos fieri: *quia poteſt fieri diſtributio pro ſingulis generum, & ſic diſtributio eſt falſa: vel poteſt fieri diſtributio pro generibus ſingulorum, & hoc modo vera eſt.*

* Lege verum eſt quòd.

Ad Damaſcenum deinde rediens; *aliter*, inquit, *ſecundùm Damaſcenum, ſicut ſuprà tactum eſt. Voluntate antecedenti vult omnes ſalvari: voluntate verò conſequenti non. Et ad quæſtionem, quâ quæritur utrum voluntate beneplaciti velit omnes ſalvari, per hoc eſt reſponſio. Nam voluntas beneplaciti poteſt dici reſpectû poſſibilitatis rationalis creaturæ ad ſalutem;*

Hervæo nihil ſignificari aliud, quàm cauſam cur omnes ſalutem non conſequantur, in ipſis eſſe, non in Deo: ut latè diſputat in caput 9ᵘ Epiſtolæ ad Romanos. *Miſeretur*, inquit, *ſecundum gratiam quæ gratis datur, non meritis redditur. Indurat autem ſecundum judicium quod meritis redditur. Miſeretur magna bonitate, indurat autem nullâ iniquitate; ut nec liberatus de ſuis meritis glorietur, nec damnatus niſi de ſuis meritis conqueratur. Sola enim gratia Redemptoris diſcernit à perditis, quos in unam perditionis concreverat maſſam ab origine ducta cauſa communis. Cum ergo totus mundus juſtiſſimè poſſet damnari, Deus cui vult miſeretur & quem vult indurat; id eſt, non miſeretur ei, nec emollit cor ejus; nec tamen injuſta eſt ejus voluntas volentis alii miſereri, aliique non volentis. Quis enim dicat aliquem potentem injuſtè agere, ſi ex duobus reis unum*

*juſtè velit interimere & alterum miſericorditer liberare? Sic & Deus in nullo poteſt reprehendi, ſive damnet, ſive miſereatur. Meritum enim miſericordiæ nullum eſt: meritum autem indurationis eſt peccatum totius maſſæ damnatæ. Nec indurat Deus impartiendo duritiam, ſed non impartiendo miſericordiam, ſicut nec digni ſunt.*

Cætera quæ in toto hoc cōmentario leguntur omitto, in quibus omnia Auguſtini principia ſectatur auctor, prædeſtinationem gratuitam adſtruit, reprobationem rejicit in peccatum originis: quo ex principio Petavius conſequens eſſe fatetur, ut nulla ſit in Deo reproborum ſalvandorum voluntas. In caput 2ū ad Philippenſes explicans illud, *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*, gratiam ad perſeverandum qualis data eſt Adamo & qualis jam datur ſanctis prædeſtinatis exprimit iiſdem verbis

ac Auguſtinus. Quo vel ſolo, ut ſæpe oſtendi, voluntas conditionata funditus evertitur. Sed iſta de Hervæo ſufficiant.

## Caput XIX.

### *De Præpoſitivo.*

PRæpoſitivus ſub initia ſæculi XIII. floruit in Academia Pariſienſi, vir ſuo tempore celebris. In ſummæ principio non aliam agnoſcit Dei voluntatem, de ſalute omnium, quàm quæ vulgò ſigni dicitur, quæque poſita eſt in præceptis & conſiliis; probat quoque interpretationem Auguſtinianam.

*Quæritur*, inquit, *utrum voluntas Dei maneat inexpleta aliquando. Quod numquam maneat inexpleta, probatur ex illa auctoritate* : [a] omnia quæcumque voluit, fecit: *& ex illâ*, [b] voluntati ejus quis reſiſtet. [c] *Et ex illâ* : quoties volui congregare filios

a Pſ. 134. 6.
b Rom. 9. 19.
c Matth. 23. 37.

tuos, quaſi gallina congregans pullos ſuos ſub alas, & noluiſti? *Ubi dicit Auguſtinus:* ita dicit ac « ſi voluntas hominis infirmi vo- « luntati Dei reſiſtere poſſit: quod « non eſt. Immò ſic intelligendus « eſt: quotquot congregavi, te no- « lente, ex voluntate meâ ſemper « efficaci congregavi. « *Si voluntas ejus ſemper efficax, ergo nunquam remanet inexpleta.*

*In Enchiridio cap. 97.*

*Sed dicit auctoritas: Deus vult omnes ſalvos fieri: ſed hoc non fit: ergo voluntas remanet inexpleta.*

Objectio.

*Sed ad hoc reſpondet Auguſtinus, vult omnes homines ſalvos fieri, id eſt, omnes qui ſalvantur ejus voluntate ſalvantur.*

Reſponſio.

*Item Deus non vult mortem peccatoris, ſed ut convertatur, & vivat, ſed dicit de merito peccatorem iſtam præſcivit ad mortem: dicit enim ſic: Deus vult ut iſte convertatur & vivat; ſed hoc non fit nec fiet; ergo ejus voluntas remanet inexpleta.*

Alia Objectio.

Reſponſio. *Ad hæc dicunt Magiſtri noſtri, quod hoc nomen, voluntas, duobus modis accipitur, ſcilicet pro beneplacito, quod ipſe eſt Deus, & pro ſigno beneplaciti. Signum autem beneplaciti eſt quintuplex nimirum præceptum, prohibitio, conſilium, operatio, permiſſio, &c. de duobus ultimis dicit Auguſtinus: nihil fit quod Omnipotens fieri non velit vel ſinendo, vel ipſe faciendo. Quod ergo dicitur, voluntas Dei nunquam remanet inexpleta, intelligendum eſt de beneplacito; ſigna enim ſæpe inexpleta remanent. Unde cum dicitur, Deus vult ut iſte convertatur, id eſt, conſulit vel præcipit: ſic videtur. Vel,* vult, *id eſt in beneplacito ejus eſt; & ſic facit.* Multa deinde de ſignis diſputat, quæ omnia eo ſemper collineant, ut nunquam voluntas divina inanis & irrita eſſe poſſit.

Hactenus illi Theologiæ Scholaſticæ principes de interpretatio-

nibus Auguſtinianis inter ſe conſentiunt, eaſque probant: quorum omnium una eademque eſt ratio, quam Auguſtinus potiſſimùm adhibuit: voluntatem Dei ſemper efficaciſſimam eſſe. Neque enim tum nota erat illa Dei voluntas *inefficax*, quæ ab Abbate Germanico & ab aliis hodiè velut propugnaculum Fidei Catholicæ prædicatur. Contrà Præpoſitivo noſtro adeo perſuaſum erat, omnem Dei voluntatem ſemper impleri, ut ipſam permiſſionem peccati, non aliter concedat eſſe ſignum voluntatis divinæ, quàm quia ſignum eſt pœnæ peccatum conſequentis, vel boni cujus peccatum eſt occaſio.

Sic adverſus id quod dixerat, præceptum & prohibitionem eſſe ſigna voluntatis divinæ, ſibi objicit Adamo Deum præcepiſſe ut lignum ſcientiæ boni & mali non attingeret: ex quo conſe-

quens videatur, vel Deum id impleri noluiſſe, vel voluntatem ejus irritam & inanem fuiſſe. *Ad hoc forte reſpondebitur*, inquit, *ſicut de Baptiſmo. Solet enim dici, quia Baptiſmus qui receptus eſt ab iſto fictè, ſic eſt ſignum gratiæ Dei, non quia potitus ſit, ſed quæ eſſet, niſi culpa ejus impediret. Ita prohibitio illa fuit ſignum divinæ voluntatis, non quia fuerit, ſed quia fuiſſet, niſi culpa hominis impediſſet. Sed ex hinc infertur, ergo culpa hominis poteſt impedire voluntatem divinam.* Sed reſpondet *prohibitionem & præceptum quandoque eſſe ſignum voluntatis divinæ directè, tunc ſcilicet cum impletur, quia Deus vult impleri; quandoque non directè, ut quando non impletur, & tunc eſt ſignum boni, quod inde elicit Deus.* Ita ille reſpondet, ne voluntatem Dei aliquam *inefficacem* confiteri videatur.

Nulla quoque extat apud ve-

teres illos Theologos voluntatis antecedentis, conſequentiſve mentio : quam diſtinctionem Guillelmus Altitiodorenſis æqualis Præpoſitivo, (nam an. 1223. obiiſſe dicitur ; ſcripſit tamen poſt Præpoſitivum, quem ab eo interdum citari video.) Primus Latinorum omnium quem legerint, uſurpavit ; quamquam non tam ipſe uſurpaſſe, quàm à Damaſceno uſurpatam indicaſſe videatur. Ita enim loquitur L. 1°. Cap. x. de Providentiâ divinâ. *Item dicit Damaſcenus, quòd providentia divina duplex eſt. Quædam eſt ſecundùm acceptionem, quædam ſecundùm conceſſionem. Secundùm acceptionem ſinit quæcumque in contradictione ſunt bona, ſicut gratia, gloria, & hujuſmodi. Dicit Damaſcenus, quòd Deus antecedenter vult omnes ſalvari: ad hoc enim eſt ejus antecedens voluntas, & actio ex ipſo exiſtens, bona enim ſpiritualia ex*

*corde ſuò dat. Providentia ſecundùm conceſſionem eſt voluntas Dei conſequens ex noſtrâ causâ : ſicut punire quod nobis infligitur ex peccato noſtro.*

Aliâ tamen diſtinctione utitur Cap. XIII. in quo quærit an voluntas Dei ſemper impleatur. *Dicimus*, inquit, *quòd hoc verbum*, vult, *ſecundùm quod ſignificat voluntatem beneplaciti duobus modis accipitur, quia quandoque accipitur ſimpliciter : ſicut cum dicitur, Deus vult bona eſſe, quandoque ſecundùm quid ; ſicut dicit Apoſtolus* : Deus vult omnes homines ſalvos fieri ; *non ſimpliciter, ſed quantùm in ſe eſt.* Ita Cap. XII. illud Ezechielis *nolò mortem peccatoris* explicans : *hoc verbum*, nolo, inquit, *ſumitur pro*, *non volo ; vel poteſt dici ; nolo quantum in me eſt.* Ita ille.

Frequens deinceps occurrit voluntatis antecedentis apud veteres Scholaſticos mentio, ut

apud Alexandrum Alenſem, & Albertum Magnum, ex quibus S. Thomas diſtinctionem ſuam deprompſit, ac plerique deinde Theologi; non ſic tamen ut omnes voluntatis antecedentis nomine voluntatem beneplaciti & propriè dictam intellexerint, utì poſtea conſtabit.

## Caput XX.

### *De Alexandro Alenſi.*

Cum cribebat Alenſis, communis erat Theologorum omnium opinio, voluntatem beneplaciti de ſalute omnium in Deo nullam ineſſe, ut ipſe in prima parte q. 36. membro 2. teſtatur. Ibi quærit an voluntas beneplaciti ſemper impleatur, an interdum irrita eſſe poſſit. Reſpondet ſcriptum eſſe in Pſalmo: *omnia quæcumque voluit fecit.* Et in Epiſtolâ ad Romanos: *voluntati ejus quis reſiſtet?* Addit

& illud, voluntatem non fruſtrari niſi vel ob ignorantiam; vel ab infirmitatem: quarum neutra in Deum cadit. Ex quo conſequens eſt voluntatem divinam ſemper impleri. Mox ſibi objicit duo Scripturæ loca, quæ à nobis ſæpe commemorata ſunt: Deum omnes homines ſalvos eſſe velle, quorum magna pars perit: voluiſſe congregare Jeroſolymorum cives, nec propterea tamen congregatos eſſe. *Ad hæc*, inquit, *eſt reſponſio Magiſtrorum, quod eſt voluntas beneplaciti, & voluntas ſigni. Voluntate beneplaciti non vult omnes homines ſalvos fieri, nec Jeruſalem congregari. Voluntate verò ſigni vult omnes ſalvos fieri: quia præcipit & conſulit omnibus omnia quæ pertinent ad eorum ſalutem.* Erat ergo communis hæc ſententia Doctorum illius temporis. Floruit autem Alexander ab an. 1222. quo inſtitutum Franciſcanorum ample-

xus eſt, ad an. 1245. quo diem extremum obiiſſe fertur.

Verbis, quæ repræſentavi, proximè ſubjicit diſtinctionem à Damaſceno primum invectam. *Contrà Damaſcenus diſtinguit voluntatem beneplaciti in antecedentem & conſequentem. Dicit ergo quia oportet ſcire, quòd voluntate antecedenti vult omnes ſalvos fieri, & regno ejus potiri; non enim in puniendo plaſmavit nos, ſed ad participationem bonitatis ejus, ut bonus. Si ergo voluntas antecedens eſt voluntas beneplaciti, voluntate beneplaciti vult omnes ſalvari: ergo voluntas beneplaciti quantùm ad aliquid fruſtratur.* Aliorum deinde meminit, qui dicebant Deum omnes ſalvos velle voluntate conditionatâ; ſolos electos abſolutâ. Hos refellit exemplo puerorum qui libero carentes arbitrio non ideo damnantur, quod ſalvi eſſe noluerint, vel bene agere. Mox ad Damaſceni diſ-

tinctionem redit, multiſque dubitandi rationibus propoſitis interpretationem Auguſtini ſubjicit. *Reſpondetur, quòd voluntas beneplaciti nunquam fruſtratur, ſicut dicit juxta Apoſtolum beatus Auguſtinus. Ad illud ergo quod objicitur ex auctoritate Apoſtoli*: vult omnes homines ſalvos fieri: *Reſpondetur multipliciter. Uno modo ſecundùm Auguſtinum in Enchiridio, ut ſic intelligatur*: vult omnes homines ſalvos fieri; *id eſt, nullus ſalvatur, niſi quem vult ſalvari. In quem modum accipitur illud Joannis primo*: illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. *Quod ſic intelligitur, non quia nullus hominum eſt, qui non illuminetur; ſed quia nullus niſi ab ipſo illuminatur, ut ex parte iſtâ intelligendum eſt. Et eſt exemplum B. Auguſtini in Libro* a *de Vocatione Sanctorum. Si eſſet unus ſolus Magiſter, qui doceret pueros, poſſet dici, quòd iſte*

a De Prædeſtinat. Sanct. n. 14.

*Magiſter doceret omnes pueros iſtius Civitatis; non quòd omnes doceantur, ſed quòd nullus docetur, niſi qui docetur ab ipſo. Sic ex parte iſtâ * unus eſt qui * vult omnes ſalvos fieri, nec tamen omnes ſalvi fiunt; Sed qui ſalvi fiunt, per ipſum ſalvantur. Aliter reſpondet Auguſtinus in Enchiridio diſtinguens hanc*, vult omnes ſalvos fieri: *quia poteſt fieri diſtributio pro ſingulis generum, & ſic diſtributio eſt falſa: vel poteſt fieri diſtributio pro generibus ſingulorum, & hoc modo vera eſt.*

* Lege verum eſt quòd.

Ad Damaſcenum deinde rediens; *aliter*, inquit, *ſecundùm Damaſcenum, ſicut ſuprà tactum eſt. Voluntate antecedenti vult omnes ſalvari: voluntate verò conſequenti non. Et ad quæſtionem, quâ quæritur utrum voluntate beneplaciti velit omnes ſalvari, per hoc eſt reſponſio. Nam voluntas beneplaciti poteſt dici reſpectû poſſibilitatis rationalis creaturæ ad ſalutem;*

*quæ quidem poſſibilitas eſt in ipsâ à Deo. Et hoc modo voluntate beneplaciti vult omnes ſalvos fieri. Alio modo voluntas beneplaciti dicitur reſpectû effectus, qui redditur à Deo rationali creaturæ pro meritis & ſic voluntate beneplaciti non vult omnes homines ſalvos fieri; ſed ſolum prædeſtinatos. Primo modo dicit Damaſcenus voluntatem antecedentem, & hæc eſt ratione bonitatis, quæ eſt in Deo. Secundo modo dicit voluntatem conſequentem.* Locum alterum *quoties velui*, &c. explicat ut Auguſtinus, & Magiſter.

Cum ſuperiores Theologi ſententiam Apoſtoli vel ſimpliciter intellexiſſent, ut Auguſtinus; vel aliam voluntatem de ſalute omnium ac ſingulorum non agnoviſſent, neque tum agnoſcerent; quàm externam, & ſigni, eamdemque remotiſſimam, quæ in ſolis præceptis communibus omnium poſita eſſet: hic anteceden-

tem à Damaſceno primùm inductam, à Guillelmo Altitiodorenſi deinde indicatam uſurpavit; non ſic tamen, quod maximè obſervari velim, ut exiſtimaverit voluntatem beneplaciti referendam eſſe ad ſalutem ipſam; ſed potius ad media, vel ad poteſtatem ſalutis comparandæ, quam putat ineſſe omnibus, ſive remotam, ſive proximam. Hoc eſt, voluntate quidem beneplaciti vult Deus, ut omnes ſalvi eſſe poſſint; non vult tamen ut omnes ſalutem conſequantur. Id enim ſuperiora Alexandri verba ſignificant: *nam voluntas beneplaciti poteſt dici reſpectû poſſibilitatis rationalis creaturæ ad ſalutem*, &c. ſimiliter & quæ poſtea ſubjungit. Cum enim quæſitum eſſet, cur voluntas antecedens ex Damaſceno ſit & eorum quæ ſunt in nobis, & eorum quæ non ſunt in nobis: contrà voluntas conſequens eorum tantummodò

quæ non ſunt in nobis, reſpondet: *Primò creatura rationalis erit in eſſe ordinabilis ad ſalutem per uſum liberi arbitrii. Deinde eſt uſus liberi arbitrii; tertiò eſt remuneratio liberi arbitrii. In nobis autem non eſt conſtitutio noſtri arbitrii, ſed à Deo eſt. Similiter remuneratio noſtri arbitrii, ſcilicet gloria, à Deo. Medium eſt in nobis, ſcilicet uſus liberi arbitrii. Voluntas ergo antecedens eſt reſpectû conſtitutionis liberi arbitrii: voluntas conſequens reſpectû remunerationis liberi arbitrii. Item uſus liberi arbitrii aut erit bonus, aut malus. Si bonus, illum reſpicit divina voluntas. Si malus, illum non reſpicit divina voluntas; quia illius non eſt cauſa. Voluntas ergo antecedens eſt reſpectû usûs illius boni. Voluntas ergo Dei ſecundum quod eſt cauſa eorum, quæ non ſunt in nobis, dupliciter dicitur antecedens & conſeqens. Secundum quod eſt eorum quæ ſunt in nobis, ſolùm uno modo, ſcilicet*

*antecedens.* Quo in loco diſtinctè docet voluntatem beneplaciti antecedentem pertinere tantummodò & ad poteſtatem arbitrii, quam nobis Deus inſeruit, & ad uſum arbitrii, cum per gratiam bene agimus : non verò ad ſalutem ipſam, ſive ad remunerationem, quam ſoli voluntati conſequenti attribuit. Solos verò prædeſtinatos Deum voluntate conſequenti ſalvos velle & Alexander docet, & omnes Theologi. Hæc priſcis illis religio fuit, ut ne quam Dei voluntatem *inefficacem* admittere cogerentur.

Neque hoc loco prætermittendum eſt, qua ratione voluntatem conditionatam admitti patiatur. *Sic poteſt dici*, inquit, *ſed conditio talis non debet apponi : vult omnes homines ſalvos fieri, ſi ipſi volunt, propter parvulos. Sed debet apponi: vult omnes homines ſalvos fieri, in quantùm in ſe eſt; vel ſi ſunt digni, vel ſuſceptibiles ſalutis... ſed par-*

*vuli non ſunt ſuſceptibiles propter culpam originalem. Quia ergo in illis non ſervatur conditio, ideo non conſequuntur effectum ſalutis.* Mox addit cauſam damnationis in parvulis non eſſe voluntatem, *ſed corruptionem animæ quæ contrahitur ex maſsâ peccatrice.* Ecce igitur voluntas conditionata, qualem admitti patitur. Eos Deum ſalvos velle *quantum in ſe eſt*, concedit, ſi digni ſint, nec careant culpâ originis: quod idẽ eſt ac ſi dicas Deum eos ſalvos nolle propter culpam originis, quos nihilominus ſalvos eſſe vellet, ſi carerent culpâ originis. Opinionem Alexandri ſecutus eſt Bonaventura, & ex ſcholaſticis plurimi.

## Caput XXI.

### *De S. Bonaventura.*

Floruit ab an. 1255. ad Annum 1274.

BOnaventura in iũ ſentent. d. 46. a. 1. q. 1. quemadmodum & omnes Theologi ejuſdem tem-

poris, ſententiam Auguſtini primùm, alteram deinde Damaſceni proponit. *Cum non omnes, inquit, ſalventur, & voluntas Dei numquam fruſtretur, ideo neceſſe eſt quòd fiat vis in modo diſtribuendi, vel in modo volendi. Et egregius Doctor Auguſtinus facit vim in modo diſtribuendi in Enchiridio.* Repræſentatâ Auguſtini ſententiâ, mox ſubjicit. *Hæc eſt reſponſio Auguſtini, cui Magiſter innititur, & neceſſe eſt ſic vel ſic ſolvere: ſuppoſito quòd velle dicat ibi velle Dei, ſecundum quod dicitur velle placito, quietato, ſive voluntate abſolutâ, de qua verum eſt dicere:* omnia quæcumque voluit, fecit. *Sed Damaſcenus facit vim in modo volendi. Diſtinguit enim in Deo voluntatem antecedentem, & voluntatem conſequentem. Et voluntas antecedens eſt voluntas reſpectû ejus propter quod Deus hominem fecit, & eſt irrefragabiliter bonorum. Voluntas autem conſe-*

*quens eſt voluntas, non quæ ſequitur merita, ſed quæ vult aliquid ſecundùm ſcientiam meritorum. Prima, ſcilicet antecedens, dicitur à Magiſtris voluntas conditionalis; ſive voluntas, quâ Deus vult quantùm in ſe eſt. Secunda autem, ſcilicet conſequens, dicitur abſoluta. Differentia autem inter hanc voluntatem, & illam, non eſt ſecundùm diverſitatem affectionis, ſive modi volendi qui ſit in Deo: ſed ſecundùm rationem connotandi, & intelligendi. Prout enim Deus dicitur velle omnium ſalutem, quantùm in ſe eſt, & antecedenter connotatur in omnibus ordinatio ad ſalutem; tum ex parte naturæ datæ, tum ex parte gratiæ oblatæ. Dedit enim Deus naturam, ſecundum quam poſſent eum cognoſcere, & cognitum quærere, & quæſitum invenire, & invento inhærere, ac per hoc ſalutem obtinere. Gratiam ſimiliter obtulit, dum filium miſit, & obtulit, cujus pretium omnium*

*ſaluti ſufficit. Leges etiam & mandata tribuit ſalutis, & oſtendit. Ipſe etiam præſto eſt omnibus inquirentibus, & prope eſt omnibus invocantibus eum. Velle ergo hominem antecedenter ſalvare, eſt ordinatum ad ſalutem facere & volenti pervenire non deeſſe. Unde velle antecedenter ſalvare non connotat ſalutem, ſed ordinabilitatem ad ſalutem. Velle autem conſequenter, ſive abſolute ſalvare, eſt velle dare ſalutem ei quem præſcit ad ſalutem perventurum per ſuum auxilium, & gratiam, & connotat ſalutis eventum, & ſic non eſt dicere quod Deus velit omnes homines ſalvos fieri. Huic reſponſioni magis conſonant Magiſtri, quamvis utraque bona ſit.*

Bonaventura, ut ex ſuperiori teſtimonio liquet, ſic voluntatem antecedentem explicat, nihil ut veterum Theologorum de voluntate Dei ſemper efficaciſſimâ ſententiam lædere videatur.

Auguſtini, Patrum plurimorum & vetuſtiorum Theologorum fuit, quæque omnem prorſus voluntatem generalem excludit, Bonaventuræ probari. Idem affirmare poſſumus de cæteris Theologis, qui Bonaventuræ ſive æquales, ſive inferiores ſententiam veterum probant, tametſi vulgarem aliam ſequuntur. Nam ut quod veriſſimum eſt ingenuè confitear, mirificè placuit pleriſque invecta ab Alenſi voluntatis antecedentis & conſequentis diſtinctio: quæ jam apud certos homines tantam vim habet, ut admiſſa Theologum Catholicum, rejecta ſuſpectum, facere videatur: quamquam ut poſtea dicam, ſententias tota re diſcrepantes tegit: ut aliæ pleræque quæ apud recentiores Theologos poſtmodum obtinuerunt.

## CAPUT XXII.

### *De Scoto.*

SCotus, qui floruit exeunte Sæculo XIII. & An. 1308. obiiſſe fertur; in 1.um D. 46. quæſtione unicâ, *utrum voluntas beneplaciti ſemper impleatur*; docet voluntatem Dei & ſemper & in omnibus impleri: *Quia ſicut Omnipotens poteſt omne poſſibile, ita ſi voluntas divina determinat ſe ad ponendum aliquid in eſſe ultimâ determinatione, illud erit: velle autem illud voluntate beneplaciti eſt ultima determinatio, quæ poteſt poni ex parte voluntatis ipſius Omnipotentis volentis ponere effectum in eſſe: ergo reſpectû cujuſcumque effectûs, ſi Deus eſt ſic volens, illud erit.* Sin aliter accideret; Deus veleſſet infirmus, ſi quod conſtitueret ipſe, aut ſolus per ſe non poſſet exequi; aut ne exequeretur, ab alio poſſet im-

pediri: vel inconſtans & mutabilis, ſi propterea non exequeretur, quod mutatâ priore ſententiâ diſceſſiſſet in contrariam.

Ad duo Scripturæ loca quæ vulgo objiciuntur, Reſpondet: *ad primum argumentum dico quod licet illud dictum Apoſtoli* * *poſſet exponi de diſtributione accommodatâ pro omnibus qui ſalvi fient; tamen multò meliùs poſſet exponi de voluntate antecedente ſic: id eſt, vult omnes homines ſalvare, & ſalvos fieri, quantùm ſcilicet eſt ex parte & ſui, & voluntate ſuâ antecedente, pro quanto eis dedit dona naturalia, & leges rectas, & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem: ſicut de Rege ſtatuente bonas leges; & præfigente miniſtros ad cuſtodiam iſtarum legum, poſſet dici, quod vult omnes ſubditos ſuos pacificè vivere & quietè: & tamen ſi videret aliquem tribulari injuſtè, non ſtatim oporteret, quod Rex intromitteret & ſe ad facien-*

* Deus vult omnes homines ſalvos fieri.

*dum illum quietè vivere, niſi devolveretur cauſa ad ipſum per querimoniam de facto: ergo vult quidem iſte quemlibet pacificè vivere, & quietè antecedenter. Non tamen vult quemcumque ita immediatè vivere. Ita dico in propoſito quod etſi Deus non habeat voluntatem beneplaciti ad iſtum ſalvandum; tamen vult iſti illa adjutoria communia antecedentia ad ſalutem omnium, quibus iſte etiam poteſt ſufficienter bene vivere, & ſalvari. Propter quæ dici poteſt, quod quantùm eſt ex parte ſui vult omnes ſalvos fieri.* Ad ſecundum Scripturæ locum ex Matth. 23. 37. *Quoties volui*, &c. probat reſponſionem Magiſtri, eamque diligenter obſervari jubet. Sic Scotus in eadem ſententia fuit, in quâ & Alenſem & Bonaventuram fuiſſe diximus: hoc eſt, voluntatem antecedentem pertinere quidem ad auxilia quædam communia, quæque ſaluti ſive

proximè ſive remotiùs conducunt, & ab eo ſufficientia nominantur; non pertinere ad ſalutem ipſam exiſtimavit, ne Dei voluntatem aliquando irritam eſſe confiretetur. Ex quo patet eos Deum tantummodò ſalvos velle,. qui ſalutem obtinent. Quòd ſi omnes ac ſingulos nihilominùs ſalvos velle dicitur, id ſemper intelligendum eſt de voluntate externâ & ſigni, non de voluntate propriè dictâ, ſive ut nos loqui ſolemus, voluntate beneplaciti.

Memini me alicubi legere apud Valentiam, iſtos ſolo nomine diſſentire ab aliis qui volũtatem generalem in Deo propriè ineſſe exiſtimant. Sed Valentia vel falli vel fallere videtur; nam ut hoc loco omittam quid per auxilia illa communia & antecedentia intellexerint, quod ab illis non ſatis explicatum eſt, conſtat omnes de prædeſtinatione

gratuitâ convenire, eamque talem eſſe arbitrari ut antecedat omnem meritorum præſenſionem. Ita ſententiam ſuam explicant, ut de eâ dubitari nullomodò poſſit. Quo ſemel poſito, conſtitutoque, de totâ re eſt, non de nomine quæſtio. Nam ſi Deus certos homines ad gloriam æternam gratuitò nullis prævifis meritis deſignavit, illi ſoli ad gloriam pervenient, cæteri nunquam pervenient. Gloriam ſolâ gratiâ conſequimur. Ergo Deus certos homines ad gloriam deſignans certa quædam auxilia gratiæ præparat, quæ nullomodo præparat aliis. Et quia dicitur neceſſarium ad obtinendum finem id ſine quo finis nunquam obtinetur: auxilia ergo præparata prædeſtinatis ſunt planè neceſſaria ad ſalutem obtinendam; cum ſine iis non conſequerentur, nec quiſquam eorum, qui carebunt, conſecuturus ſit. His ergo

qualiacumque auxilia præbeantur, nihilominus deeſt aliquid neceſſarium, hoc eſt aliquid ſine quo ſalus nunquam obtinetur, quale eſt inprimis donum perſeverantiæ, quod Deus ſolis prædeſtinatis præparavit, nunquam præparavit cæteris. Ita in iſtorum hypotheſi nulla eſt in Deo voluntas conditionata de ſalute omnium ac ſingulorum. Ab iis ergo à quibus admittitur, tota re diſſentiunt: minùs quidem à Thomiſtis pleriſque conditionatam rejicientibus, voluntatem propriè dictam ſimul agnoſcentibus, qua Deus ſalvos omnes ac ſingulos velit. Re nihilominus diſſentiunt, non ſolo nomine, cum actionem aliquam Deo tribuere, vel prorſus adimere, de re ipsâ ſit, non de ſola voce quæſtio.

## Caput XXIII.

### *De Durando & Herveo.*

DUrandus Dominicanus & Pariſienſis Doctor floruit ſub an. 1313. Anno deinde 1318. creatus eſt Epiſcopus Anicienſis, tum an. 1326. Meldenſis, poſtremò obiit an. 1333. In eâdem ille ſententiâ fuit in qua & Scotum & Bonaventuram fuiſſe dixi. Sic enim loquitur in 1um. diſt. 47. q. 1a. *voluntas antecedens eſt de eventu rerum ſolùm in univerſali & in potentiâ, ſicut Deus dicitur velle omnes homines ſalvos fieri, quatenus dedit omnibus naturam ordinabilem in beatitudinem, & omnibus quantùm in ipſo eſt, præbet auxilia communia, quibus poſſunt ad beatitudinem dirigi, & eam mereri. Ergo talis voluntas ſtare poteſt cum actuali eventu oppoſito, utpote quòd iſte non ſalvetur.* Et quæſtione 3. *diſtinctio voluntatis divi-*

*næ per antecedentem & conſequentem non eſt ex parte ipſius voluntatis, ſed potiùs ex parte volitorum. Dicitur enim aliquid volitum voluntate conſequente, quando eſt volitum in ſe: ita quòd ſuper illud fertur voluntas divinà: ſed dicitur volitum voluntate antecedente, quando non eſt volitum in ſe, ita quod ſuper ipſum feratur voluntas, ſed ſuper ſuum antecedens, ad quod natum eſt conſequi, licet non ex neceſſitate. Sicut quia Deus vult ſimpliciter homini dare talem naturam, ſcilicet rationalem: ad quam ſequuntur, vel natæ ſunt conſequi tales operationes, per quas poteſt acquirere beatitudinem: ideo Deus volendo antecedens ſimpliciter, dicitur in ipſo antecedente velle cætera quæ nata ſunt conſequi ad illud antecedens ſecundum convenientiam, licet non ex neceſſitate. Similiter cum Deus præcipit aliquid.*
Ergo voluntas antecedens Durando in naturam ipſam comparandæ

beatitudini per ſe idoneam & in auxilia quædam communia quæ beatitudini conducunt, nititur : non in ſalutem. Ex quo ſequitur voluntatem antecedentem ſemper efficacem, nunquam irritam & inanem eſſe : cum natura ad beatitudinem apta conveniat omnibus, auxilia quoque communia vel ſingulis vel pluribus exhibeantur.

Herveus Durando ſuppar in 1um. ſent. Diſt. 41. Art. 1° quædam finitima docet.

*Ex hoc ipſo quòd Deus contulit homini ea quibus ordinatur ad beatitudinem, dando intellectum & voluntatem, præcepta & conſilia, dicitur velle ſalutem omnibus voluntate antecedente, quia vult eis beatitudinem quodammodò in ſuo antecedente, dum vult eis conferre illa quibus poſſunt aſſequi beatitudinẽ.* Joannes Altenſtaig, qui ſcribebat an. 1517. eamdem opinionem ſequitur in ſuo Lexico Theolo-

gico ad vocem *voluntas Dei*, citatque plures ex ſuperioribus in Theologis eam ſententiam.

## Caput XXIV.

### *De Gregorio Ariminenſi.*

GRegorius Ariminenſis docebat Pariſiis an. 1344. Poſtea an. 1357. electus eſt præpoſitus generalis totius Auguſtiniani ordinis, obiitque an. 1358. Ille rejectis iis omnibus quæ Scholaſtici ſuperiores ad veterum Doctrinam adjecerant, Auguſtini ſententiam ſimpliciter amplexus eſt, & ſolidè aſſeruit in primum ſentent D. 46.

Primò diſtinguit voluntatem *beneplaciti*, quæ *non eſt aliud quàm Deus ipſe volens* : & voluntatem *metaphoricam*, quæ *eſt ſignum* primæ.

Secundò voluntatem beneplaciti iterum dividit in voluntatem *ſimplicis complacentiæ & diſplicen-*

*tiæ, ſeu ſimplicis volitionis & nolitionis*, quâ Deus res aliquas approbat, vel improbat alias: & in voluntatem *proſecutionis ac fugæ*; quâ efficit, aut permittit aliquid. Voluntas ſigni eodem modo dividitur. Nam ſigna partim reſpondent primo voluntatis generi; ut præceptum, conſilium, prohibitio: partim ſecundo; ut operatio & permiſſio. Quicquid Deus præcipit, conſulitve, id bonum eſt; igitur Deo probatur & placet: quicquid vetat, id aut ſimpliciter malum eſt, ideoque Deo optimo diſplicet; aut comparatè malum eſt, quatenus repugnat legi; ſicque à Deo improbatur. Præceptum de re faciendâ non dicitur ſignum voluntatis divinæ, quaſi Deus ſemper velit id à nobis fieri quod præcepit: ſi enim vult fieri, ſemper fit: ſed ſignum propterea dicitur, quoniam ſi impleatur, factum probabit, cui bonum om-

ne placet. Similiter Lex vetans quidpiam non dicitur ſignum voluntatis divinæ; quaſi Deus id quod vetatur ſimpliciter fieri nolit; quia ſi nollet, non fieret; ſed quia ſi fiat, improbaturus eſt, cui malum omne diſplicet. Conſilium, ſi impleatur, Deo placet; ſi non impleatur, nequaquam diſplicet. Ita præceptum, conſilium, prohibitio nihil aliud ſignificant, quàm res nonnullas Deo placere, diſplicere alias: primas ab eo probari & in ſeipſis, & in homine, qui fecit: cæteras improbari; quia legi ſive naturali, ſive poſitivæ repugnant. Operatio ſignum eſt voluntatis divinæ, ſive proſecutionis certiſſimum. Vult enim ſimpliciter & abſolutè Deus quicquid agit; neque enim aliter, quàm voluntate agit. Permiſſio eſt ſignum fugæ: hoc eſt, ſignificat ea Deum non velle, quæ tantummodò permittit.

His poſitis concedit multa fieri contra voluntatem ſigni, id eſt contra præcepta & leges. Quicquid enim Deus præcipit, id non aliter vult, quàm approbando: quicquid vetat, hoc non aliter nolle exiſtimandus eſt, quàm ſimpliciter improbando. Negat quidquam fieri contra voluntatem proſecutionis & fugæ, quoniam Omnipotens inaniter velle non poteſt, quodcumque voluerit. Neceſſe eſt enim fieri ſi voluerit, ut Auguſtinus in Enchiridio docet, & hoc niſi credamus, periclitari ait ipſum fidei noſtræ confeſſionis initium, quâ nos in Deum Patrem Omnipotentem credere confitemur.

Tertiò ad locum Apoſtoli 1. Tim. 2. 4. accedens: *dicitur communiter à modernis*, inquit, *quod verbum Apoſtoli intelligendum eſt de voluntate antecedente, non autem conſequente. Et ſecundùm iſtos non ſemper voluntas antecedens im-*

*pletur, conſequens autem ſemper. Et fundant ſe iſti ſic ſolventes ſuper dicto Damaſceni L. 2. ubi ait:* oportet ſcire, quod Deus antecedenter vult omnes homines ſalvari, & Regno ejus potiri, &c. Mox obſervat diſtinctionem variè intelligi ſolere.

*Dicunt enim quidam, quòd illud quod volumus antecedenter, non volumus ſimpliciter:* (ad marginem adſcribitur *Thomas p. 1. q. 19. a. 6.*) *ſed ſecundum quid. Quod autem volumus conſequenter, volumus ſimpliciter. Poteſt autem idem uno modo eſſe volitum, cujus oppoſitum alio modo volitum eſt: ſicut judex ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi: ſed ſecundum quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantùm eſt homo. Unde, ut dicunt, iſta voluntas antecedens magis poteſt dici velleitas, quàm abſolutè voluntas. Quicquid autem vult ſimpliciter, fit; licet illud quod antecedenter vult, non fiat.*

Primam hanc reſponſionem ſtatim refellit, (& ad marginem adſcribitur. *Contra Dominum Thomam, ubi ſupra.*) *Sed iſta reſponſio ſic intellecta non valet. Primò quidem, quia ſive velleitas ſit quidam actus voluntatis in nobis, qui ſignificetur, cum dicitur:* vellem hoc, *vel*, ille vellet: *ſive non; quod poſſet eſſe dubium: nihilominùs ad propoſitum non facit: quoniam tales non ſignificantur per verbum indicativi modi: nec aliquâ velleitate præcisè poſitâ in voluntate verè dicitur, quòd vult, quamvis dici poſſet, quod vellet. Nec ſequitur, vellem, ego volo. Cum ergo Apoſtolus dicat*, vult; *& non*, vellet: *& ſimiliter Damaſcenus; patet non congruè intelligi de volitione aliquâ conditionali. Præterea, cum, ut in materiâ de prædeſtinatione probatum eſt, Deus æternaliter quoſdam determinatè reprobaverit: & per conſequens noluerit eorum miſereri, ut ſalvi*

*fierent: non apparet quâ conditione ſubintellectâ poſſit rationabiliter intelligi, quòd Deus vellet tales ſalvari. Et hoc plurimùm confirmatur ex his quæ dicit Auguſtinus de Tyriis & Sydoniis : & ibidem recitata ſunt. Secundò conſtat quòd Deus aliquos homines determinatè & in particulari ſimpliciter & abſolutè vult ſalvari. Ergo ſecundum hanc reſponſionem vult eos ſalvari voluntate conſequente. Sed hoc eſt falſum ſecundùm intentionem Damaſceni ubi ſupra ipſa fundatur. Ait enim quòd voluntas antecedens eſt acceptatio ex ipſo exiſtens: ſequens autem voluntas eſt ex noſtrâ causâ. Et hac voluntate, ut præmittit, vult Deus peccatores puniri; ſicut probatum eſt ſuprà. Et iſti etiam ſic reſpondentes alibi etiam tenent, quod non ex aliquâ causâ noſtrâ Deus aliquos prædeſtinavit. Ergo non ad intentionem Damaſceni intelligunt voluntatem Dei conſequentem, ſeu Deum aliquid conſequenter velle.*

Subjicit deinde propriam Scoti de voluntate antecedenti & conſequenti ſententiam, quæ in eo poſita eſt, ut Deus omnes voluntate antecedenti ſalvos velle dicatur, *quia omnibus dedit dona naturalia, & leges rectas & adjutoria communia ſufficientia ad ſalutem*: aliquos tantummodò conſequenti, quibus propter propria merita deſtinat beatitudinem. Aliam mox repreſentat Ochami non abſimilem: ut voluntas antecedens ſit donorum naturalium vel antecedentium ad conſequendum aliquid largitio; & voluntas nobis cooperandi, ſi oblatis uti velimus: conſequens verò ſit voluntas efficax rei efficiendæ. Sic Deus voluntate antecedenti vult omnes ſalvos eſſe, qui & omnibus dat antecedentia, quibus ſalutem conſequi poſſint, & præcipit ſimul, conſulitque ut oblatis utantur: nunquàm verò quominus utantur,

prohibet : paratus quoque cooperari, ſi agere velint.

Sententiam hanc refellit Ariminenſis *primò quidem quia in eo quod dicunt de voluntate antecedente, implicant falſum. Videlicet, quòd omnibus Deus dat antecedentia ſufficentia ad ſalutem. Conſtat enim quòd pueris ante Baptiſmum, ſive in uteris matrum, ſive egreſſis ex utero morientibus non dat talia ſufficentia, quibus conſequi poſſint ſalutem. Præterea conſtat, quia ſine fide impoſſibile eſt de potentiâ Dei ordinariâ quemquam ſalvari: ſed conſtat, quòd non omnibus dat Fidem. Unde, ut dicit Auguſtinus in libro de prædeſtinatione Sanctorum:* [a] eam quibuſdam dari, quibuſdam non dari omnino non dubitat, qui non vult manifeſtiſſimis ſacris literis repugnare. *Ergo non omnibus dat Deus antecedentia ſufficientia ad conſequendam ſalutem. Ita poſſet argui de aliis quibuſdam gratuitis donis Dei ad*

a *N. 16.*

*ſalutem conſequendam neceſſariis, quæ non omnibus certum eſt Deum largiri. Præterea ſi ideo dicatur Deus velle omnes ſalvari antecedenter, quia omnibus vult, vel dat antecedentia ſalutis; quæcumque ſunt illa, multò fortiùs dici deberet, quòd vult omnes peccare, vel eſſe in peccato antecedenter: quoniam omnibus dat antecedentia, quibus poſſunt peccare. Ex ſe ipſis enim vel naturalibus propriis certum eſt homines poſſe peccare. Et pueri omnes naturaliter naſcuntur in peccato: & tamen nullus hoc diceret Deum velle antecedenter. Quin immò ſecundum Damaſcenum ibidem, ſola bona vult nobis Deus antecedenter. Nec evaditur hoc per hoc, quòd inter illa antecedentia iſti ponunt præcepta & conſilia. Nam ſi ſine talibus per ſola naturalia poſſent conſequi ſalutem, non numerarentur ab iſtis inter antecedentia ſalutis. Itaque ſecundum iſtos ideo ſalutem vult omnibus an-*

*tecedenter, quia vult omnia antecedentia ſalutis ſufficientia: ergo eadem ratione & quodlibet, cujus antecedentia ſufficientia vult nobis Deus, Deus nobis vult antecedenter. Secundò reſponſio non eſt vera, quãtùm ad illud, quod dicunt de voluntate conſequente. Non quidem dictum primorum. Tum quia dicunt, quòd Deus voluntate conſequente vult nobis beatitudinem; cum Damaſcenus expreſsè dicat, voluntate antecedente. Dicit enim quòd Deus antecedenter vult omnes homines ſalvari, & Regno ejus potiri, & fortunari. Quod non eſt aliud dictu, quàm dicere, quòd vult antecedenter omnes homines eſſe beatos. Tum quia dicunt, quòd vult alicui beatitudinem propter merita ſua. Nam cum prædeſtinare non ſit aliud, quàm propoſitum vel voluntas dandi beatitudinem, ſeu vitam æternam; vel hoc ſit principaliter, ut ſuprà patebit: ſequeretur quòd aliquem Deus propter me-*

*rita ſua prædeſtinaſſet. Quod eſt expreſsè contra Sacram Scripturam & contra hunc doctoremmet.*

Ocham ſupra. » *Quòd etiam alii dicunt*, quòd » voluntas conſequens eſt, quâ « vult aliquid efficaciter ponendo « illud in eſſe, *eſt etiam contra Damaſcenum ibidem. Nam ſequitur quòd beatitudinem & alia bona, quæ Deus vult efficaciter hominibus illa ponendo in eſſe, velit voluntate conſequenti; & tamen dicit Damaſcenus, quòd voluntate antecedente. 2°. Secundum Damaſcenum Deus ea quæ vult nobis conſequenter, vult ex causâ noſtrâ. Ex quo ſequitur, quod quodcumque bonum Deus homini conferret ſive meriti; ſive præmii; illud daret & vellet ei ex causâ ejus. Quod indubitanter hæreticum eſt. Nam ſic nulla eſſet gratia.*

Poſteaquam Gregorius cæterorum ſententias doctè ac ſolidè refutavit, ſic demum ipſe manifeſtis Auguſtini teſtimoniis conſ-

tituit ſuam. RESPONDEO *ergo ſecundum Auguſtinum in Enchiridio, & Magiſtrum in præſenti diſtinctione* : *quòd illa auctoritas intelligenda eſt ſecundùm diſtributionem accommodam ; ut ſic dicat* vult omnes ſalvos fieri ; *tanquam diceretur :* nullum hominem ſal- « vum fieri, niſi quem fieri ipſe « velit : non quod nullus ſit ho- « minum, niſi quem ſalvum fieri « velit : ſed quod nullus fiat ſalvus, « niſi quem velit ſalvari ; & ideo « rogandus ſit ut velit ; quia ne- « ceſſe eſt fieri ſi voluerit. *Sic enim,* « *ſubdit ipſe*, intelligimus quod in « Evangelio ſcriptum eſt, *qui illu-* « *minat omnem hominem* : non quia « nullus eſt hominum, qui non « illuminetur, ſed quia nullus niſi « ab ipſo illuminatur. *Poteſt quo-* « *que intelligi prædicta auctoritas, ut ibidem ſubdit ; ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum : non pro ſingulis omnium generum. Et eſt ſenſus* : vult, &c. *id eſt de omni*

*Auguſt. in Enchiridio c. 103.*

*hominum ſtatu & nobilium & ignobilium, pauperum & divitum, virorum & mulierum: & ſic de ſingulis hominum differentiis vult aliquos ſalvos fieri. Et hanc expoſitionem bene oſtendit ibi intentioni Apoſtoli, & literæ convenire.*

*Auguſt. Ibidem.* „ Iſtis ergo modis, & quocumque „ alio modo, *ut ſubdit ſequenti ca-* „ *pitulo*, intelligi poteſt illud A- „ poſtoli, dum tamen credere non „ cogamur aliquid Omnipotentem „ Deum voluiſſe fieri; factumque „ non eſſe: qui ſine ullis ambigui- „ tatibus ſive a *in Cælo*, ſive *in* „ *Terrâ*, ſicut veritas cantat, *ſi om-* „ *nia quæcumque vuluit, fecit*; pro- „ fectò facere noluit, quodcum- „ que non fecit.

a *Pſal. 134. 6.*

Mox Damaſceni verba ad interpretationem Auguſtinianam inflectit. *Et eodem modo intelligenda eſt auctoritas Damaſceni præallegata. Verùm ad intellectum illius diſtributionis de voluntate; ſciendum, quòd quæcumque Deus vult nobis,* aut

*aut facit in nobis, vel habent in nobis cauſam meritoriam: & talia dicit Damaſcenus Deum velle conſequenter; ſicut pœnam quamlibet & punitionem: quam propterea vult nobis, quia peccavimus. Itaque peccatum eſt cauſa meritoria pœnæ, quam nobis infligit. Aut non habent in nobis talem cauſam meritoriam, ſaltem primam: ſed ex ſuâ bonitate & gratiâ illa nobis concedit; & talia ſunt bona omnia, quæ habemus. Et hoc dicit ipſum Deum velle nobis voluntate antecedente; quoniam nulla in nobis cauſa antecedit; ſeu nihil in nobis præcedit cauſalitatis ejus voluntatem, ut talia nobis velit. Quod eſt dictum; quia non propter aliud in nobis vel ex nobis vult primò aliqua bona nobis: ſed ex ſuâ bonitate primò. Unde & merita noſtra ſunt dona ejus, ut dicit Auguſtinus L. 13. de Trinitate. Non ergo talis voluntas conſequitur cauſaliter, vel meritoriè aliquid in nobis; & ideo*

*non ex causâ noſtrâ, ſicut voluntas punitionis. Nam quia peccamus, ideo vult punire; ſed ex ſe ipſo, & ideo illam vocat conſequentem; hanc autem antecedentem.*

Id ex Damaſceni verbis rectè concludi affirmat. Nam *præmiſſa Deum velle omnes ſalvari, & peccatores puniri, ait*: dicitur ergo prima antecedens voluntas & acceptatio ex ſeipſo exiſtens. Secunda verò ſequens voluntas, & conceſſio ex noſtrâ causâ. *Et poſtea ſubdit*, quod quæcumque ſunt in nobis bona Deus vult nobis antecedenter. Quæ verò perniciosa & verè mala, & peccata: neque antecedenter vult, neque conſequenter: concedit autem, id eſt, permittit libero arbitrio. *Itaque ex ejus ſententia poſſumus colligere unam diviſionem generalem talem: omnium quæ ſunt in nobis, quælibet vel ſunt bona vel mala. Si autem bona, illa vult nobis Deus antecedenter, & ex ſe*

*ipſa tanquam ex primâ causâ omnium bonorum noſtrorum liberali & gratuitâ. Si mala; vel ſunt mala pœnæ, vel culpæ. Si pœnæ, illa vult nobis conſequenter; non ex ſeipſo, ſed ex causâ noſtrâ. Non enim ſine causâ & demerito noſtro punit; ſicut ſine causâ, & merito bona largitur. Si autem ſunt mala culpæ, illa nobis neutro modo vult, nec illorum nobis eſt cauſa; quoniam nec vult nos peccare, nec facit ut peccemus; ſed concedit & permittit libero arbitrio. Ex hoc patet quod non ad mentem ejus prædicti Doctoris ſuam præmiſſam diſtinctionem aſſumunt.*

Locum integrum deſcripſi, in quo plurima doctrinæ Auguſtinianæ capita perſtringuntur: ut gratuita prædeſtinatio, gratia minimè communis omnium. Sic verò ea, quam nos unam hîc diſtinguimus, de voluntate generali quæſtio pertractatur; ut è veteribus Scholaſticis qui ſolidius, ple-

niùs & ad Auguſtini mentem accommodatiùs pertractaverit, repererim neminem. Voluntatis antecedentis & conſequentis diſtinctionem ante annos centum è Græciâ ad Latinum orbem advectam: diſtinctionis quoque interpretationes uſitatas ſic explicat, aut refellit, ut nec voluntati generali faveat diſtinctio, nec ulla ex parte noceat Auguſtiniano dogmati.

## CAPUT XXV.

### *De Marſilio & Bradvvardino.*

Floruit ſæculo XIV. obiitque an. 1394.

MArſilius ab Ingen, quem Germanum Abbati Germano, Doctorem Pariſienſem Germano rudi & indocto opponendum eſſe exiſtimavi; non aliam agnovit voluntatem generalem, quàm externam & ſigni, quæque in præceptis & conſiliis communibus conſiſtit. Atque imprimis ſtatuit L. 1°. q. 44. an. 2.

voluntatem beneplaciti ſemper impleri, non item voluntatem ſigni, cum divinæ leges & præcepta ab hominibus ſæpe contemnantur. Quoniam verò adversùs voluntatem illam Dei ſemper & in omnibus efficaciſſimam objici ſententia Apoſtolica ſolet: *Ad hoc*, inquit, *quod aſſumitur ab Apoſtolo, quòd velit omnes homines ſalvos fieri, exponunt quidam omnes ſalvandos; alii verò omnes, id eſt de ſingulis nationibus aliquos. Alii dicunt, quòd Apoſtolus ibi loquatur de voluntate antecedente & ſigni; ut ſit ſenſus: Deus januam Paradiſi omnibus ſua Paſſione aperuit, & de omnibus peccatis ad ſufficientiam Patri ſatisfecit, & legem dedit omnium ſalutem exprimentem ſcilicet præceptorum & conſiliorum, ſecundùm quam quis vivens ſalvus erit, ſed non vult hoc voluntate conſequentis vel beneplaciti, quia nunquam erit, quòd omnes ſalvi fiant.* Quo in loco vo-

luntatem antecedentem cum voluntate externâ & ſigni penitus confundit, nec alias interpretationes ſententiæ Apoſtolicæ interpretationes agnoſcit, quàm & Auguſtinianas & illam ultimam de voluntate externa & ſigni. Negat denique Deum omnes ſalvos velle voluntate beneplaciti.

Cum Germano Anglum, eumque antiquiorem conjungimus Thomam Bradvvardinum, qui è Franciſcano Archiepiſcopus Cantuarienſis creatus eſt anno 1349. nec multò pòſt diem extremum obiit.

Scripſit ille amplum Volumen de causâ Dei adverſus Pelagium, in quo tametſi nihil de loco Apoſtoli datâ operâ ſcriptum reperi, ea tamen principia ſtatuuntur quæ voluntatem generalem prorſus excludant. L. 1°. cap. x. docet, & pluribus Auguſtini teſtimoniis, iis præſertim in quibus

de Apoſtoli loco agitur, conſti-
tuit voluntatem Dei * *univerſa-
liter efficacem, inſuperabilem eſſe
& neceſſariam in cauſando, non
impedibilem, nec fruſtrabilem ullo
modo.* * *Omnipotentem non poſſe
velle inaniter quodcumque volue-
rit, facere noluiſſe quodcumque non
fecit.* * Cum Deus quidpiam *vult
facere vel fieri, ſive per ſe ſive per
aliud quovismodo, ſequi neceſſariò
ut id fiat & eodem modo.*

Cap. 23. *omne ſalvandum aut
damnandum, præmiandum vel pu-
niendum ſub quocumque gradu vo-
luiſſe eum ab æterno ſalvari vel
damnari, præmiari ſimiliter, vel
puniri; & hoc nedum voluntate
conditionali aut indeterminatâ, ſed
ita abſolutâ & determinatâ, ſicut
vult in præſenti vel finali judicio,
aut poſt volet.* Et poſtea. *Quando
Deus creavit naturam Angelicam
& humanam, aliquod de ipſa fina-
liter intendebat abſolutè & deter-
minatè, (illa enim ſapientia quæ*

* P. 195.
* P. 196.
* P. 197.
P. 240.
P. 242.

*attingit à fine uſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuaviter, non agit ſtultiùs, ſeu vaniùs, quàm natura & voluntas creata, quæ agunt actiones determinatas propter finem determinatum) & non intendebat quod tota ſtaret, & beatitudine finaliter frueretur, quia tunc ejus propoſitum fruſtraretur, quod capitulum decimum* de voluntate Dei ſemper efficaciſſimâ *non permittit.* Et mox. *Deus ergo non intendebat ſtatum cadentium, nec beatitudinem damnandorum. Quare intendebat aliquomodo caſum & damnationem cujuſcumque talis.* Hæc omnia concludit ex duobus principiis quorum primum eſt voluntas Dei ſemper efficax; alterum, eadem voluntas immutabilis.

Cap. 25. duo potiſſimùm ſibi objicit; 1um eſt, Angelos Deum & homines creaſſe ad beatitudinem, quam ergo voluit, tum cum crearentur, nunc minimè

vult: alterum, judam fuiſſe in charitate & gratiâ, quæ ſola teſte Auguſtino diſcernit inter filios regni & gehennæ: ergo Deus eum aliquando ſalvũ eſſe voluit, quem jam vult damnari. Hæc noſtra propriè eſt quæſtio.

Ad primum, reſponſionem patere ait ex capite 23. quod jam recitavi: hoc eſt, Deum nunquam voluiſſe propriè ut omnes gloriam æternam conſequerentur: *pro intellectu tamen Sanctorum* addi & hoc poſſe, naturam ita conditam fuiſſe, ut eſſet capax beatitudinis, qua ſe per peccatum privavit. Ad ſecundum, duplicis charitatis mentione factâ: *cum igitur*, inquit, *accipitur in argumento, quando Judas fuit in charitate gatiâ, Deus eum voluit ſalvari, loquendo de charitate & gratiâ increatâ ſpecialiter, quatenus ſcilicet Deus habet aliquem ſibi charum, & gratificat eum ad vitam æternam, non eſt*

*verum; quia Judas nunquam fuit in tali charitate vel gratiâ; quoniam Deus nunquam habuit eum gratum aut charum ad vitam æternam. Si autem loquatur de charitate, gratiâque creatis, & de voluntate Dei propriè & eſſentiali, non eſt verum, quia Deus nunquam ſic voluit Judam ſalvari; & tum hoc probatur, quia ſola charitas dividit inter filios Regni & perditionis, loquendo de charitate creatâ, non eſt verum. Multi enim peccatores ſurrecturi & permanſuri finaliter hanc non habent; multi quoque juſti caſuri, & ſic permanſuri finaliter illam habent. Sed ſola charitas increata, quæ hos habet caros ad regnum, & hos non habet, dividit inter filios Regni & perditionis, ſicut in principio lucem à tenebris dividebat: & de illâ charitate loquitur ibi Auguſtinus.* Sin trito & uſitato ſermone juſtum Deus velle ſalvum dicitur, id intelligendum eſt de voluntate ſigni externâ vel de juſtitia

quæ hominem vitâ æternâ dignum facit. *Si autem loquatur de voluntate ſigni, ſive effectus voluntatis divinæ, cum præmittitur quando Judas fuit in charitate, Deus voluit eum ſalvari, verum eſt. Et cum arguitur ulterius, Deus non vult eum ſalvari, ergo voluntas Dei mutatur, loquendo uniformiter bene concludit, ſcilicet quod effectus & ſigna voluntatis divinæ mutantur.* Id etiam dici poſſe ait ſecundùm præſentem juſtitiam quâ dignus erat vitâ æternâ, non ſecundùm præſcientiam & prædeſtinationem. In Cap. 45. & 46. docet prædeſtinationem ad gloriam, & ad certos gradus gloriæ, reprobationem quoque, quatenus *accipitur pro æterna Dei nolitione gratiæ alicui, non pro ejus temporali effectu, ſcilicet gratiæ privatione ſeu deſertione, quæ vocatur obduratia,* nullam habere cauſam niſi ſolam voluntatem & beneplacitum, non opera hominum futura. Id

2. cap. 6. tentationi neminem reſiſtere niſi per ſingulare auxilium Dei, idque nihil eſſe aliud, quàm invictam Dei voluntatem. Idem cap. 7. ſtatuit de quibuſcumque peccatis quæ vitantur. Cap. 8. & ſequentibus, neminem quantâcumque gratiâ ſive charitate inſtruatur, ſine ſingulari auxilio Dei perſeverare in bono uſque ad finem poſſe: & donum hoc omnino gratuitum eſſe, nec cujuſquam meritis comparari.

Ex his omnibus neceſſariò ſequitur nullam eſſe in Deo voluntatem generalem; quæ ſi admittatur, erit irrita & inefficax. Neque enim conditionata dici poteſt, cum conditio ad ſalutem neceſſaria ſit donum perſeverantiæ, quod tam eſt gratuitum, quàm prædeſtinatio; neque ex nobis pendet, cum nullis meritis comparari poſſit. Accedit Deum ne eos quidem Deum ſalvos propriè velle, ut aucto-

rem affirmantem audivimus; qui juſtitiam habent temporalem tantummodò, ut Judas, dum juſtus fuit. Addi denique & illud poteſt, quod reprobationem, quatenus eſt æterna gratiæ non conferendæ voluntas, vel gratiæ privatio, pendere ait ex beneplacito Dei, non ex prævisis operibus. Quæ omnia voluntatem generalem excludunt apertiſſimè, nec aliam Deo tribui patiuntur, quàm quæ ad ſolos prædeſtinatos pertineat.

## CAPUT XXVI.

### *De Majore & Cajetano.*

MAjor percelebris ſæculo XV. in Academiâ Pariſienſi Doctor, nihil à Bonaventura, Alenſi & Scoto diſſentit. D. 45. q. unicâ, ſemper fieri ait quicquid Deus vult voluntate beneplaciti: quod verò non vult, id nunquam fieri; ut Auguſtinus

in Enchiridio docet: Voluntate ſigni Deum aliquando prohibere, quod vult ipſe voluntate beneplaciti; hoc eſt eâ, quæ ſemper impletur.

Ad locum Apoſtoli: *Deus vult omnes ſalvos fieri*: multiplex eſt reſponſio. *Uno modo*, inquit, *ſicut Auguſtinus reſpondet in Enchiridio 96. & 102. & Magiſter in litera, quod illa auctoritas eſt intelligenda ſecundum diſtributionem accommodam; ut ſi diceret, nullus ſalvatur, niſi quem Deus vult ſalvum fieri; non quòd nullus ſit hominum, niſi quem ſalvum facere velit. Alio modo, ut ſit diſtributio pro generibus ſingulorum, &c. Tertio modo, ex ſententia Joannis Damaſceni: Deus vult omnes homines eſſe ſalvos antecedenter, & non conſequenter. Quod communiter ſic exponitur: Deus dat omni homini auxilia, quibus conſequi poteſt ſalutem, & per actus congerere, ſi ipſe velit. Nec illi contrarium*

*manifeſtat per præceptum; vel conſilium.*

Auguſtinianas interpretationes probat Major: ultimam, quæ eſt Damaſceni confundit cum voluntate ſigni externâ, eamque ferme explicat, ut Bonaventura, aliique complures, quorum teſtimonia repreſentavi.

Cajetanus è familiâ Dominicanâ Cardinalis floruit ſub initia ſuperioris ſæculi, mortuuſque eſt an. 1514. ætatis 66. ut Bellarminus in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis teſtatur.

In caput ſecundum Epiſtolæ prioris ad Timotheum recitatis Apoſtoli verbis: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire*: mox ſubjicit. *Non eſt hîc, ſpeculative Theologe, ſermo de voluntate beneplaciti; de quâ ſcriptum eſt*: omnia quæcumque voluit, Dominus fecit in Cœlo & in Terrâ: &c. quia voluntati ejus nemo poteſt

reſiſtere; *ut clarè patet ex eo quod videmus non omnes homines ad agnitionem veritatis venire: ſed eſt ſermo de voluntate ſigni, quâ Deus proponit omnibus hominibus præcepta ſalutis, doctrinamque Evangelicam; & illis imputatur qui nolunt venire ad veritatis cognitionem, & nolunt ſalvi fieri.* Ecce paucis verbis totam quæſtionem abſolvit. Negat Apoſtolum de voluntate beneplaciti agere, quæ ſemper eſt efficax, nunquam irrita & inanis: de ſola voluntate ſigni, quæ externa eſt, & in præceptis, quæ omnibus promiſcuè, tanquam regula generalis, proponuntur; agere contendit.

## CAPUT XXVII.

*De cenſurâ Lovanienſi & Duacenſi.*

SI Theologos omnes, qui Auguſtinianas interpretationes ut Paulinæ ſententiæ conſentaneas probaverint, tametſi

addunt aliquando aliam de voluntate antecedente uti non improbabilem, recenſere velim, in infinitùm creſcet oratio: cum è probatis interpretibus, Theologiſve nullus ferme ſit, qui ſingulas non proferat, & non probet. Nec S. Thomæ diſcipulos, nec cæteros interpretes teſtes citabo, quorum notæ ſunt ſententiæ, cum eos tantummodò citare ſtatuerim qui vel non alias probaverunt, vel qui reprehenſas vindicarunt ab adverſariorum calumniis.

Solis recentioribus nonnullis ut Auguſtinianum dogma diſplicuit, ita & Auguſtiniana ſententiæ Apoſtolicæ interpretatio. *Tres quatuorve interpretandi modi*, [a] inquit Petavius, *ex Auguſtino commemorati ſunt, qui mihi quidem ad eludendum magis excogitati, quam certi ac ſolidi videri ſolent.* Tanta eſt hominis in eum reverentia [b] *cujus de gratiâ ſententiam quotquot deinde conſe-*

[a] *Tom.* 1. *L. x. c.* 3. *n.* 2.

[b] *Ibid L. ix cap.* 6. *n.* 1.

*cuti ſunt Patres ac Doctores, tum vero Eccleſiæ Romanæ præſ.ites, pluſulumque conventus aliorum ratum & Catholicam eſſe judicarant; ut hoc ſatis magnum putarent veritatis argumentum quod ab Auguſtino poſitum ac decretum eſſe conſtaret.* Quæ duo Petavii loca ſi conjungantur, conſequens erit illud Molinæ: a *Patres antiquos, antiquaque Concilia legenti perſpicuum erit parum admodum lucis fuiſſe circa ea quæ ad gratiam ſpectant*: cum ad rejiciendam voluntatem generalem, & tuendam Auguſtini ſententiam Patres, Theologique conſpiraverint, nec quidquam fere ſit, in quo major appareat veterum conſenſio.

a *In Concord. q.14 a.13. diſp. 15.*

Interpretationes Auguſtinianæ, quæ erant olim à Semipelagianis impugnatæ, ut Hilarium ſupra cap. 4. teſtantem audivimus; Lovanii an. 1586. palam impugnari cœperunt à Leſſio & Hamelio, quorum iſta propoſitio

ea inter cæteras ferebatur a hunc *locum; Deus vult omnes ſalvos fieri; id eſt vult omnes ſalvos fieri, qui ſalvi fiunt: non videtur exponere Auguſtinus ſecundùm intentionem Apoſtoli.* Sed Epiſcopis Belgii auctoribus utraque Academia Lovanienſis & Duacenſis cùm in cæteris, tum in hoc capite Auguſtini doctrinam acerrimè vindicavit.

a Cenſura Lovan. p. 28. Edit. Pariſienſ. an. 1641.

*Mirum*, b inquiunt Lovanienſes, *cur diſſimulatis aliis pluribus loci hujus apud Auguſtinum interpretationibus, una hæc potiſſimùm accepta ſit, quæ tam operosè oppugnaretur, niſi quia forte ad expugnandum viſa opportunior eſt, quâ everſâ, alteri quæ Maſſilienſibus potiſſimùm placuit, certior aditus muniretur, eâque deinde periculoſo dogmati fundamentum ſterneretur: cum tamen illa ipſa Auguſtini interpretatio nec à Scripturarum ſit conſuetudine aliena, nec ſenſui Apoſtolico malè congruat. Cum enim*

b Ibidem, p. 29.

*pro omnium ſalute fundi orationem B. Paulus voluiſſet: quid inconveniens, ſi hoc ideo faciendum ſubjunxit, quia Dei donum ſit hominum converſio, & nemo ſalvus fiat, niſi quem ille ſalvum gratiæ ſuæ propoſito fieri voluerit? Propterea enim pro infidelibus, ut convertantur, orat Eccleſia, quia fidem & pœnitentiam à Dei dono & gratiâ pendere non dubitat. Sed neque hanc expoſitionem, ut Scholium adjectum ſignificat, vel D. ipſe Auguſtinus, vel Proſper tanquam minùs conſentaneam uſquam corrigit; tametſi B. Auguſtinus, ut paulò antè indicabamus, alias plures proponat: [a] & Proſper ſic alicubi locum tractet, [b] ut ad omnes pertinere poſſit; ſed quoad generalem Dei benignitatem (* quæ in ſolis naturalibus donis poſita eſt, ut probavi ) *non autem ſpecialem, ut loquitur, Dei miſericordiam.*

a *Enchir. cap.* 103. *de Correp. & Grat. c.* 14. & 15.
b *L.* 2. *de Vocatione Gent. cap.* 25.

Superiorem aſſertionem quin-

-tiam : [a] *jubentur omnes baptizari : ergo Deus, quantùm in ipſo eſt, vult omnibus dare gratiam baptiſmi*: ſic refellunt : [b] *ſicut non vult dare omnibus gratiam ſuam voluntate beneplaciti : ita non vult omnes nec baptizari. De illâ enim ſcriptum eſt voluntate* : omnia quæcumque voluit, fecit. *Non ergo aut baptiſma, aut gratiam deeſſe cuiquam paſſus fuiſſet, ſi ea bona ſic omnibus voluiſſet. Baptizari autem vult omnes voluntate ſigni quæ in præcepto eſt, quòd poſt promulgationem non obligat niſi adultos. Quod autem hujus prædicationis miniſterium non omnibus populis ne novi quidem teſtamenti tempore ſemper adhiberi voluerit, patet ex Actis ; ubi Paulus & Sylas vetantur à Spiritu Sancto verbum Dei in Aſiâ loqui, & cum tentarent ire in Bithiniam, non permiſit eos Spiritus* J. E. S. U. *Quomodò baptizari ergo tunc eos voluit, quibus ne prædicari qui-*

a P. 27.

b Ibidem, P. 28.

*dem permiſit*? Si quicquid Deus vult voluntate beneplaciti, id ſemper fieri neceſſe eſt: ſi ſolâ voluntate ſigni vult omnes baptizari quoniam non omnes baptizantur, conſequens ergo eſt voluntate quidem ſigni eum omnes ſalvos eſſe velle, non voluntate beneplaciti.

In juſtificatione cenſuræ ſuæ [a] Auguſtinianas interpretationes iterum probant, & poſterioribus Eccleſiæ Doctoribus Proſpero, Fulgentio, Thomæ, & alii ſemper probatas fuiſſe affirmant. Adduut nihilominus voluntatem antecedentem, ut à S. Thoma explicata eſt, à ſe non improbari. Quâ ratione verò Doctores Lovanienſes, ut Eſtius, Sylvius, Heſſelius voluntatem antecedentem intelligant, & è Thomiſtis plurimi, dicam poſtea pluribus.

Duacenſes in cenſurâ ſuâ ad aſſertionem ſeptimam [b] *bonam*

[a] *Cap.* XII *p.* 230. & 231.

[b] *P.* 96.

*Sanctiſſimi, doctiſſimique Eccleſiæ Doctoris expoſitionem appellant.* Aſſertionum auctorem convenire aiunt & cum Catharino, qui impudenter ſcripſerit *talibus gloſſis lacerari, & deſtrui verbum Dei:* & cum Eraſmo, qui generatim pronunciaverit *nuſquam à veteribus peccatum eſſe magis, quàm in veris, atque germanis Divinarum Scripturarum proferendis intelligentiis, quando contra hæreticos veritatem propugnabant Catholici.* Quâ quidem opinandi temeritate & licentiâ novos hæreſibus damnatis aditus aperiri teſtantur; & tametſi aliæ ſint apud Auguſtinum interpretationes, non improbandæ; hanc ipſam tamen, quæ ab adverſariis maximè petitur, cum Apoſtoli ſententiâ congruere, ut Auguſtinus primùm, deinde Proſper, Fulgentius, denique probavit.

## Caput XXVIII.

*Argumenta ſeptem adverſus interpretationes Auguſtinianas proponuntur & ſolvuntur.*

Argumentis ſex & amplius Auguſtinianas interpretationes impugnari ſolere obſervatum eſt à Lovanienſibus & Duacenſibus, qui generatim tantummodò reſpondere dignati ſingula contempſerunt.

Argumenta ſeptem Alvares Dominicanus in libro 5°. de Auxiliis Diſput. 33. proponit ac diſſolvit. In ſingula breviter excurram, magis ut ne quid neglexiſſe videar, quàm quòd diſputationem uberiorem mereantur.

Primum eſt: omnes & homines & Angelos Deum ad vitam æternam ordinaſſe, & in manu conſilii ſui reliquiſſe, ut adjuvante gratiâ vitam conſequi poſſent, ſi vellent; quam revera conſequerentur,

ſequerentur, ſi Deum ordinantem ſequerentur. Cur autem non ſequantur, nec aſſequantur omnes, ipſorum culpa eſt, non Dei. Omnes ergo & ſingulos Deus vult ſalvos eſſe: nec reſtringenda eſt Apoſtoli ſententia, ut ab Auguſtino reſtringitur.

Reſpondet Alvares Deum voluntate conſequenti, quæ eſt propriè voluntas, ſolos electos ad vitam ordinaſſe: voluntate antecedenti cæteros. Quæ reſponſio non ſatis convenit cum doctrinâ Auguſtini, qui voluntatem antecedentem funditus ignoravit; niſi voluntas antecedens confundatur cum tertiâ ejuſdem interpretatione, ut ab Alvare confunditur ibidem n. 1. & ab aliis compluribus Thomiſtis quos poſtea citabo.

Erit accommodatior ad Auguſtini principia reſponſio; ſi dicamus homines & Angelos in primâ inſtitutione ad vitam æter-

nam ordlnatos eſſe; & auxiliis omnibus ad retinendam juſtitiã, charitatemque, quam acceperant; neceſſariis inſtructos. Erant omnes in manu conſilii ſui. Cæteris per liberum arbitrium perſeverantibus, ut Auguſtinus docet, peccavit magna Angelorum pars, & in æternùm periit: lapſus quoque eſt primus homo, & in eo tota ejus poſteritas. Idcirco omnibus creationis ſuæ prærogativis exutus eſt Adam; & omnes ejus poſteri. Voluntas vitæ largiendæ erat conditionata: hoc eſt, Deus condens hominem voluit omnes ſalvos eſſe, ſi in juſtitia acceptâ perſeverarent; perſeverandi poteſtatem fecit, collatis pleniſſimè iis omnibus quæ ad hoc ſufficerent, ſic ut tota ex ejuſdem nutu penderet conditio. Amiſit juſtitiam Adam, culpamque poſteris tranſmiſit, & omnes juſtitiâ, gratiâque omnibus præparatâ frauda-

vit. Hinc factum eſt, ut voluntas illa Dei generalis, quæ pertinebat ad omnes ac ſingulos homines in Adamo innocente ſpectatos, minimè pertineat ad homines lapſos, & in Adamo lapſo reos paterni ſceleris.

Sin Deus omnes ac ſingulos, etiam quatenus lapſi in Adamo reo ſpectantur, ſalvos nihilominus velle dicitur: cur ergo, ut eâdem argumentatione utar, quâ Auguſtinus ſæpe uſus eſt; tot pueros vel in uteris matrum mortuos, vel etiam extra uterum morientes damnat, quibus nullâ induſtriâ humanâ ſubveniре potuit? cur tot infideles quotidie pereunt, qui de Chriſto, à quo ſolo eſt ſalus, nihil audiere, nec audire potuerunt?

Quid ergo, an in manu conſilii noſtri non ſumus omnes? Sumus pròculdubiò; cum adulti omnes peccent liberrimè. Neque ideo tamen conſequens eſt,

ut Deus omnes adultos ſalvos velit. Ut liberè peccet quis, minimé opus eſt gratiâ: ſufficit propria cuique perverſitas. Ut ſalutem conſequamur, opus eſt ſingulari gratiâ, quæ non datur omnibus, ut Auguſtinus docet, & alii. Neque ut Deus aliquem ſalvum propriè velle dicatur, ſufficit gratia quævis: opus certè eſt eâ, ſine quâ nemo ſalvus erit, vel quæ neceſſaria eſt ad ſalutem conſequendam. Ad ſalutem conſequendam neceſſaria eſt gratia perſeverantiæ, quæ ſolis electis datur. Solos ergo electos Deus propriè vult ſalvos eſſe. Cæteros non vult ſalvos niſi metaphoricè & voluntate ſigni, ut Patres, ac Theologi, quorum teſtimonia jam produxi, & iterum poſtea producam, docuerunt.

Ex his efficitur argumentum primum, quod ex ordine hominum, Angelorumque ad vitam

ducitur, nihil pro præſenti rerum ſtatu concludere.

Secundum argumentum jam occupavi. Pro omnibus ac ſingulis, inquiunt, orandum eſſe eâ potiſſimùm ratione concludit Apoſtolus, quòd Deus omnes ſalvos velit; conſequens igitur eſt, ut Deus omnes ac ſingulos ſalvos eſſe velit.

Jam reſpondi optimam eſſe argumentationem Apoſtoli; vitioſam & inanem adverſariorum. Ut rectè procedat Apoſtoli concluſio, ſatis eſt, ſi ex omni hominum genere, ſtatu, conditione, gradu ætate & ſexu Sanctorum orationibus ad vitam quamplurimi perveniant, & quinam illi ſint funditus ignorentur, quamdiù vivimus. Nam hòc ſemel poſito, conſtitutoque ſemper orandum eſt pro ſingulis. Neque nos impietas nonnullorum ab orando deterrere debet; cum ſceleratiſſimi ſæpiſſimè conver-

tantur, & nonnunquam in extremo mortis articulo.

3°. Ineſt in Deo, inquiunt, vera, interiorque actio, qua Deus velit omnes, ac ſingulos ſervare præcepta, ſi velint: vel inanis & ludicra eſt oratio Chriſti ad Pa-
a *Matth.* 6. 10. trem; [a] *fiat voluntas tua ſicut in Cælo & in Terrâ.* Vult ergo propriè & verè omnes ac ſingulos vitam conſequi, quæ tota ex præceptorum executione & uſu pendet.

Reſpondeo Deum id velle voluntate ſigni & metaphoricâ, ut docet S. Thomas 1. p. q. 19. a. 11. *Similiter id quod ſolet in nobis eſſe ſignum voluntatis, quandoque metaphoricè in Deo voluntas dicitur. Sicut cum aliquis præcipit aliquid, ſignum eſt quòd velit illud fieri. Unde præceptum divinum quandoque metaphoricè voluntas Dei dicitur, ſecundum illud Matth.* » *6.* fiat voluntas tua ſicut in Cœ- » lo & in Terrâ.

An ergo Deus non vult id ipſum quod jubet?

Reſpondeo cum Gregorio Ariminenſi Deum velle id ipſum quod præcipit;approbando: nolle quicquid vetat;improbando: ſive ut loquitur, velle *voluntate complacentiæ*; nolle *voluntate diſplicentiæ*. Hoc eſt, placet ei & probatur, quicquid præcipit ipſe & proponit omnibus tanquam regulam generalem, quam niſi ſequantur, boni eſſe non poſſint: ei quoque diſplicet & improbatur quicquid vetat; quia hoc malum, illud ſemper bonum eſt: non velle voluntate, ut appellat, *proſecutionis & fugæ*, quæ pertineat ad rerum ipſarum executionem. Si enim eâ ratione vellet, ſemper fieret, cum omnipotentis voluntas inanis & irrita eſſe non poſſit. Hinc patet orationem illam, quam Chriſtus omnibus Chriſtianis proponit, nec vanam eſſe, nec ludicram. Nam

ſemper optare debemus, & pii omnes ſemper optant, orantque ut præcepta Dei ab omnibus impleantur. Sin contemnuntur à pluribus, in cauſâ eſt propria cujuſque perverſitas; non Deus, qui quod bonum eſt proponit omnibus: plures gratiâ ſanat, ut præcepta impleant; cæteros juſto & occulto judicio peccare & mandata violare permittit, qui
a Rom. 9. 18. [a] *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat.*

Quartum eſt illud Ezechielis 18. 23. *nunquid voluntatis meæ eſt mors impii, dicit Dominus Deus; & non ut convertantur à viis ſuis, & vivat?* v. 23. *quia nolo mortem morientis, dicit Dominus Deus: revertimini & vivite.* Simile eſt illud cap. 33. 11. *vivo ego, dicit Dominus, nolo mortem impii, ſed ut convertatur impius à viâ ſuâ; & vivat.* Negant his Scripturæ locis accommodari poſſe priores duas interpretationes Auguſti-

ni. Petavii verba refero.

*Si Deus*, [a] inquit ille, *impii mortem, id eſt damnationem, & interitum non vult; neceſſe eſt ut velit ſalutem.* Et Mox. *Idem Ezechielis locus, cui ſimiles ſunt complures alii, non illam duntaxat Apoſtolici dicti ſententiam excludit, quam ſæpe Auguſtinus inculcat; omnes ſalvos eſſe Deum velle, quia nemo niſi ab ipſo fit ſalvus: ſed etiam alteram, quæ vendibilior eſt; ut omnes homines pro eo dixerit, atque quovis ex genere, ſexu, conditione & officio: non autem de ſingulis. Quam expoſitionem fatear accommodari poſſe. Sed ei viciſſim Ezechielis alter obſtrepit locus. Nam ſi non omnes & ſingulos vult ſalvos eſſe Deus: vult ergo perire, ac mori. Et falſo dixerit ſe non mortem velle morientium, & impiorum. Id enim de corporum morte non poteſt intelligi, quam in juſtis etiam vult, & immutabili voluntate decrevit. Qua-*

a *Tom.* 1. *L.* x. *c.* 3. *n.* 4.

*re neceſſe eſt ab eâ ſalutis impertiendæ voluntate omnium ſecerni neminem. Eamdem vim habet illud etiam Chriſti.* [a] Sic non eſt voluntas ante Patrem veſtrum, qui in Cœlis eſt, ut pereat unus de puſillis iſtis. *Non* * *temere opinor, affirmet aliquis nullum in illâ puerorum turbâ, quæ tunc oblata Domino eſt, niſi prædeſtinatum & electum fuiſſe. Non enim credibile iſtud eſt: & eſt longè veriſimilius reprobos aliquos in eo fuiſſe numero: quorum interitum ac damnationem neque voluerit Deus, & ut ab eâ liberaret, hoc eſt, ut ſalvaret mundum; unigenitum ſuum miſit in terras.*

a *Matth.* 18. 14.

* Redundat *non.*

Addunt apud Alvarem ii quorum antè facta eſt mentio, illud Chriſti: [b] *quoties volui congregare filios tuos quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* Cui Auguſtinianas interpretationes poſſe accommodari negant.

b *Matth.* 23. 37.

Ut gratis concederem quicquid magno labore conantur efficere, quid conſequens ſit non video. Eſto ; primæ interpretationes duæ locis objectis non bene conveniant. Quid ſi tertia convenit, quam Eſtius, quam Sylvius, quam Bannez, & è Thomiſtis complures alii probant, & Ezechielis loco accommodant : poteritne concludi voluntas generalis ?

Sed ne duabus quidem prioribus repugnare loca objecta Petavius efficit, cujus argumentatio nihil eſt quàm inane & ridiculum ſophiſma. Aliud eſt pauciſſimos ſalvos velle ; aliud cæteros peccare, & in peccato perſeverare velle. Nam de hoc uno in Ezechielis tribus ſententiis agitur & in aliis id generis, ut ſingulas inſpicienti conſtabit. Quod Petavius diſſimulans ridiculè probat non agi apud Ezechielem de morte corporis ; aga-

turne de peccato vel de perſeverantiâ in peccato, penitus tacet: quorum neutrum Deum velle conſtat apud omnes.

[a] L. 2. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati c. XVI.

Neque enim *erga peccata*, [a] ut ait Bellarminus, *habet poſitivè velle, aut nolle, ſed negativè non velle: non habet Deus poſitivè velle peccata, quia bonus & juſtus eſt.... Non habet etiam poſitivè nolle, quia Omnipotens eſt, neque eſſet Omnipotens, ſi fieret aliquid.... Quod ipſe fieri nollet.* Non minùs liquet Prophetam ad peccatum, aut perſeverantiam in peccato reſpicere. Deus ergo vult aliquos ſalvos eſſe, qui ſalvi erunt: hoc eſt nullâ habitâ ratione futurorum operum certos homines ad gloriam ſingulari miſericordiâ ab æterno deſignavit: cæteros nec peccare vult, aut ſi peccaverint, perſeverare in peccato, quæ perſeverantia propriè eſt mors impii: nec eos niſi præviſo peccato ſive originis, ſive pro-

priò damnari. Nam [a] *ex ſuo optimus eſt, juſtus de noſtro.* Quamobrem peccati vel permanſionis in peccato voluntatem nullam habet; pœnæ quoque nullam per ſe ſe: quia punire non conſtituit niſi exigente peccato, cujus, ut dixi, nullam habet voluntatem. Sophiſma Petavii jam patet. Confundit ille res disjunctiſſimas & pro re eâdem ſumit; *aliquos peccare Deum non velle, ſeu nolle, & eos Deum ſalvos eſſe velle.* Neque enim concludit quidpiam, niſi ſic cogatur argumentatio. Qui non vult mortem, hoc eſt, peccatum impii; addamus, ſi placet, nec per ſe ſe pœnam ejuſdem æternam, is impios omnes vult ſalvos eſſe: quoniam idem planè eſt non velle alicujus peccatum, ſive perſeverantiam in peccato: vel per ſe ſe non velle pœnas cujuſquam æternas; & velle ejus ſalutem æternam. Atqui Deus non vult

[a] *Tertullian. de reſurrect. carnis c. 15.*

peccatum impii, vel ejuſdem perſeverantiam in peccato, nec per ſeſe pœnam ſoli peccato debitã: ergo vult impios omnes ſalvos eſſe. Primam propoſitionem, & id quod ejuſdem confirmandæ causâ producitur, velut res certiſſimas & ab omnibns conceſſas Petavius ſumit; negant omnes Theologi, quorum ſententiam hactenus explicuimus: primam quidem propoſitionem, quia ex negatione, quale eſt nolle ſeu non velle peccatum, ridiculè concluditur ſalutis voluntas: confirmationem verò, quia inter non velle peccatum, ſive inter velle per ſe ſe pœnam æternam & velle æternam ſalutem media intercedit peccati permiſſio, & decretum de pœnâ ob peccatum ſumendâ. Permiſſio verò peccati, vel decretum de pœnâ ob peccatum ſumenda non eſt voluntas ſalutis, nec voluntatem ſalutis ullâ ratio-

ne includit. Tota igitur argumentatio Petavii nihil eſt quàm inanè & ridiculum Sophiſma.

Atque hinc patet loca à Petavio & ab aliis objecta nullam peculiarem difficultatem habere. Nam quæ videtur ineſſe, ea certè non oritur ex primis vocibus *nolo mortem impii*, ut nos antè probavimus. Si qua ergo eſt, tota ex poſterioribus pendet: *volo ut impii convertantur & vivant.* Quæ propoſitio affirmans ſimilis eſt Apoſtolicæ: *vult omnes ſalvos eſſe.* Quòd ſi huic conveniunt, & rectè accommodantur interpretationes Auguſtini duæ: ſimiliter quoque alteri conveniunt, & rectè accomodantur.

Nihil jam Evangelii locum à Petavio objectum moror, cujus eadem eſt ac reliquorum trium ratio. Quamquam Petavius cum è pueris paucis, qui Chriſtum ſequebantur, aliquos damnatos eſſe divinat, ridiculé admodùm

facit; magis adhuc ridiculè, cùm ex divinatione ſuâ omnes ac ſingulos Deum ſalvos eſſe velle concludit.

Locus ultimus ex capite tertio & viceſimo Matthæi paulò aliter ab Auguſtino in Enchiridio, ac Magiſtro & aliis veteribus Theologis explicatur; ut Chriſtus propterea dicat, *quoties volui congregare* filios tuos, & noluiſti? Quia quotquot congregaverat, eâ retinente congregavit. Si Rex ſervo ſuo centum nummos ſæpe dederit, repugnantibus miniſtris, renitentibuſque, poterit optimo jure dicere, quoties volui ſervo meo dare centum nummos, & noluiſtis? ita ex ſimili locutione perridiculè concluderetur voluntatem Regis ſæpe irritam fuiſſe & inanem, ut qui verba Chriſti objiciunt, concludere conantur.

Quintum eſt, Deum ſæpe in ſcripturis ad pœnitentiam ma-

los, juſtos ad perſeverantiam, omnes ad ſervandam legem hortari. Quæ exhortationes vanæ ſunt, ſi eoſdem ſalvos nolit. Si ad cœnam aliquem invitem, quem è cœnâ excludere conſtituero, ludificari videbor, non ſeriò agere.

Reſpondeo, exhortationes divinas obeſſe nemini, prodeſſe pluribus non modo electis, verùm etiam reprobis: quæ tum cùm ad cæteros promiſcuè diriguntur, nec vanæ dici, nec tanquam ludificationes ſpectari poſſint, tametſi eos nec ad gloriam, nec ad juſtitiam deſignavit. Nam quòd certos homines deſignaverit, eoſque ſalvos eſſe velit, bonitatis eſt ac miſericordiæ: quod cæteros excluſerit, juſtitiæ. Neque enim ob aliam rationem excluſit, quam quia reos fore prævidit ſive ob communem culpam originis, ſive præterea ob propriam.

Ut exemplum objectum congruat cum re propoſitâ, ſic proponi debet: ſi aliquem ad cœnam invitem, quem propterea tantùm excludere conſtituero, quòd eum minimè venturum, & propriâ culpâ minimè venturum eſſe certiſſimè cognovi, ludificari videbor. Quæ propoſitio ſic explicata, ut explicari debet, negatur ab omnibus. Eos verò qui vocantur ſive ad fidem ſive ad pœnitentiam, ſive quos ad mandata ſervanda hortamur, propriâ culpâ non credere, permanere in peccato, vel præcepta Dei violare conſtat, ut alio jam loco explicui.

Accedit Deum & hominem invitantem ad aliquid differre in pluribus. Non latè patet, nec latè patere poteſt hominis invitatio: Deus electos habet in omni hominum genere, gradu conditione confuſos cum reprobis, eoſque vult à nobis ignorari,

quamdiù vivimus. Homo vel per ſeipſe, vel per miniſtrum non alios ſolet invitare, quàm notos, amicoſque: Deus hominum operâ ſemper utitur ad invitandum; qui, quoniam æterna Dei voluntas de ſingulis omnino latet, nominatim electos ſive ad gloriam, ſive ad juſtitiam invitare non poſſunt. Dei ergo nomine invitant & hortantur omnes: quamquam eos ſolos Deo vocanti obtemperaturos eſſe non ignorant, quos Deus ad juſtitiam deſignavit, & ſingulari miſericordiâ excitaturus eſt: eos denique ſolos in juſtitiâ acceptâ perſeveraturos eſſe, quos Deus ab æterno ſalvos eſſe voluit. Quamobrem homo invitans aliquem, quem excludere conſtituiſſet, ludificari videretur. Nec homines, dum Dei nomine ſingulos invitant, nec Deus ipſe ludificatur; qui voluit generatim invitari omnes, ne prædeſtinati

diſcernerentur. Hos diſcerni à reprobis, quamdiu vivimus, noluit; ne vel ſuperbiâ extollerentur, vel torperent deſidiâ.

Sextum eſt, ſalutem omnium & ſingulorum per ſe bonam eſſe: placere igitur Deo, cui placet quicquid bonum eſt. Vult verò Deus quicquid ſibi placet: vult ergo omnes ac ſingulos ſalvos eſſe. Id Apoſtoli quoque verba confirmant: *hoc enim beneplacitum eſt*, inquit, *coram Deo, qui vult homines ſalvos fieri.*

Reſpondeo ſalutem omnium ac ſingulorum hominum, cum in Adamo innocente ſpectantur, & nullâ habitâ ratione peccati, ſimpliciter bonam eſſe, propter quam ergo ſingulos homines creare conſtituit: ſalutem hominis lapſi & impii ſimpliciter bonam non eſſe, cum ad Dei juſtitiam refertur. Ideoque ſi Deus plurimos ſervare conſtituit, id ſingularis eſt miſericordiæ;

quam nemini debet; ſi cæteros punire, id æquitatis eſt & juſtitiæ.

Conſentaneum quidem erat, ut Deus optimus indulgentiâ erga homines lapſos uteretur & miſericordiâ: conſentaneum juſtitiæ, ut aliquos puniret: ergo Deus volens aliquos ex univerſo genere hominum, ex omni conditione, ætate, & ſexu pervenire ad gloriam, cæteros ob peccatum excludi, miſericordiæ ſimul & juſtitiæ pleniſſimè ſatisfecit. Verba Apoſtoli: *hoc beneplacitum eſt coram Deo*: referuntur ad orationem faciendam pro univerſis ac ſingulis hominibus, non ad voluntatem Dei de ſalute hominis, ut manifeſtum eſt. Atque ut referrentur ad voluntatem Dei de ſalute humanâ, non idcirco adverſariorum cauſa juvaretur. Cum enim voluntas iſta non pertineat ad omnes & ſingulos homines, ſimiliter quoque ad ſingulos minimè pertineret

beneplacitum, cujus in ſententiâ objectâ ſit mentio.

Septimum denique eſt, Deum non facere, ut ſinguli ſalutem appetant: tertiam ergo interpretationem Auguſtinianam non magis cum Apoſtoli ſententiâ generali congruere, quam ſuperiores duas.

Ut de naturali beatitudinis appetitione taceam, quam natura omnibus inſeruit: reſpondeo eos qui iſta objiciunt Auguſtini mentem non intelligere. Neque enim ille locum Apoſtoli ſic interpretatur, quaſi Deus faciat, ut omnes ſalutem appetant; ſed tantummodò docet Deum efficere, ut pii ſingulos homines ſalvos fieri velint. Unde Sylvius q. 19. a. 6. quæritur 3°. *patet*, inquit, *vanum eſſe, quod Vaſques hanc Auguſtini expoſitionem impugnet ex eo quòd Deus non faciat, ut ſinguli velint ſalvari: ſatis enim eſt, quòd velit, & faciat, ut pii ac Sancti*

*velint omnium ſalutem.*

Ut Alvares, ita & reliqui Thomiſtæ Auguſtinianas interpretationes ſemper vindicarunt: quoniam S. Thomas totus ex Auguſtino pendet.

## Caput XXIX.

### *De S. Thomâ.*

Quoniam ſanctus Thomas Auguſtinianas interpretationes ſemper probavit, ſimulque voluntatem antecedentem conjunxit; quid ipſe de voluntate antecedenti ſenſerit, inquirendum eſt: tum eos ex Thomiſtis ſubjiciam, qui voluntatem antecedentem ſic explicant, ut de Deo metaphoricè, non propriè dicatur.

S. Thomas de loco Apoſtoli diſputans reſponſiones Auguſtinianas profert; ex Damaſceno mox ſubjicit uſitatam voluntatis antecedentis & conſequentis diſ- *1. p. q. 19. a. 6. ad primum.*

tinctionem; quam ex rebus voluntati divinæ ſubjectis, non ex voluntate ipsâ, in quâ nihil eſt prius aut poſterius, repetendam eſſe ait: rem enim quamque pro bonitatis ratione & modo Deum velle; quicquid verò bonum, malumve eſt, id ita videri, vel quatenus ſimpliciter & abſolutè; quæ eſt antecedens: vel ut ex adjunctis ſpectatur; quæ eſt conſequens rei conſideratio. Sic hominem, cum ſimpliciter ſpectatur ut homo, bonum eſt vivere, malum occidi. Sin addatur circumſtantia furis vel homicidæ, bonum cõtrà eſt eum occidi, malum vivere. Exemplum adhibet juſti judicis, qui voluntate quâdam antecedenti vult hominem vivere; conſequenti furem vel homicidam ſuſpendi jubet. *Similiter Deus*, inquit, *antecedenter vult hominem ſalvari, ſed conſequenter vult quoſdam damnari ſecundùm exigentiam juſtitiæ ſuæ. Neque*

*tamen*

*tamen id quod antecedenter volumus, ſimpliciter volumus, ſed ſecundum quid. Quia voluntas comparatur ad res ſecundùm quod in ſe ipſis ſunt. In ſe ipſis autem ſunt in particulari. Unde ſimpliciter volumus aliquid, ſecundùm quod volumus illud conſideratis omnibus circumſtantiis particularibus: quod eſt conſequenter velle. Unde poteſt dici quod judex juſtus ſimpliciter vult homicidam ſuſpendi; ſed ſecundùm quid vellet eum vivere, ſcilicet in quantùm eſt homo. Unde magis poteſt dici velleitas, quàm abſoluta voluntas. Et ſic patet quod quicquid Deus ſimpliciter vult, fit; licet illud quod antecedenter vult, non fiat.*

Ita voluntatem antecedentem explicat S. Thomas, ut nihil aliud ſit, quàm quædam velleitas rem generatim & abſolutè bonam amans, quam particulatim & ex adjunctis ſpectatam ſimpliciter odit.

An iſta voluntas ſeu velleitas ſit propriè in Deo, nec ne, diſputant interpretes S. Thomæ, aliis eam Deo ineſſe contendenbus, negantibus aliis. Qui negant, iidem Auguſtini tertiam potiſſimùm interpretationem ſequuntur, ut Deus omnes propterea ſalvos eſſe velle dicatur, quia efficit ipſe, ut hoc Sancti, piique velint. Idcirco voluntatem Dei de ſalute omnium ac ſingulorum vocant *metaphoricam*, eamque Deo ineſſe aiunt tanquam in causâ, non per ſe & propriè, ſive, ut loquuntur, *eminenter*, non *formaliter*. Sed antequam iſtorum teſtimonia profero, placet in propriam S. Thomæ ſententiam inquirere.

Ac primùm quidem cum voluntas generalis & conditionata, quam invehere conantur adverſarii, nihil aliud ſit quàm mediorum omnium ad ſalutem neceſſariorum præparatio, quæ vel

exhibeantur, præbeanturque omnibus, vel quæ ab omnibus, cum lubet, pro ſolo voluntatis nutu comparari poſſint: quæque demum ejuſmodi ſint, ut ad ſalutem obtinendam per ſe ſola pleniſſimè ſufficiant: conſtat nullum hujus voluntatis generalis veſtigium extare apud S. Thomam; novo potiùs hoſternoque commento omnia ſanctiſſimi Doctoris principia penitus adverſari. Prædeſtinationem[a] gratuitam ille conſtituit, hoc eſt, talem ut ejus alia nulla poſſit aſſignari ratio, quàm divina voluntas.[b] *Quare hos elegit in gloriam*, inquit, *& illos reprobavit, non habet rationem, niſi divinam voluntatem.* Cauſam gratiæ ad gloriam provehentis non aliam aſſignat, quàm prædeſtinationem; utì nec gratiæ reprobis negandæ aliam, quàm reprobationem, quæ & ipſa, ut ex ſuperiori teſtimonio conſtat, tota ex Dei voluntate

a *1. p. q. 23. a. 5.*

b *Ibid. ad tertium.*

a *Ibid. articulo 3.*

& arbitrio pendet. [a] *Sicut enim prædeſtinatio includit voluntatem conferendi gratiam & gloriam : ita reprobatio includit voluntatem permittendi aliquem cadere in culpam, & inferendi damnationis pœnam pro culpâ.* Et mox ad ſecundum argumentum reſpondens : *prædeſtinatio eſt cauſa & ejus quod expectatur in futurâ vitâ à prædeſtinatis, ſcilicet gloriæ : & ejus quod percipitur in præſenti, ſcilicet gratiæ. Reprobatio verò non eſt cauſa ejus quod eſt in præſenti, ſcilicet culpæ, ſed eſt cauſa derelictionis à Deo.* Ex quibus conſequens eſt conditionem ad ſalutem neceſſariam, nempe gratiam illam ſine qua nemo ad gloriam prevehitur, ſolis prædeſtinatis conferri, deeſſe reprobatis omnibus. Voluntas ergo de iſtorum ſalute, ſi qua in Deo ponitur, conditionata eſſe nullomodò poteſt. [b] *Neque tamen propter hoc eſt iniquitas apud Deum, ſi inæqualia non inæ-*

b *Ibid. artic. 5. ad tertium.*

*qualibus præparat. Hoc enim eſſet contra juſtitiæ rationem, ſi prædeſtinationis effectus ex debito redderetur, & non daretur ex gratiâ. In his enim quæ ex gratiâ dantur poteſt aliquis pro libito ſuo dare cui vult.*

Perſeverantia in bono uſque in finem eſt conditio planè neceſſaria ad ſalutem conſequendam : ut ergo voluntas Dei de ſalute omnium conditionata dici poſſit, gratia perſeverandi tota ex voluntatis humanæ nutu pendere debet : atqui [a] *perſeverantiæ viæ non cadit ſub merito, quia dependet ſolùm ex motione divinâ, quæ eſt principium omnis meriti. Sed Deus gratiâ perſeverantiæ bonum largitur, cuicumque illud largitur.* Eſt etiam effectus prædeſtinationis, vel neceſſariò includitur in prædeſtinatione, ideoque tam gratuita eſt, quàm prædeſtinatio.

[a] *1. ſecundæ q. 114. artic. 9.*

Denique gratia neceſſaria ad

ſalutem eſt per ſe efficax, qua ſemel poſita, conſtitutâque voluntas conditionalis funditus exterminatur. [a] *Præparatio ad gratiam ſecundum quod eſt à Deo movente habet neceſſitatem ad id ad quod ordinatur à Deo, non quidem coactionis, ſed infallibilitatis, quia intentio Dei deficere non poteſt. Unde ſi ex intentione Dei moventis eſt, quòd homo cujus cor movet, gratiam conſequatur, infallibiliter eam conſequitur, ſecundùm illud Joan. ſexto: omnis qui audivit à Patre & didicit, venit ad me.*

[a] *1. ſecundæ q. 112. art. 3.*

Sic & alio loco. [b] *Virtus Spiritûs S. infallibiliter operatur quodcumque voluerit: unde impoſſibile eſt duo ſimul eſſe vera, quòd Spiritus S. velit aliquem movere ad actum caritatis, & quòd ipſe caritatem amittat peccando.* Mitto alia id generis plurima.

[b] *2. ſecundæ q. 24. artic. 11.*

Schola S. Thomæ, quæ cæteris omnibus & numero & auctoritate & doctrinâ longè ante-

cellit, voluntatem generalem ac conditionatam diſtinctè rejicit; eamdemque omnia ejus principia confodiunt. Nam & prædeſtinationem omnino gratuitam eſſe docet: & gratiam per ſe efficacem ad ſingulas pietatis actiones ſemper eſſe neceſſariam; & perſeverantiæ donum, ſine quo nemo gloriam conſequitur, cum prædeſtinatione neceſſariò connecti. Quibus principiis voluntas generalis conditionata configitur. Cum res notiſſima ſit, è Thomiſtis nullum hoc loco teſtem citabo.

Redeo ad S. Thomam, qui ſi quam Dei voluntatem de ſalute omnium ac ſingulorum admiſit, ea certe non eſt alia, quàm antecedens; quæ ab eo nominatur, *velleitas*; quæque voluntatis generalis aſſertoribus nihil favet: quamquam iſtamne Deo ineſſe propriè, an metaphoricè, exiſtimaverit, diſputant ejus interpre-

tes. Qui eum voluntatem antecedentem in Deo propriè, non metaphoricè, poſuiſſe affirmant; aliqua ejus teſtimonia proferunt. Ab iis quoque qui negant, alia proferuntur, è quibus illud potiſſimum eſt, & apertiſſimum ex opuſculo 45. de præſcientiâ & prædeſtinatione cap 6. *Sciendum tamen eſt*, inquit, *quòd Deus dicitur velle aliquid dupliciter. Uno modo propriè, & ſic dicitur velle aliquid, cujus voluntas verè in eo eſt, & quod ei complacet. Et hæc dicitur voluntas beneplaciti, quæ ſemper in omnibus infallibiliter impletur. Et de hac loquitur pſalmus*, cujus paulò antè mentionem fecerat: omnia quæcumque voluit, fecit: & *Jſaïas cap. 46. v. 10.* omnis voluntas mea fiet. *Alio modo dicitur velle aliquid metaphoricè, id eſt, per ſimilitudinem, eò quòd ad modum volentis ſe habet in quantùm præcipit, vel conſulit, prohibet, vel permittit aliquid,*

*Et hæc dicitur voluntas ſigni, quæ non ſemper impletur, de qua dicit Apoſtolus 1. ad Timoth. 2. 4.* qui vult omnes homines ſalvos fieri: *cum tamen omnes ſalvi non fiant, ſed multi damnentur. De hac etiam dicitur Matth. 23. 37.* quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis ſuis, & noluiſti? Hæc ille, qui voluntatem beneplaciti Deo propriè ineſſe ait, voluntatem vero ſigni non aliter de eo dici, nec ei ineſſe; quàm metaphoricè: & ad hanc ſtatim revocat celeberrimam Apoſtoli ſententiam. Qui opuſcula S. Thomæ edidit, initio obſervat iſtud ab Alvare bis citari in lib. de auxiliis, & à Thoma Campanella haberi pro certo & germano S. Thomæ fætu, quem Daniel Lovanienſis Baccalaureus emendatum, correctumque ediderit ſub nomine S. Thomæ unà cum Cajetani in ejuſdem ſummam com-

mentariis. Alia S. Thomæ loca citantur, quæ quoniam non ita aperta, manifeſtaque ſunt, prætermitto.

## Caput XXX.

### *De Banneſio.*

BAnnes Dominicanus ſub initia controverſiæ de auxiliis floruit ſuperiore ſæculo vir non minùs doctrinâ, quàm ſanctitatis celebris, quem S. Thereſia vitæ ſpiritalis ducem præcipuum habuit & adjutorem. In primam partem S. Thomæ q. 19. a. 6. concl. 1ª probabiliter quidem *& ſalvâ fide* admitti poſſe ait *in divinâ voluntate actum formalem & expreſſum reſpectû aliquorum bonorum, quæ quidem non fiunt, ſed præcipiuntur à Deo ut fiant, vel cadunt ſub conſilio.* Et mox. *Quemadmodum ponimus in Deo formaliter actum liberi arbitrii, qui eſt reſpectû rerum ad extra, cujus tamen*

*objectum formale non eſt aliqua res ad extra. Nulla enim ratio formalis divinæ voluntatis eſſe poteſt, niſi divina bonitas: ita etiam non erit inconveniens, ut idem actus reſpectû quarumdam creaturarum ſit velleitas, & deſiderium ablatâ imperfectione.* Ubi inprimis obſervanda eſt locutio Banneſii, *probabile eſt quod poteſt defendi ſalvâ fide*, quæ adhiberi non ſolet, niſi cum opinio nova, vel extraordinaria proponitur.

Sed quamvis id *ſalva fide* defendi poſſe concedat, contrariam tamen ſententiam multò probabiliorem arbitratur. *Multò probabilius videtur*, inquit, *quod in Deo non ſit formaliter voluntas, quæ ſignificatur hoc nomine, velleitas: ſed ſufficit quòd talis voluntas ponatur in Deo eminenter. Explicatur concluſio exemplo. Nam quemadmodùm verificatur etiam de Deo illa maxima:* omne agens agit in quantùm eſt actu: *quamvis crea-*

*turæ, quarum Deus eſt auctor, non ſint in illo formaliter, ſed eminenter: ita bonæ affectiones, quæ reperiuntur in hominibus, quarum Deus eſt cauſa, ſunt etiam in Deo formaliter, vel eminenter. v. g. affectus hominis Chriſti, quo vult omnes homines ſalvos fieri, cujus Deus eſt cauſa, neceſſe eſt quòd ſit in Deo formaliter, vel eminenter. Probatur ergo concluſio quantùm ad priorem partem argumenti facti pro parte negativâ.*

Quinque argumentis in ipſo articuli limine voluntatem antecedentem Deo propriè non ineſſe probaverat: è quibus primum eſt, eam à S. Thomâ *velleitatam*, quæ eſt imperfectio, nominari. Secundum, eamdem otioſam fore, & minimè ſinceram, ſi Deo tribuatur, qui abſolutè & pro ſolo voluntatis arbitrio plurimos è regno excludere conſtituit. Tertium, Angelos quorum par eſt ac hominum ratio,

omnes Deum ſalvos nunquam voluiſſe, quibus nullâ exigente culpâ gratiam perſeverandi negavit, quamquam ſi idem auxilium accepiſſent, non minùs perſeveraſſent, quàm cæteri. Quartum, voluntatem antecedentem, quia nihil in reipsâ ponit, non magis ad homines creandos, creatoſque, quàm ad minimè creandos pertinere videri. Quintum tam Deo ineſſe voluntatem antecedentem de æternâ malorum pœnâ, quàm de æternâ ſalute omnium ac ſingulorum: cum ſimpliciter & abſolutè bonum ſit, ut omnes ſalvos eſſe, ita & malos puniri. Poſtremum hoc tamen Deum voluntate antecedenti nequaquam velle, qui apud Prophetam: [a] *Vivo ego*, inquit, *nolo mortem impii.* Ex quibus, ut pergit Bannes, *ſtatim colligitur ſecunda pars, quia ſi non eſt in* Deo *formaliter talis voluntas, neceſſe eſt quòd ſit eminen-*

[a] Ezech. 33. 11.

*ter; cum Deus ſit cauſa illius in Sanctis. Cæterum argumenta facta pro prima concluſione,* tria produxerat, *ſufficit ut probent, quòd illa voluntas ſit ponenda in Deo ſaltem eminenter. Ex dictis ſequitur, quòd proportionaliter dicendum eſt quòd reſpectû peccatorum, quæ Deus nollet fieri, ponenda eſt in Deo nolleitas formaliter, vel eminenter.*

Poſtea ad judicis exemplum, quò utitur S. Thomas, & ex quo videtur conſequens, ut quemadmodùm in judice verè & propriè ineſt voluntas ſervandi hominis, ita quoque ſimilis quædam de ſalute omnium voluntas Deo ineſſe videatur; reſpondet comparationes nunquam convenire in omnibus: iſtâ verò nihil ſignificari aliud, quàm & in Deo, & in judice voluntatem quamdam antecedentem ineſſe, in Deo quidem *eminenter*, in judice *formaliter*; cum Deus perfectiſſimus ſit; & *velleitas*, quæ minimè eſt

efficax, ſit quædam imperfectio. Ad teſtimonia Scripturarum, quæ divinam ſalutis & converſionis humanæ voluntatem ſignificant; vel ad ea, quibus Deus mortem impii ſe nolle teſtatur, reſpondet hæc omnia de Deo metaphoricè dici, non propriè. Ad tertium denique argumentum de Chriſto, qui voluntate antecedenti omnes ſalvos voluiſſe dicitur; reſpondet id eum propriè voluiſſe ut hominem, non ut Deum.

Variis deinde ſubjectis interpretationibus ſententiæ Apoſtolicæ: *ſeptima*, inquit, *explicatio eſt elegantiſſima, & valde literalis. Scilicet Deus vult omnes homines ſalvos fieri. Id eſt, Deus vult & facit, ut juſti velint & deſiderent omnes homines ſalvos fieri. Verbi gratiâ paulus deſiderabat ſalutem omnium hominum, & hoc ipſum poſtulat à fidelibus ut velint. Immò maximè ipſe Chriſtus Dominus,*

*in quantum homo, habuit illam velleitatem & deſiderium, quod quidem efficiebatur à Spiritû Sancto. Hæc explicatio eſt D. Aug. L. 22. de Civitate cap. 2.* Ad quam confirmandam plurimas ſubjicit Scripturarum ſententias, quæ aliam interpretationem non patiantur.

## CAPUT XXXI.

### *De Eſtio.*

EStius vir celeberrimus & doctiſſimus, cujus magna eſt apud Theologos omnes auctoritas, ſuperiori ſæculo floruit in Academiâ Lovanienſi primùm, deinde in Duacenſi, cujus præcipuum Deus & ornamentum fuit. Duaci mortuus eſt an. 1613. ætatis ſeptuageſimo. Tanta erat ejus fama, dum viveret, ut in Congregatione de Auxiliis cognitores Romani eum non modò de quæſtione Molinianâ conſuluerint pet literas, verùm etiam

ejuſdem ſcripta Romam deferri curaverint, ut auctor hiſtoriæ de Auxiliis l. 3. cap. 4. teſtatur.

In primum ſententiarum diſt. 45. §. 8. voluntatem antecedentem & conſequentem explicat, ut S. Thomas.

Diſtinctione 46. §. 1. voluntatem beneplaciti ſemper impleri pluribus ſcripturarum teſtimoniis probat & concludit; non voluntatem ſigni, quæ ſæpe violatur & contemnitur: voluntatem antecedentem, ſi cum voluntate beneplaciti conveniat, impleri, ſin minimè conveniat, non impleri, *v. g.* inquit, *vult Deus voluntate antecedente omnes homines ſalvari, ſed ea voluntas in illis ſolis impletur, quos ſalvari vult voluntate beneplaciti.*

§. 2. negat Deum abſolutè, ſeu voluntate beneplaciti velle; vel inſtar hominum conari, optare, niti, & quantùm in ſe eſt agere, ut omnes ad gloriam per-

veniant : Dei verò conſilium & voluntatem pravis hominum voluntatibus impediri. Quæ opinio, ut affirmat Eſtius , ſummæ Dei potentiæ detrahit & beatitudini. Neque enim potentiſſimus eſt, qui quod vult, exequi non poſſit, neque beatiſſimus, qui quod optat non aſſequatur.

§, 3. quærit utrùm in Deo propriè ſit voluntas antecedens , ut ineſt conſequens : *id eſt, utrum actus his verbis ſignificatus: vellem omnes homines ſalvos fieri; ſit in Deo propriè , ac ſine metaphorâ , ſicut eſt hic actus , volo Petrum ſalvum eſſe ; quomodò Mercator in periculo maris propriè habet utrumque hunc actum ; vellem ſervare merces meas , & volo eas projicere : an verò voluntas ejuſmodi tantùm impropriè & eminenter in Deo ſit. Quod idem quæri poteſt de voluntate antecedente reſpectu aliorum bonorum, quæ etſi non abſolutè Deus velit, præcipiuntur tamen & conſuluntur*

*à Deo.... Quæritur ergo num & borum voluntas antecedens propriè ſit in Deo.*

Reſpondet ita nonnullis videri : tum quia Scriptura ſummam Dei in univerſos homines bonitatem commemorans, magis erit, niſi id admittitur, ludificatio quædam, quàm amoris divini declaratio ; tum quia, verè & propriè Chriſtus habuit voluntatem aliquam in ſalutem omnium ac ſingulorum hominum : ſi enim aliquam habuit Chriſtus homo, cur non haberet Deus ? tum denique quòd auctore S. Thomâ omnes Deus ſalvos velit, ut Judex vult omnes vivere ; vera & propria eſt voluntas Judicis ; vera ergo & propria Dei.

*Cæterum*, inquit, *longè probabiliùs ſentiunt, qui negant in Deo formaliter & propriè eſſe voluntatem antecedentem, cui voluntas beneplaciti non reſpondeat ; id eſt, voluntatem velleitatis nomine ſigni-*

*ficatam : atque ſufficere dicunt hujuſmodi voluntatem eminenter, ſive per tropum in Deo conſtitui; quomodò ſunt in Deo ira, pœnitentia, & miſericordia, & quæcumque bonæ affectiones, quæ ita in hominibus ſunt, ut imperfectionem aliquam includant velut mutationem, paſſionem, defectum; propter quas imperfectiones neceſſe eſt vel per eminentiam cauſalitatis, vel quocumque alio tropo ſermonis Deo tribuantur. Conſtat autem Deum in piorum cordibus operari hunc affectum, ut omnes velint ſalvos. Eſt igitur hujuſmodi affectus in Deo eminenter.*

Contrariam ſententiam pluribus argumentis refellit. 1° quia *velleitas*, quo nomine voluntatem antecedentem appellavit S. Thomas, imperfecta quædam eſt & ſuſpenſa voluntas. 2° quia deſiderium quoddam eſt minimè efficax. 3° Quia otioſa eſt, & ſterilis, nec ullum proprium effectum habet. 4° Si Deus omnes

& ſingulos homines propriè vult ſalvos eſſe: vult ſimiliter Angelos omnes eſſe ſalvos, quod tamen Scriptura nuſpiam aſſeruit. Cujus rei non alia videtur ratio; quàm quòd iſtâ locutione ſignificetur, non quid Deus propriè velit, ſed quid homines velle debeant; quidve pii Deo efficiente velint. Angelorum verò omnium ac ſingulorum ſalutem pius nec optat, nec optare debet. 5° Propter eamdem rationem damnatos Deus ſalvos velle non dicitur, qui ut hoc pii velint, non facit. 6° Voluntas generalis, ſi qua propriè eſt in Deo, perpetua certè eſt & immutabilis: pertinet igitur ad damnatos, ut ad nos qui vivimus. Quod tamen videtur abſurdum; cum ne hoc quidem pii velint, multò minùs Sancti qui gloriâ perfruuntur, nec jam propter ſtatûs perfectionem omnes ſalvos eſſe volunt, nec orant

pro reprobis, nec ullâ in damnatos miſericordiâ commoventur. Hæc ille.

Reſpondet deinde ad ſingula quæ objiciuntur. Ad primum, Scripturam figuratis locutionibus plenam eſſe, ut cum pœnitentia, ira, & alii motus, vel etiam membra humana Deo tribuuntur: nec propterea ludificari; cum præſertim loca objecta & amorem Dei in homines teſtificantia nihil exigant aliud, quàm ut voluntas ſalutis humanæ generalis in Deo eminenter ineſſe dicatur. Ad 2[um] quòd aliquando extiterit ejuſmodi voluntas in Chriſto, qui & naturam noſtram, & noſtras affectiones ſuſcepit, non idcirco conſequens eſſe, ut tribuenda ſit Deo. Ad 3[um] denique, comparationem in generali quadam voluntatis antecedentis ratione verſari, non in modis omnibus: neque ex judicis exemplo, quo S. Thomas uſus eſt, magis

concludi poſſe; ergo ut in judice, ſic propriè ineſt in Deo voluntas antecedens: quàm illud; ergo ut voluntas antecedens in judice cum aliquo motu animi, mutatione vel affectu conjuncta eſt, ita quoque in Deo conjungitur.

§. 4. Varias ſententiæ Apoſtolicæ profert interpretationes; tertiamque Auguſtini, qua Deus omnes propterea ſalvos velle dicatur, quoniam efficit, ut hoc pii velint, maximè probat, & cæteris anteponit. *Eſt autem*, inquit, *hic ſenſus textui Apoſtolico conformis. Exhortans enim Apoſtolus fideles ad orandum pro omnium ſalute ſubjungit;* quia hoc bonum eſt, & acceptum Deo, qui vult omnes ſalvos fieri, *id eſt, vult ut omnium ſalutem deſideremus, & hoc ipſum deſiderium in nobis operatur. Unde rectiſſimè ſequitur hoc pio deſiderio impellente pro omnibus orandum eſſe. Confirmat etiam*

*hunc ſenſum, quod non dicat Apoſtolus, Deum velle omnes ſalvare, & ad agnitionem veritatis perducere*, ſed omnes ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire. *Qui ſermo magis pertinet ad declarandam voluntatem noſtram, quam ex Deo habemus pro ſalute omnium, quàm voluntatem quæ propriè ſit ipſius Dei. Nam Deus reſpectû electorum qui ſalvantur, non tam habet voluntatem, quâ velit eos ſalvos fieri, & venire ad notitiam veritatis, quàm quâ velit eos ſalvare & notitiam veritatis eis tribuere. Voluntas enim Dei quicquid propriè vult, ipſa per ſe operatur.*

Sin objiciatur pium hominem nihil aliud velle oportere, quàm quòd Deum velle novit: omnes autem ac ſingulos Deum ſalvos nolle; idque à pio quoque non ignorari: eum ergo omnes ac ſingulos ſalvos velle non debere: Reſpondet pios neque velle, neque

que orare, ut omnes conjunctim ſalutem conſequantur; ſed ita generatim optare omnium ſalutem, & orare pro omnibus, ut ab orationibus ſuis excludant particulatim neminem, quia æternum Dei judicium de ſingulis funditus ignoratur.

Hanc quoque ſententiæ Apoſtolicæ interpretationem probat, ut propterea Deus omnes ſalvos velle dicatur, *quia externa quædam auxilia & media contulit humano generi in univerſum, & multis in particulari, quibus ad ſalutem perduci poſſint, qualia ſunt creatio hominis ad eum finem, qui eſt æterna fælicitas; donum juſtitiæ ei in creatione collatum & propagandum in totum genus; naturale lumen rationis, & lex naturæ omnium mentibus inſcripta; communis omnium Cœli & elementorum prædicatio; miſſio Apoſtolorum in totum orbem Terrarum; pretium ſanguinis Chriſti por omnibus effuſum,*

*atque omnino beneficium redemptionis noſtræ per Chriſtum ita omnibus expoſitum, ut Eccleſia non habeat præceptum, quo alicui genti aut perſonæ prohibeatur prædicare, vel ea quæ ſalutis ſunt impedire; quin potiùs debeat illud omnibus proponere; omneſque, quàntùm in ipsâ eſt, etiam infantes ad ſalutem per Chriſtum adducere, quippe qui* propitiatio eſt pro peccatis totius mundi, *Joan.* 2. Ita ſentire ait Proſperum in reſponſione 1ª & 2ª ad object. Vincentianas: auctorem l. 2. de vocatione gentium cap. 1. 6. 7. & 8. Bonaventuram in 1ᵒ diſt. 46. q. 1. *Ubi dum gratiam dicit omnibus offerri, gratiam oblatam intelligit, & exponit non de auxilio quopiam interno, quod omnibus præſto ſit, ſed de paſſione filii Dei, ac toto redemptionis noſtræ beneficio, quod omnibus offertur eo modo quo diximus.* Addit ei ſententiæ favere proxima verba Apoſtoli, quibus creationis ſimul

& redemptionis noſtræ beneficia commendantur. *Unus enim Deus* creator: *Unus & mediator Dei & hominum homo Chriſtus*, id eſt re- « demptor, *qui dedit ſemetipſum re-* « *demptionem*, græcè ἀντίλυτρον « id eſt pretium Redemptionis *pro* « *omnibus*, ſcilicet quoad ſufficien- « tiam. «

Idem mox ſubjicit voluntate Dei ſic explicatâ deſignari ordinem cauſæ ad effectum aliquem. Qui ordo, ut poſtea docet, voluntatem beneplaciti quadam includit, cum ad media; voluntatem ſigni ſolam, cum ad finem refertur.

*Porro*, inquit, *quamvis dictarum expoſitionum*, ſeptem produxerat, *unaquæque probabilitatis aliquid habeat*, *duæ tamen poſtremæ*, quas paulò antè explicui, & quæ voluntatem generalem prorſus excludunt; *videntur maximè probabiles*, *ac cæteris omnibus præferendæ.*

§. 5°. Illud Chriſti: *quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum Gallina congregat Pullos ſuos ſub alas, & noluiſti?* eodem modo interpretatur. Sic & §. 6°. alias complures Scripturæ ſententias.

In Caput ſecundum prioris ad Timotheum eaſdem interpretationes profert, ſextamque quæ eſt Auguſtini tertia, anteponit cæteris omnibus. *Quamvis ergo*, inquit, *Deus non velit omnes ſalvos facere, ſed ſolos electos*; ( & hæc ipſa eſt propoſitio, quam Eſtio, Arnaldoque communem cum graviſſimis Patribus ac Theologis, noſter Anonymus hæreticam eſſe definit ) *vult tamen omnes ſalvos fieri, ſcilicet per nos & quantùm in nobis eſt, dum præcipit nobis ut omnium ſalutem quæramus; & hoc ipſum ſtudium ac deſiderium in nobis operatur. Itaque ſecundùm hanc diſpoſitionem dicitur Deus omnes homines velle ſal-*

*vari, quia præcipit à nobis agi ut omnes ſalventur. Et aptiſſima eſt hoc intellectû probatio Apoſtoli.* Mox ſubjicit ſeptimam de voluntate ſigni externâ. Tum de duabus iſtis: *has*, ait, *ut ſenſu commodas, & Apoſtolico contextui congruentiores, præ cæteris amplectimur & probamus, ſextam maximè. Nam ſeptima perinde poteſt ſingulis hominibus accommodari, velut amentibus, infantibus, &c.*

## Caput XXXII.

*De Heſſelio, & aliis ſex.*

Hic Theologos ſeptem proferam, quorum ſententias aliorum fide citare cogor, quoniam libros non reperio.

Heſſelius Lovanienſis ſuperiore ſæculo Doctor, & Paulinarum Epiſtolarum interpres, tertiam ſententiæ Apoſtolicæ explicationem Auguſtinianam amplexus eſt, ut Sylvius *in 1. partem q. 19.* 1. Heſſelius.

*a. 6. quæritur 3°.* & Florentius de Cocq. tom. 1. *Tract. 1. cap. 3. ſect. 3.* teſtantur. Hæc quoque ejuſdem verba citant: *Volunt Sancti de quolibet homine ſic vivente, ut ſit ſalvus, non de omnibus hominibus ſimul; cum certum ipſis ſit, quòd non omnes ſalventur.*

11. Cumel. Franciſcus Cumel, ſeu Zumel ex ordine redemptionis captivorum *in primam partem q. 19. a. 6.* de voluntate antecedenti ſalutis humanæ Banneſio, quicum conjunctiſſimus fuit, penitus aſſentitur. *Ambo enim*, ut ſcribit Alvares L. 5. de Auxiliis divinæ gratiæ diſput. 34. n. 5. *dicunt quòd actus conditionatus ſeu velleitas ſa*lutis humanæ, id eſt, voluntas antecedens, quam S. Thomas velleitatem appellavit; *ſolùm eminenter reperitur in Deo.* Ita Sylvius ſuprà *quæritur 2° Reſpondeo*, inquit, *cum Bannes & Cumel videri probabilius, quòd voluntas antecedens non eſt in Deo formaliter*

*& propriè, ſed ſolùm eminenter & per tropum.*

Sylvius ibidem cum Banneſio & Cumele Navarettam Dominicanum conjungit, ejuſque verba refert in eumdem S. Thomæ articulum, controverſiâ 8ª: *communior atque verior reſolutio eſt, illam voluntatem non eſſe formaliter in Deo, ſed ſolùm eminenter.* Quibus verbis apertè ſignificat Navaretta ſententiam hanc, tum cum ipſe ſcriberet, in pleriſque Theologorum Scholis obtinuiſſe. Simile quidpiam teſtantes aliquos antea produxi. III. Navaretta

Cumeli, Navarettæ & Banneſio Baſilium Legionenſem adjunxit Gonetus tract. 4. de voluntate Dei, diſput. 4. a. 3. *Hanc quæſtionem*, inquit, *movemus contra aliquos recentiores Theologos, qui licet contra Janſenium doceant Deum velle omnes homines ſalvos fieri voluntate antecedenti; hanc tamen voluntatem aſſerunt non re-* IV. Baſilius Legionenſis. *Tom. 1.*

*periri in Deo propriè & formaliter, ſed metaphoricè tantùm, vel eminenter, illamque non eſſe voluntatem beneplaciti, ſed tantùm ſigni. Ita Guillelmus Eſtius in 1. D. 46. §. 3. & Baſilius Legionenſis 1.p. q. 6. Scholaſticâ, cap. 12. Citans pro hac ſententiâ Alexandrum, Bonaventuram & Scotum. Huic etiam ut probabiliori ex Thomiſtis adhærent Bannes, Navaretta & Zamel.*

V. Cœlius. His accedunt alii duo, quorum meminit Franciſcus Macedo in lib. de mente Summi Pontificis Innocentii X. circa propoſitiones Janſenii. *Addo*,[a] inquit, *Cælium L. 2. Inſtit. c. 8. & L. 4. c. 14. Cæſarem Vaninum exercit. 16. ubi hanc generalem erga omnes Dei voluntatem, & commune ex illâ gratiæ ſufficientis auxilium multis argumentis impugnat*: aitque » ſe Scholaſticorum diſtinctionibus hac ſuper re nec aſſentiri, » nec aſſenſurum, donec ſancta » Eccleſia Romana Eccleſiarum

VI. Cæſar Vaninus.

a *P. 104.*

Mater eas confirmarit. "

Cæteris Theologis, qui & omnem beneplaciti voluntatem ſemper impleri, & omnes Deum non aliter ſalvos eſſe velle aſſeruerunt, quàm voluntate ſigni externâ, Vaſqueſius[a] Driedonem annumerat, ejuſque librum de Concordiâ liberi arbitrii & prædeſtinationis 1. p. c. 4. ad 2um teſtem producit. VII. Driedo.

[a] *In 1. P. Diſp. 83. cap. 1.*

## Caput XXVIII.

### *De Sylvio.*

Sylvius Duacenſis Doctor, vir maximi nominis, qui Commentarios ſuos primùm edidit an. 1630. deinde an. 1641. in eâdem eſt ſententiâ, in quâ Bannes, Cumel, Navaretta & Eſtius fuerunt.

In primam partem S. Thomæ q. 19. a. 6. explicatis duobus voluntatis divinæ generibus, quæ in Scholis maximè celebrantur,

voluntatem beneplaciti ſemper impleri, idque ut credatur, Fidem Catholicam exigere ex pluribus Scripturarum teſtimoniis concludit. Semper quoque & eam impleri docet, quæ conſequens: non eam verò quæ ſigni dicitur, vel antecedens.

*Quæritur primo.* Mox negat Deum abſolutè omnes ſalvos eſſe velle, citatque ſuæ ſententiæ teſtes Ambroſium, Auguſtinum & Proſperum. Eos qui dicunt Deum id velle quantum in ſe eſt, vel ſi ipſi velint; pluribus Auguſtini, Proſperi, Bellarmini teſtimoniis ſtatim refellit. Addit & illud, conditionem; *ſi velint*, fruſtra poni; quoniam Deus *& velle perficere operatur*: repugnare demum ſententiæ & inſtituto Apoſtoli, qui pro omnibus orari jubet. Sin Deus omnes vult ſalvos eſſe, quantùm in ſe eſt, vel modò velint ipſi, fruſtra oratur pro omnibus qui quod ſuum erat fecit;

admonendi ſunt homines potiùs, ut quia Deus ſuis partibus non defuit, ipſi quoque non deſint ſuis: poſtremò, quod ineptè & ridiculè ſingeretur, non ſicut in hominibus, ita in Deo voluntatem, ſive conatum eſſe, ut velit & quantùm in ipſo eſt nitatur, quò omnes ad gloriam perveniant: propterea verò quòd mamaximè optet eum non aſſequi, quod bonæ ejus voluntati reſiſtant homines; hinc enim eſſe omnino conſequens, ut Deus infirmus ſit & miſer, qui neque quod vult, id facere, neque quod optat, hoc conſequi poſſit.

Quæſtio ſecunda quam Sylvius proponit, ea eſt, an voluntas antecedens ſit in Deo propriè. Ita quibuſdam videri ait ob rationes quas dum de Eſtio dicebam, produxi. *Nihilominùs*, inquit, *cum Banneſio & Cumel reſpondeo videri probabiliùs, quòd voluntas antecedens non eſt in Deo* *Quæritur ſecundo.*

*formaliter & propriè, ſed ſolùm eminenter & per tropum: quomodò ira, miſericordia, pœnitentia & ſimiles affectiones, quæ in hominibus imperfectionem includunt, dicuntur eſſe in Deo; adeo ut Navaretta controverſiâ octavâ ad præſentem*
" *articulum ſcribat:* communior at-
" que verior reſolutio eſt, illam
" voluntatem non eſſe formaliter
" in Deo, ſed ſolùm eminenter.

Sex deinde argumentis concluſionem ſuam confirmat Sylvius, iiſdem fere omnibus quæ jam erant ab Eſtio prolata. Deñique ſibi ſuffragari ait Scotum, Bonaventuram ac Durandum, quorum ſententias repreſentavimus.

*Quæritur tertio.* Quæſtione tertiâ varias exhibet interpretationes verborum Apoſtoli: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri:* rejectâque voluntate conditionatâ, quam auctor Commentarii Hieronymiani Pelagius, & Ambroſiani Hilarius

Luciferianus induxerant, alias ſeptem proponit: primam quidem *de Chriſto ac humanâ ejus voluntate, non quidem abſolutâ & rationali, ſed ea quæ vocatur deſiderii & velleitatis*: ſecundam, ut omnes Deus ſalvos eſſe velle propterea dicatur, quòd ex univerſo genere hominum ad gloriam perveniant innumeri, qui quodammodò dici poſſint *omnes*. Tertiam Damaſceni de voluntate antecedente: quartam Proſperi in 1. & 2. reſp. ad obj. Vincentianas & auctoris L. 2. de Vocat. gentium de voluntate ſigni externâ: quintam, ſextam & ſeptimam Auguſtini.

Primam difficultate nequaquam carere ait, quod Apoſtolus de tempore præſenti loquatur: *abſurdum autem videtur ejuſmodi voluntatem Chriſto nunc in Cælo regnanti, ſicut & ſpiritibus beatis tribuere, quorum omnium voluntas perfectè eſt conformis vo-*

*luntati Dei*: Secundam cum Apoſtoli ſententiâ generali non congruere : ſcrupulo non carere tertiam, ex quâ conſequens eſſe videatur, ut damnatos etiam ac Dæmones Deus ſalvos eſſe velit; nec rationem idoneam ab Apoſtolo reddi cur orandum ſit pro omnibus, *niſi concedamus, quod abſit, etiam pro damnatis orandum*; ſcrupulum tamen tolli poſſe, ſi voluntas antecedens explicatur, ut à Bonaventurâ & Scoto explicata eſt, jungaturque ſententia Proſperi de externis quibuſdam & communibus benficiis : quintam & ſextam id habere incommodi, quòd vocem, *omnes*, reſtringant, & ſententiæ Petri, *nolens aliquos perire*, difficiliùs accommodari poſſint; utramque tamen eſſe probabilem, ſi locus Petri de ſolis electis intelligatur, ut Beda intellexit. *Septima verò*, quâ Deus omnes ſalvos eſſe velle idcirco dicitur, quoniam effi-

cit ut hoc Sancti velint; *videtur omnium optima, ut ex ſupradictis colligi poteſt; ſed à quâ non exiſtimamus excludendam eam, quæ quarto loco fuit propoſita* de voluntate ſigni, ſive de externis quibuſdam & communibus beneficiis. *Videantur hic Bannes & Eſtius in Comment. ad iſtum B. Pauli locum.*

Cætera Scripturæ loca, quæ ad voluntatem vel generalem, vel minimè efficacem adſtruendam proferuntur, deinde exponit: ut eſt illud Matth. 23. *quoties volui congregare filios tuos & noluiſti?* Quod cum Auguſtino ſic interpretatur, ut Chriſtus quotquot voluit collegerit, Judæis licet renitentibus. Sin verò quis ex loco Ezechielis 24. *mundare te volui, & non es mandata,* factum id non eſſe concludit, quod Dominus fieri voluiſſe dicitur: reſpondet hoc Dominum voluiſſe in piis hominibus quos ad Ju-

dæos miſerat; aut voluiſſe voluntate ſigni externâ, quæ in præceptis, exhortationibus, miraculis, aliiſque id generis auxiliis conſiſtit, quæque per Prophetas omnibus exhibita Judæi contempſerint. Ad eamdem ſigni voluntatem refert quod Deuteron 32. & Eſaiæ 48. de Deo populi ſalutem & converſionem optante legitur. Illud verò Chriſti apud Matth. cap. 18. *non eſt voluntas Patris ut pereat unus de puſillis iſtis*; vel illud 2. Petri 3. *nolens aliquos perire*, rectè intelligi ait de ſolis electis. Denique Ezech. 18. *dicitur Deus nolle mortem peccatoris, quia non vult eam niſi præſuppoſito peccato. Sicut enim neminem damnat, niſi propter peccatum, ita nullum damnare vult niſi propter aliquod ejus peccatum.* Ex hac Sylvii ut ſuperiorum omnium ſententiâ ſequitur ſolos electos Deum ſalvos eſſe velle: reproborum propriè ſalvum eſſe

velle neminem, cum voluntas illa generalis pertinens ad omnes & ſingulos ſive antecedens dicitur, ſive ſigni non ſit in Deo, nec de Deo dicatur niſi per metaphoram.

Hoc loco inprimis obſervari velim, quod in præfatione Sylvius ipſe admonuit: hoc eſt, ſe, antequam in publicam lucem commentarios ederet, propter materiam de Auxiliis contendiſſe à Sede Apoſtolicâ, ut liceret edere: ſibi reſcripſiſſe Nuntium Apoſtolicum, non licere antequam Congregationi Romanæ ſcripta exhiberentur: inter cætera verò exhibendum eſſe quicquid de voluntate Dei ſcripſiſſet, ſive de illâ quæſtione quæ in ſcholis agitari ſolet: *an omnis voluntas Dei ſemper impleatur*: de ſcientiâ mediâ, de decretis divinis, de prædeſtinatione & gratiâ efficaci. Hoc ab eo ſtatim factum eſt, cujus opus accuratiſſi-

mè perlectum cum laudaſſet & in omnibus probaſſet ſacra Congregatio, annuit demum ut quæ de Dei voluntate, ac de cæteris ab eo erant ſcripta vulgarentur: ſolam quæſtionem eam, in quâ tractatur de Auxiliis, edi vetuit, ne qua daretur aliis de re eâdem ſcribendi occaſio. Cardinalis Millini ad Archiepiſcopum Patracenſem in Belgio nuntium literas eadem, quæ nos antè ex Sylvio narravimus, teſtantes vide ibidem. Ex quibus facilè intelligitur, quænam tum eſſet ſive Romæ, ſive Duaci de novo illo dogmate quod Anonymus hiſtoriæ Janſenianæ Scriptor & Abbas *inter Germanos præſtantiſſimus* invehere conantur; & trium in Academia Duacenſi Profeſſorum, à quibus approbatus eſt Sylvii liber, & Romanæ Congregationis opinio: quodve judicium de decretis illis Dei *inefficacibus*, quæ à Sylvio, ut ab aliis

Datæ ſunt Literæ Ro. 23. Jan. 1627.

omnibus quos citavi, rejecta ſunt, ab Abbate Germanico velut certiſſima Fidei Catholicæ præſidia jam proferuntur.

## Caput XXXIV.

### *De Gilberto Mauguino.*

Gilbertus Mauguin in ſuprema Monetarum curia Pariſienſi curia præſes, vir doctus ac pius, nihl ab his diſſenſit.

In præclaro opere *vindiciarum prædeſtinationis & gratiæ*, quod editum eſt Pariſiis an 1650. idemque approbatum à quatuor Doctoribus Sorbonicis, Gotheſcalcum egregiè vindicat à calumniis Hincmari; Gotheſcalcanæ ſententiæ capita omnia tuetur, uti Catholica & veterum doctrinæ conſentanea, è quibus erat præcipuum illud: [a] *omnes quos Deus vult ſalvos fieri ſine dubitatione ſalvantur: nec poſſunt ſalvari, niſi quos Deus vult ſalvos fieri: nec*

[a] *Mauguin. tom. 2. p. 4.*

*eſt quiſquam, quem Deus ſalvari velit, & non ſalvetur, quia Deus noſter omnia quæcumque voluit fecit.* Ergo *omnes & omnes debere intelligi, id eſt, omnes qui ſalvantur, de quibus dicit Apoſtolus:* qui vult omnes homines ſalvos fieri: *& omnes qui non ſalvantur, quos non vult ſalvos fieri.* Capitula Cariſiaca, in quibus Gotheſcalcanum, ſive potiùs Fulgentianum hoc reſpuitur, ipſe paſſim reſpuit, rejectaque aſſerit & refutata ab illuſtrioribus pleriſque Galliarum Epiſcopis: Valentina laudat in quibus Hincmariana damnantur. [a] *Catholicam veritatem capitulis quatuor Hincmarianis labefactatam propugnari* ait *in prudentii Trecenſis Epiſtolâ tractoriâ*, in quâ exigitur ut Epiſcopus Pariſienſium deſignatus Æneas *credat atque confiteatur Deum omnipotentem omnes quoſcumque vult ſalvare, & neminem poſſe ſalvari ullatenus, niſi*

[a] *Ibidem p. 278. & 280.*

*quem ipſe ſalvaverit: omnes autem ſalvari, quoſcumque ipſe ſalvare voluerit. Ac per hoc quicumque non ſalvantur, penitus non eſſe voluntatis illius ut ſalventur dicente Prophetâ*: omnia quæcumque voluit " Dominus fecit in Cœlo & in Ter- " râ, in Mari & in omnibus abyſſis. "
Quam epiſtolam in Concilio Senonenſi approbatam eſſe Mauguinus pluribus concludit; & inter cætera, quia [a] *doctrinam in hac Prudentii tractoriâ expreſſam, veram & germanam eſſe Sanctorum Patrum & totius Eccleſiæ doctrinam; teſtimoniis ſupra memoratorum omnium Patrum probaverat ſcriptis ſuis Prudentius, quæ tunc omnium Provinciæ ſuæ Epiſcoporum terebantur manibus*. Et quia *doctrina illa S. Scripturæ veritate & Sanctorum Patrum auctoritate firmata, aliquomodo ſuſcepta & confirmata fuerat ab iiſdem Provinciæ Senoniæ Epiſcopis, qui anno 849. in Concilio Pariſienſi cum aliis con-*

[a] Ibidem p. 281.

*ſenſerant, ut Prudentius librum ſuum mitteret ad Hincmarum & Pardulum.* Mitto infinita id generis quæ in toto opere paſſim reperiuntur. Quid de gratiâ per ſe efficaci, de gratiâ minimè communi omnium ſentiat auctor in veterum doctrinâ verſatiſſimus, paſſim aperit ipſe; ſive Gotheſcalcum vindicat, ſive Prædeſtinatianam fabulam refellit.

Non alios deinceps citabo Auguſtinianæ doctrinæ teſtes quam qui vel ſcripſere, vel quorum ſcripta poſt decretum Jnnocentianum prodierunt.

## Caput XXXV.

### *De Franciſco Macedo & Hugone Mathoud.*

FRanciſcus Macedo Franciſcanus, qui in Apologiâ Cardinalis Noriſii, quod alio loco jam obſervatum eſt, laudatur utì *in Auguſtini lectione verſatiſſimus,*

an. 1653. Librum edidit de mente ſummi Pontificis Innocentii X. circa propoſitiones Janſenii. In concluſione 14. ſic exprimit Auguſtini doctrinam: *Deus non habuit generalem voluntatem antecedentem inefficacem ſalvandi omnes: nec is ſenſus eſt loci Pauli*, Deus vult omnes homines ſalvos fieri, *ſed tres alii quos Auguſtinus & Proſper & Fulgentius tradiderunt.* Adſcribuntur ad marginem ea loca, quæ nos antè partim repræſentavimus, partim indicavimus, in quibus Pauli ſententia ſolis electis accommodatur, & ideo præſertim accommodatur, quòd Dei omnipotentis voluntas inanis & irrita eſſe non poſſit.

Quamobrem cum addit Macedo in concluſione 15ª *Deus circa electos habuit voluntatem efficacem: circa quoſdam, quibus aliquot media inefficacia præparavit, habuit inefficacem: circa plurimos*

*negativè, derelinquendo ſe habuit: nullo actu voluntatis uſus*: de ſolâ voluntate ſigni intelligendus eſt. quæ quidem voluntas vera & propria eſt, ſi ad media; metaphorica tantummodò & exterior, ſi ad finem referatur. Ita Macedo ſenſiſſe concludimus ex
P. 102. aliis ejuſdem libri locis, ubi Gregorium Ariminenſem, à quo voluntas de ſalute reproborum palam & diſtinctè rejicitur, appellat Auguſtini, in ea quæſtione quæ de voluntate generali eſt,
P. 103. & 104. interpretem fidiſſimum. Adjungit poſtea Remigium ſive potiùs Haimonem, Anſelmum, Fulgentium, Proſperum, Prudentium Tricaſſinum, Lupum Servatum, Florum & alios, quos ut ſententiam Apoſtolicam de electis interpretari notum eſt, non de reprobis (hos enim Deum ſalvos eſſe velle negant) ita cum Auguſtino convenire teſtatur.

Omnibus principiis & concluſionibus

cluſionibus Auguſtinianis ſubjicit Macedo : *hæc eſt vera & genuina Auguſtini mens, cujus quot ſunt ſententiæ, totidem à me concluſiones conceptæ ac expreſſæ ſunt. Si quis cenſor aut ullam Auguſtini neget eſſe, aut falſam, cum ejus ſit, eſſe affirmet : ei recipio quamcumque deſignet, eam & omnino Auguſtini eſſe : & falſam non eſſe, ſummorum Theologorum judicio, à me monſtratum iri. Unde nullam earum uti ſcribitur, vel improbatam fuiſſe antea, vel deinceps improbandam à Sede Apoſtolicâ fore, haud temere dixero.* Quibus verbis docet concluſiones omnes quas ex Auguſtini libris collegerat, ſibi & Auguſtinianas & veras videri.

Hugo Mathoud Benedictinus Pullum edidit Pariſiis an. 1655. cum obſervationibus quas tres Doctores Sorbonici comprobaverunt. In his p. 300. & 301. Pullum ab hodiernis ſententiæ Pau-

linæ Commentariis multùm diſſenſiſſe ſcribit, nec alias eum interpretationes ſecutum eſſe, quàm quæ & Auguſtino & veteribus pleriſque placuerant. Pluribus deinde citatis veterum teſtimoniis in eamdem ſententiam concludit cum Eccleſia Lugdunenſi, *in his omnibus*, hoc eſt interpretationibus Auguſtinianis tribus *& veram omnino & ſalubrem intelligentiam* eſſe. *Hæc autem omnia*, inquit, *pro rei dignitate & in gratiam Pulli, cui veritas hæc cordi fuit, dicta ſunto*. Ita ſignificat Auguſtini ſententiam abs ſe probari, quam & tot collectis undique Patrum teſtimoniis confirmavit, & veritatem appellavit.

## Caput XXXVI.

### *De Fromondo.*

FRomondus Lovanienſis Doctor; cujus opus Poſthu-

mum in omnes Pauli Epiſtolas Lovanii prodiit an. 1663. & jam omnium manibus teritur; ſententiæ Paulinæ primam interpretationem Auguſtinianam cæteris omnibus anteponit. Hæc enim habet in primam ad Timotheum 2. 4. qui omnes homines, *non omnes omninò*, inquit, *ſed quicumque ſalvantur, ſicut interpretatur Auguſtinus cap. 8. de prædeſt. Sanct. & alibi; item diſcipuli ejus S. Proſper, Fulgentius, Anſelmus &c.* Vult *voluntate beneplaciti, ſeu efficaci*, ſalvos fieri, *ſalute æternâ*, & ad agnitionem veritatis *Evangelicæ, quæ eſt medium, quo pervenitur ad ſalutem*; venire *per fidem in Chriſtum.* Subjicit Auguſtini poſteriores duas; tum aliam de voluntate conditionatâ; quam repugnare ait & *efficaciæ gratiæ quæ dat velle*; & inſtituto Apoſtoli, qui pro omnibus orari jubet. *Si enim omnes habeant omnia neceſſaria ex parte Dei, & ſolùm jam*

*pendeat ab humana voluntate quòd ſalventur, aut non; quid opus eſt orare Deum pro ipſis, ait ſæpe Auguſtinus, cum potiùs homines ſolùm ſint adhortandi ut velint, quando quidem illam voluntatem à ſe habeant, non à Deo parante ipſis velle?* Quintam addit Damaſceni de voluntate antecedente, *quam Deus antecedenter ad prævisionem peccati ex ſe & ex inclinatione ſuæ pietatis concepit, volendo naturam humanam in primo homine condere ad beatitudinem æternam & dando ei gratiam ſufficientem ad illum finem, per quam ſalvari poſſet ſi vellet, utendo eâ & reddendo illam efficacem per liberi arbitrii flexum & determinationem. Non vult tamen jam efficaciter voluntate conſequenti poſt peccati originalis & actualis prævisionem, omnes omnino ſalvos fieri, quia vult in quoſdam juſtitiam exercere.* Sic ille voluntatem antecedentem interpretatur, nihil ut diffe-

rat à voluntate Creatoris, quam utì non improbabilem & ad conciliandas Patrum inter ſe diſſidentium ſententias idoneam Remigius Lugdunenſis invexit, ut alio in loco obſervavi. Ultimam deinde ſubjungit *de voluntate non beneplaciti ſed ſigni, quæ conſiſtit in præceptis, conſiliis & mediis externis ſalutis quæ omnibus proponuntur. Quam interpretationem ſolam amplectitur Cajetanus. Et Bellarminus L. 2. cap. 3. de gratiâ & libero arbitrio ait Apoſtolum ſolùm ſignificare, quòd Deus neminem impediat à ſalute, immò remedia & auxilia pro omnibus in commune inſtituerit, ut prædicationem Evangelii & Sacramenta, quæ voluit omnibus eſſe communia.* Quo etiam in loco Bellarminus voluntatem antecedentem & voluntatem beneplaciti mox inter ſe ſe opponit.

*Omnes hæ interpretationes*, inquit Fromundus: *ſunt probabiles,*

*& quæ ſequuntur omnibus applicari poſſunt, ſed elegimus primam, quia eam diſcipuli S. Auguſtini magis ſequuntur: & licet prima fronte non videatur eſſe tam liquida, tamen Bellarminus L. 1. c. 22. de juſtificatione ait eam aptiſſimâ ſimilitudine ludimagiſtri illuſtratam ab Auguſtino. Deinde ſic oportet interpretari Scripturas, ne interpretatio unius alteram evertat; unde cavendum eſt, ne hic Apoſtoli locus pugnet cum electione prædeſtinatorum ex maſſâ damnationis ſine præviſis meritis.* Ita ille Auguſtinianam interpretationem cæteris omnibus præferens apertè docet *non omnes omnino* Deum ſalvos eſſe velle voluntate beneplaciti, *ſed eos quicumque ſalvantur,* nec aliud ſignificare Apoſtoli ſententiam.

## Caput XXXVII.

*De aliis recentioribus nonnullis.*

Superioribus Addam duos, treſve recentiores Theologos. Primus erit Florentius de Cocq. ex ordine Præmonſtratenſi, qui Theologiam ſuam edidit an. 1682. nunc omnium manibus tritam. Tom. 1. tract. 1° cap. 3. ſect. 3. p. 65. explosâ voluntate conditionatâ velut abſurdiſſimâ, & cæteris ſententiæ Apoſtolicæ interpretationibus rejectis, *veriorem*, inquit *& planiorem hujus loci interpretationem nobis antè ſuppeditavit S. Auguſtinus : adeo ut omnes homines Deus velit ſalvos fieri, quatenus nullus ſalvus ſit, niſi Deo volente ſalvetur.* Et mox. *Æquè veram & ſolidam expoſitionem affert idem Doctor Enchiridii 103. ubi ait: per omnes intelligamus totum genus humanum per quaſcumque differentias temporum diſtributum,* 1. Florentius de Cocq.

*Reges, privatos, nobiles* &c. Addit ita ſentire Proſperum & clariſſimè Fulgentium in L. de Incarnat. & gratiâ, quo in loco ſolos electos Deum ſalvos eſſe velle docet apertiſſimè. Neque ob aliam cavam Auguſtinus tres interpretationes ſuas induxit, quã ut ſententia Apoſtoli ſolis electis accommodaretur, & nulla in Deo putaretur eſſe voluntas inanis & minimè efficax. *Conformiter ergo ad has præcipuè duas ultimas expoſitiones intelligi poteſt prædicta Apoſtoli ſententia, utì etiam hæc 2. Petr. 3. ubi de Deo dicitur:* nolens aliquos perire, ſed omnes ad pœnitentiam reverti: *& hæc Ezech. 33.* nolo motem impii *id eſt niſi poſito peccato.* Sin quis *omnes* vult ſimpliciter intelligere *ſolos electos, concludo*, inquit, *cum Bellarmino ſerm. 2. de grat. c. 8. ubi ait*: credimus Deum abſolutâ voluntate velle ſalvare multos tum parvulos tum adultos: & abſolutâ vo-

luntate alios non velle ſalvare tum parvulos, tum adultos. P. 63. Florentius de Cocq rejecerat interpretationem uſitatam apud Theologos *de voluntate Dei non abſolutâ, ſed deſiderii tantùm & velleitate*, ut parum conſentaneam *Apoſtolo, qui dicit*, Deus vult, *non autem* vellet omnes ſalvos fieri. Mox p. 64. opinionem Pelagii in commentario Hieronymiano, auctoris Pelagiani in carmine de Providentiâ apud Proſperum, Ambroſiaſtri, Juliani & Fauſti ſic verba Apoſtolica interpretantium ut omnes Deus ſalvos velit, *ſi vocationi Dei conſentire voluerint*; velut abſurdiſſimam explodit. ex quibus efficitur voluntatem Dei quam Apoſtolus expreſſit abſolutam eſſe, non conditionatam. Voluntas Dei abſoluta ſemper impletur, ut in ipſo ſectionis initio docet: ergo ex ejus verbis & principiis conſequens eſt, ut *omnes*, quos

Deum Apoſtolus ſalvos fieri velle ait, non alii ſint, quàm electi, in quibus ſolis voluntas Dei de ſalute hominum impletur.

Cardinalis Lauræa.

Sequitur Cardinalis Brancatus de Lauræa, cujus tria opuſcula de prædeſtinat. & gratiâ Romæ prodierunt an. 1687. Obſervat ille in primo Semipelagianos, qui Deum, quantum eſt in ſe, omnes ſalvos velle exiſtimant, ſententiam Apoſtolicam crebrò objicere, ut inter cæteras eorum querelas, hæc ipſa, quæ eſt de voluntate generali ab Auguſtino rejecta, præcipuum quemdam locum habere videatur. *Sed Auguſtinus*, inquit, *& cum eo omnes ejus ſequaces aliter exponunt Pauli locum, ita quòd verum ſit, quod ex maſſâ perditionis Deus non omnes elegerit, ſalvoſque voluerit, ſed aliquem determinatum numerum ex illis omnibus lapſis. Pro quo declarando dico ſecundùm S. Auguſtinum, & ut puto*

*veritatem ; dictum illud Pauli :* Deus vult omnes homines ſalvos fieri : *non intelligitur de omnibus omnino hominibus, ſed vel de ſingulis generibus, ſeu ſtatibus atque conditionibus hominum; vel de omnibus iis qui ſalvantur; ſeu ut dicitur de ſingulis generibus, non de ſingulis generum* &c.

Denique Cardinalis Noriſius Petavio, Vaſqueſio & aliis Auguſtinianas interpretationes rejicientibus non modò loca in quibus maximè conſtituuntur, ut Epiſtolam ad vitalem, Enchiridii caput 103. & L. de corrept. & gratiâ caput 14[ū] opponit; verùm etiam & Eccleſiam Lugdunenſem in L. de tribus Epiſtolis cap. 26. & 24. approbantem, & Bonaventuram à quo *bonæ* appellantur. Cardinalis Noriſius in vindiciis Auguſtinianis. p. 223. & 224.

## Caput Ultimum

## *& totius Libri Concluſio.*

PAtres gratiæ divinæ defenſores præcipuos, & clariſſimos omnium ætatum Theologos vel Auguſtinianam verborum Apoſtolicorum interpretationem cæteris rejectis approbantes audivimus, vel divinam de ſalute humanâ voluntatem ſic explicantes, ut de veritate propoſitionis Arnaldinæ conveniant.

Arnaldus dixit in Analyſi: *de his etiam ſolis* electis *intelliguntur* ab Auguſtino in L. de corrept. & grat. cap. 14. *ejuſdem Apoſtoli verba:* Deus vult omnes homines ſalvos fieri*: id eſt omnes prædeſtinatos, quia omne genus humanum in eis eſt, cum in utroque ſexu, ex omni gente, gradu, ætate & conditione ſalventur. Quòd ſi Deus omnes omnino homines vellet ſalvos fieri, omnes omnino ſalvarentur,*

*quia volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium.*

Ad hæc Anonymus reprehenſor : *inter cæteras veritates , quas Auguſtinum è ſcripturis expreſſiſſe docet* Arnaldus in Analyſi ſuâ , *numerat iſtam* : de his etiam ſolis *electis* intelliguntur ejuſdem Apoſtoli verba : *Deus vult omnes homines ſalvos fieri* : id eſt , omnes prædeſtinatos. *Cum exceptio ſit generalis ; ergo Deus , & idcirco Chriſtus , nullum umquam è reprobis voluit ad gloriam provehere.* Hiſt. 5. Prop. p. 473.

Omnes quotquot antea produximus , Patres quindecim , vel potiùs 26. Theologi 34. aut 35. hoc eſt , Scriptores Eccleſiaſtici pluſquam 60. cum Arnaldo conſentiunt. Nam vel Apoſtoli verba de ſolis electis interpretantur & de aliis intelligi vetant : vel aliquam è tribus interpretationibus Auguſtini ſimpliciter proferunt , & Auguſtiniano voluntatis Dei ſemper inviƈtiſſimæ , & in om-

nibus efficaciſſimæ principio cō-
muniunt, quod eſt reprobos om-
nes excludere : vel voluntatem
antecedentem negant ineſſe in
Deo propriè, quòd omnis Dei
voluntas ſemper impleatur : ut
Bannes, Cumel, Eſtius, Nava-
retta & Sylvius : vel docent om-
nes Deum ſalvos eſſe velle vo-
luntate externâ ſigni & meta-
phoricâ, ſolos electos voluntate
beneplaciti, quæ ſola in Deo eſt,
eademque ſemper efficax : vel
omnes propterea Deum ſalvos
velle dici aiunt, quòd antece-
dentia quædam ad ſalutem con-
ferat omnibus, non quòd ſalu-
tem ipſam velit. Ita Alenſis, Bo-
naventura, Durandus, Scotus,
aliique, è quibus nonnulli à no-
bis commemorati ſunt, præter-
miſſi complures alii ; ex quorum
ſententiâ conficitur Deum qui-
dem antecedentia ipſa velle, quæ
ut à pluribus explicantur, exter-
na quædam ſunt auxilia, vel fa-

cultates naturales, ut ad æternam beatitudinem referuntur primævâ conditione originis: ſolos verò electos ſalvos propriè velle, quæ eſt Arnaldina propoſitio.

Sed quid plura? Et Abbas Germanicus, & Vaſques Arnaldum ſuis ſententiis abſolvunt: iſte dum Auguſtinum verba Apoſtolica nuſpiam interpretari ait de voluntate beneplaciti & propriè dictâ erga omnium ſalutem, ſed tribus duntaxat modis, qui ad voluntatem generalem excludendam omnino pertineant. Neque enim Auguſtinus ſuas interpretationes tres aliam ob cauſam invexit, totve Scripturarum teſtimoniis voluntatem Dei ſemper eſſe efficaciſſimam, nec aliquando inanem & irritam eſſe poſſe adſtruentibus communivit, quàm ut Apoſtoli verba ſolis electis convenire intelligerentur: ille eadem ab Auguſtino cùm ſæpiſſimè in ſuis ſcriptis omnibus, tum præ-

ſertim in Libro de corrept. & gratiâ ad ſolos electos accommodari concedit: quod eſt Arnaldum abſolvere, qui in Synopſi Analyticâ Auguſtinianam Libri de correptione doctrinam expoſuit, non ſuam; ideoque reprehendendus tantummodò, ſi veros Auguſtini ſenſus ſincerè non expreſſit, ut laudandus contrà ſi ſincerè & fideliter expreſſit. Sed audiendus eſt Abbas in ſuâ ad Benedictinos Epiſtolâ. *Janſenium ipſum*, inquit, novæ *editioni præſidere, & quid in ſingulis quibuſque locis obſervandum ſit, quidve omittendum deſignare diceres: veretur ille inprimis, ne ea Auguſtini loca obſerventur; è quibus reprobos Deum ſalvos eſſe velle concludunt Catholici.* Mox prolatis octo teſtimoniis, quorum tria de voluntate generali, explicuimus: reliqua verò quinque nihil adsũmum ſignificant aliud, quã quod conceſſum ſemper eſt, & à ne-

*p. 18. & ſeq. edit. Colon.*

mine jam negatur, Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe: quãquam non eodem modo. Nam pro omnibus ac ſingulis paſſus rectè dicitur, ut Proſper docet, Vaſques ipſe, propter naturam & cauſam communem quam ſuſcepit: propter magnitudinem quoque & potentiam pretii, quod per ſe ſe ſufficit omnibus ac ſingulis. Pro juſtis verò ac preſertim pro electis ſingulari quâdam ratione mortuus eſt. Auguſtini loca, ut maximè urgeantur, modum illum communem mortis Chriſti ad ſummum exprimunt, nihil amplius. Queritur tamen ſuo more declamator ineptiſſimus, quòd Benedictini Theologos Lovanienſes imitati nullam de voluntate generali notam ad marginem adſcripſerint. *Janſeniani*, inquit, *ea ſola Auguſtini loca diligentiſſimè obſervari exoptant, in quibus de voluntate efficaci ſalutis electis dandæ agitur;* *Ibidem p. 23.*

*ut Lector in iis inhærens non aliam Dei de ſalute humanâ voluntatem apud Auguſtinum extare ſibi perſuadeat, quàm efficaciſſimam, hoc eſt eam, quæ ſolis electis gloriam præparavit. Ut vobis notum eſt novatorum conſilium, ita ardore incredibili loca omnia indicatis, in quibus maximè inſiſtunt & alios quoque volunt inſiſtere: veſtrumque in eorum partes ſtudium nullis circumſcribitur terminis. Quis non obſtupeſcet, nec admirabitur infinitam annotationum veſtrarum multitudinem, quoties gratiæ Doctor Auguſtinus verba Apoſtoli; Deus vult omnes homines ſalvos fieri; de ſolis electis interpretatur? ut cum ad caput 14. Libri de correptione & gratiâ, in quo eadem Apoſtoli verba de ſolis electis explicantur, Enchiridion cap. 103. Librum 22. de Civit. cap. 1. & 2. L. 4. contra Julian cap. 8. conſuli præcipitis, quaſi nihil apud Auguſtinum occurrere & gravius & lectoris attentione*

*dignius. Quis ergo non offendatur*, Moliniſta præſertim, ſi aliquod ſectæ ſuæ ſtudium habet? Cætera eodem ſtylo perſequitur declamator quæ aliqua jam ex parte produxi. Sed quod unum hoc loco probare conſtitueram, Arnaldi propoſitionem abſolvit. Si enim Auguſtinus cap. 14. Libri de Correptione & Gratia ſententiam Apoſtolicam de ſolis electis intelligit, ut confitetur Abbas, potuit ergo Arnaldus ſummam capitis 14. conficiens id indicare; potuit cum Auguſtino dicere: *ita dictum eſt*, omnes homines vult ſalvos fieri, *ut intelligantur omnes prædeſtinati, quia omne genus hominum in eis eſt*: potuit cum eodem ſcribere *Deo volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium*: potuit paucis verbis contrahere fundamentum interpretationis Auguſtinianæ: *non eſt itaque dubitandum voluntati Dei*, [a] qui in Cœlo

[a] *Pſ.* 134; 6.

& in Terrâ omnia quæcumque voluit fecit, *& qui etiam illa* a quæ futura ſunt fecit, *humanas voluntates non poſſe reſiſtere*, *quominùs faciat ipſe quod vult: quando quidem etiam de ipſis hominum voluntatibus, quod vult, cum vult, facit.... ſine dubio habens humanorum cordium quo placet inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.* Antijanſenianis loca iſta vehementer diſplicere ſcimus, ab iiſque tanquam Janſenianos infamari qui doctrinam eamdem lectorum oculis exponunt. Sed minimè miror: Auguſtinus à Pelagianis, Semipelagianiſque velut Manichæus infamatus eſt: cur mitiùs jam haberentur ejus diſcipuli, cum præſertim Semipelagianus tumor nondum reſederit, neque in tanto ſuperborum hominum numero facilè reſidere poſſe videatur?

a *Iſai. 45. ſecundum lxx.*

Cur verò Auguſtinus, cur reliqui deinde Patres, & clariſſimi

temporum omnium Theologi voluntatem generalem excluſerint, fecerunt inprimis innumerabiles Scripturarum de voluntate Dei ſemper efficaciſſimâ ſententiæ: ut Pſ. 134. 6. *omnia quæcumque voluit Dominus fecit in Cœlo, & in Terrâ, in Mari & in omnibus abyſſis.* Iſaïæ 46. 10. *Conſilium meum ſtabit, & omnis voluntas mea fiet.* Ibidem c. 14. 24. *Juravit Dominus exercituum dicens, ſi non ut putavi, ita erit; & quomodò mente tractavi, ſic eveniet.* In eodem capite v. 27. *Dominus exercituum decrevit, & quis poterit infirmare?* Cap. 55. 11. *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum, ſed faciet quæcumque volui.* Eccleſiaſtis 8. 3. *Omne quod voluerit faciet.* Dan. 4. 31. *Quia poteſtas ejus poteſtas ſempiterna, & regnum ejus in generationem & generationem... Juxta enim voluntatem ſuam facit tam in virtutibus Cœli, quàm in habi-*

*tatoribus Terræ, & non eſt qui reſiſtat manui ejus; & dicat ei: quare feciſti?* Job 23. 13. *Nemo poteſt avertere cogitationem ejus, & anima ejus quodcumque voluerit, hoc fecit.* Eſther 13. 9. *Domine Rex Omnipotens, in ditione enim tuâ cuncta ſunt poſita, & non eſt qui poſſit tuæ reſiſtere voluntati, ſi decreveris ſalvare Iſraël.* Et 14. 12. *Domine Rex Deorum, & univerſæ poteſtatis: tribue ſermonem compoſitum in ore meo in conſpectu Leonis;* ſic Regem appellat; *& transfer cor illius in odium hoſtis noſtri.* Ac meritò quidem id poſtulat à Deo, cum proverbiorum 21. 1. legatur: *ſicut diviſiones aquarum, ita cor Regis in manu Domini, quocumque voluerit inclinabit illud.* Denique Rom. 9. 19. *voluntati ejus quis reſiſtit?* Ut aliaid generis plurima omittam, quæ apud eos quos citavimus citatareperias.

Quoniam ergo omnem Dei voluntatem ſemper impleri, ne-

que ejus decreta infirmari poſſe Scriptura teſtatur, idcirco Patres, Theologique quamplurimi voluntate generali excluſâ ſententiam Apoſtolicam de ſolis electis intelligi voluerunt, ne quid fruſtra & inaniter velle crederetur Omnipotens.

Unum fere eſt quod objici poſſit, eſſe aliquas in Deo voluntates, quæ ſuſpenſæ quodammodò ſint, & ex conditione externâ veluti pendere videantur: quæque conditione poſitâ ſemper impleantur, minimè poſitâ non impleantur. Quid ſi ergo voluntatem generalem ex conditione externâ pendere dicamus, an id ullâ ex parte ſuperiora Scripturæ teſtimonia labefactabunt?

Nihil neceſſe eſt in eam nos quæſtionem ingredi, quæ ad id quod hoc loco potiſſimùm agimus, planè eſt inutilis. Sint ejuſmodi voluntates in Deo, ut quibuſdam placet, nullæ in eo

ſint niſi abſolutæ, ut videtur aliis: conſtat conditionem, ſi qua hîc objiciatur, aliam non eſſe, quàm voluntatem humanam; ut omnes Deus propterea ſalvos velle dicatur, quoniam hoc quidem vult ipſe, ſi nos quoque, ut par eſt, & ſalvi eſſe, & præceptis ſatisfacere volumus. Sed tametſi verum eſt eos præceptis ſatisfacere, qui volunt ſatisfacere; & ſalvos fieri, qui hoc plenè & conſtanter volunt: conditionem tamen ipſam Deus ponit, *qui operatur in nobis velle & perficere pro bonâ voluntate*, ut Apoſtolus Philipp. 2. 13. docet. Neque hoc in omnibus, ſed in iis quibus juſtitiam, regnumve ab æterno præparavit. Nam ut idem teſtatur Rom. 9. 18. *cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*: & tanquam figulus ex eâdem maſsâ perditâ pro arbitrio facit *aliud vas in honorem, aliud in contumeliam*. Ita quoniam conditio tota

ex

ex ſingulari Dei beneficio pendet, hoc eſt, ut probat ſanior Theologorum pars, ex gratiâ per ſe efficaci, quâ poſitâ ſemper ponitur, & quâ minimè poſitâ numquam ponitur; conſequens planè eſt propoſitionem hanc: *Deus vult ſi volumus*: & iſtam, *Deus vult ſi revera vult*: in idem incidere; quia ſi vult, volumus; nec volumus, niſi ipſe prior velit. Voluntatem conditionatam de ſalute omnium ac ſingulorum, quæ à Pelagianis, Semipelagianiſque magno conatu adſtruebatur, cùm pluribus Scripturæ teſtimoniis, tum exemplo parvulorum, parentibus licet, miniſtriſque nihil negligentibus, ante acceptum baptiſma morientium Auguſtinus, Proſper, Fulgentius, ac Theologi plerique confodiunt.

Cum ergo voluntas Dei de ſalute humanâ, ut Auguſtinus, cæteri deinde Patres, ac præſ-

tantiores poſtea Theologi docuerunt, non pendeat ex conditione voluntatis humanæ (neque enim cauſa pendet ex effectu, ſed potiùs effectus ex causâ) neceſſe eſt ut abſoluta dicatur; quam ſemper efficacem eſſe ſuperiora Scripturæ loca probant, atque inprimis illud Prophetæ: *omnis voluntas mea fiet.*

Qui voluntatem antecedentem de ſalute humanâ Deo propriè ineſſe arbitrantur, ſic conditionatam eam eſſe volunt, ut conditio non ſit iſta: *ſi volumus*; ſed, *ſi peccatum non intercederet*: vel, *ſi non vetaret ordo juſtitiæ*: vel, ut Petavius ab iis qui voluntatem generalem putant ſe apud Auguſtinum deprehendere, concipiendam eſſe ſcribit: * *vellem iſtos ſalvare, niſi eos primi culpa parentis odioſos & execrabiles feciſſet.* Vel, *vellem equidem omnes homines, quia hoc ſimpliciter & abſolutè bonum*

*Petavius tom. 1. l. 9. c 7. n. 9.

*eſt, ad vitam perducere : nolo tamen, quia hoc minimè convenit juſtitiæ meæ.*

Sed duo quæri poſſunt; primum, an voluntas illa antecedens, quæ, ut à S. Thomâ definitur, eſt ſimplex *velleitas*, aut quædam propenſio in rem generatim, ſive abſolutè & ſimpliciter ſpectatam; quæque ob peccati circumſtantiam ſterilis & otioſa manet, quamdiu non accedit voluntas conſequens; conveniat cum ſententiâ Apoſtoli : alterum, an ex Scripturâ neceſſariò concludi poſſit.

Theologi quàm plurimi, quos citavimus, cum Apoſtoli ſententiâ convenire negant, quorum ea potiſſima eſt ratio : Apoſtolum de voluntate abſolutâ & propriè dictâ loqui; non de conditionatâ, ſeu de velleitate. Ait enim, *vult Deus omnes homines ſalvos fieri :* non ait, *Deus vellet omnes ſalvos eſſe, niſi ſpectatis cujuſque cri-*

*minibus vetaret ordo juſtitiæ*: quemadmodùm dicere debuit, ſi velleitatem voluit exprimere. Qui aliquid vult cum certâ conditione, & in certis tantummodò circumſtantiis, is nunquam abſolutè & ſimpliciter pronunciaturus eſt, *volo.* Si reorum ob ſcelera capitali ſupplicio afficiendorum mentione factâ Rex ſimpliciter dicat velle ſe ut vivant, nec capitali ſupplicio afficiantur; nemo, ut opinor, de *velleitate* accepturus eſt; omnes potiùs de voluntate abſolutâ dictum accipient. Ergo Apoſtolus, qui voluntatem Dei de ſalute omnium expreſſit, ut voluntates abſolutas exprimere ſolemus, de voluntate abſolutâ dixiſſe exiſtimandus eſt. Voluntas abſoluta Dei ſemper impletur: ergo omnes, de quibus dixit Apoſtolus, ſalutem conſequuntur. Plerique tamen homines pereunt; omnes igitur & ſingulos homines non

intellexit. Quod etiam aliâ ratione, quâ Cardinalis de Lauræa in opuſculo primo, Cap. 20. utitur, confici poteſt. Nam cum Apoſtolus in Epiſtolâ ad Romanos cap. 9. doceat apertiſſimè Deum, *qui cujus vult miſeretur, & quem vult indurat*: qui *poteſtatem habet ex eâdem maſſâ facere aliud quidem vas in honorem, aliud verò in contumeliam*; præparaſſe *in gloriam* vaſa miſericordiæ *ut oſtenderet divitias gloriæ ſuæ*, relictis in maſsâ perditâ, corruptâque vaſis iræ: *quomodo*, inquit doctus & pius Cardinalis, *poteſt locus ille*: Deus vult omnes homines ſalvos fieri; *intelligi, niſi in ſenſu Auguſtini ſcilicet omnis generis homines, non omnes & ſingulos generum? alioqui ſibi manifeſtè contradiceret* Apoſtolus. Sic ergo neceſſe eſt, ut unam è tribus Auguſtini interpretationibus ſequamur. Primam verò & ſecundam, quæ potiores ſunt, tertiæ

Cardinalis noſter anteponit.

Accedit & illud. Cum Apoſtolus idcircò pro omnibus orari jubet, quòd Deus omnes ſalvos eſſe velit, ſic interpretari debent voluntatis antecedentis defenſores, auctore Apoſtolo orandum eſſe pro omnibus ac ſingulis, quia Deus vellet omnes ſalvos fieri, niſi peccato intercedente vetaretur. Sed quænam eſt connexio? Nonne contraria concluſio potiùs elici debet? Deus non aliter vult omnes ſalvos eſſe quàm voluntate antecedenti; hoc eſt, vellet equidem omnes ſalvos eſſe, quia hoc ſimpliciter & abſolutè bonum eſt, niſi peccato prohiberetur: (quod propriè eſt nolle, quoniam conditio, quâ ſublatâ vellet; id eſt, peccatum ſive proprium cujuſque, ſive originis, manet in pluribus; neque à Deo propter rationes juſtiſſimas quidem, ſed occultiſſimas tollitur) ergo quoniam non

aliter vult, videtur conſequens, ut minimè orandum ſit pro omnibus ac ſingulis.

Quod attinet ad alterum caput: voluntatis antecedentis de ſalute hominum nulla fit in Scripturâ mentio; nihilque extat ex quo nexeſſariò concludi poſſit. Si qua enim loca occurrerent, ea maximè, quæ voluntatem Dei generalem de ſalute humanâ ſignificant. Sed omnia quæ vulgò proferuntur voluntatem plenam & abſolutam exprimunt, non *velleitatem* imperfectam; ut ſunt iſta: *nolo mortem peccatoris, ſed magis ut convertatur & vivat. Nolens aliquos perire*: aliaque id generis. Mitto cæteras rationes, quas dum veterum Theologorum ſententias proferebam, non prætermiſi, & quæ ejuſmodi ſunt, ut ſi cum adverſariorum rationibus comparantur, vel anteponendæ, vel minimè poſtponendæ eſſe videantur.

Ex ſuperiorum Patrum, Theologorumque conſentientibus teſtimoniis jam apparet, quanta ſit Anonymi ignorantia, qui propoſitionem Arnaldinam cum Janſenianâ quintâ confundere auſus ſit, quam tot graviſſimorum Theologorum auctoritas ſemper ſejunxit: quanta demum ſit & Abbatis & Anonymi temeritas, qui voluntatem generalem rejectam à Patribus, Theologiſque præſtantiſſimis velut Catholicæ Fidei dogma proponere non vereantur, adverſarioſque ſuos propterea quod rejecerint vel minimè apud Auguſtinum annotaverint, tanquam hæreticos, ſupectoſve inſectari. Atque ut hoc magis appareat, ſimulque ut tota diſputationis noſtræ ratio ſub uno velut aſpectu poſita ſubjiciatur, quicquid hactenus à nobis fusè diſputatum eſt, unâ hac argumentatione breviter concludo:

Opinio rejecta à Patribus gra-

viſſimis, quos Eccleſia ſemper probavit, refutata à pluribus omnium ætatum Theologis doctrinâ & auctoritate præſtantiſſimis, quos æqualium nemo propterea ut à Fide Catholicâ, diſſentientes reprehendit, Eccleſia nunquam improbavit, non poteſt ſine ſummâ temeritate à privatis, poſterioribuſque Theologis, ut Fidei Catholicæ caput haberi; nec contraria, quam tot Patrum, Theologorumque firmaverit cõſenſio, notari velut hæretica. Voluntatem Dei de ſalute reproborum rejecerunt Patres inprimis ii, quorum de Prædeſtinatione & Gratiâ ſententiam Eccleſia Romana cæterarum Mater & Magiſtra ſequi ſe & ſemper profeſſa eſt, & adhuc profitetur: variis quoque argumentis refutarunt omnium ætatum Theologi graviſſimi à nemine propterea notati, è quibus etiam aliqui vel ab omnibus ſui temporis Theo-

logis, vel à pleriſque rejectam eſſe ſimiliter affirmant. Ergo voluntas Dei de ſalute reproborum non poteſt ut Fidei Catholicæ caput ſpectari, nec poſſunt ii à quibus rejicitur, ſine ſummâ temeritate, ut ne quid graviùs dicam, notari tanquam hæretici, vel ſuſpecti, temerariive.

Secundam propoſitionem certiſſimis Patrum pluſquam quindecim, vel ut veriùs dicam, 26. Theologorum pluſquam 34. aut 35. & Academiarum integrarum teſtimoniis confeci.

Prima propoſitio effatum quoddam eſt commune Theologorum omnium Eccleſiæ quoque uſu & conſuetudine roboratum. Neque enim voluntas Dei de ſalute reproborum tanquam Fidei Catholicæ dogma defendi poteſt, niſi propter auctoritatem Patrum aliquot, Theologorumque plurimorum loca Scripturæ de voluntate generali interpretantium :

atqui *plurium Sanctorum auctoritas*, [a] inquit Canus, *reliquis licet paucioribus reclamantibus firma argumenta Theologo ſufficere & præſtare non valet.* Et alio in loco: [b] *Theologorum Scholaſticorum etiam multorum teſtimonium, ſi alii contrà pugnant viri docti, non plus valet ad faciendam Fidem, quàm vel ratio ipſorum, vel gravior etiam auctoritas comprobavit. Videlicet in Scholaſticâ diſputatione plurium auctoritas Theologum obruere non debet; ſed ſi paucos viros modò graves ſecum habet, poterit ſanè adversùs ſtare. Non enim numero hæc judicantur, ſed pondere. Hanc verò concluſionem argumentis probare non debeo. Nam ſi quid eſt evidens, de quo inter omnes conveniat, argumentari non ſoleo. Perſpicuitas enim, ut ait Cicero, argumentatione elevatur. Certè ubi variæ ſunt doctiſſimorum hominum, diſcrepanteſque ſententiæ, Academicorum temperamentum imitari,*

a *L. 7. de locis cap. 3. concl. 3.*

b *Ibidem. L. 8. cap. 4. concl. 1.*

*& à rebus incertis certam aſſenſionem cohibere debemus. Quid enim tam temerarium, tamque indignum ſapientis gravitate, atque conſtantiâ, ut idem Cicero elegantiſſimè tradit, quàm quod non ſatis exploratè perceptum ſit & cognitum, id ſine ullâ dubitatione defendere? Quo loco ſanè arguendi ſunt Scholaſtici nonnulli, qui ex opinionum, quas in Scholâ acceperunt, præjudiciis viros alias Catholicos notis gravioribus inurunt, idque tantâ facilitate, ut meritò rideantur. Nobis autem Schola noſtra magnam quidem licentiam dat.... ſed non licet tamen eos qui nobis ſunt adverſi, temere ac leviter condemnare.* Banneſius in primam partem q. 1. a. 8. dub. ad 3um concl. 1. iiſdem pœne verbis utitur, & rem alioqui manifeſtam eſſe contendit. Cæteri quoque Theologi penitus aſſentiuntur, ut inutile ſit plures hoc loco producere.

Suffragatur quoque conſuetudo Eccleſiæ, quæ vel Patribus, vel Theologis diverſa ſectantibus, rem in medio ſemper relinquit; ut Palavicinus in Concil. Tridentino factum eſſe teſtatur. *Quamobrem*, inquit, a *Patrum conſilium fuit in recenſitis definitionibus ſe prorſus abſtinere à ſupervacaneis articulis, ab illis nimirum qui Catholicas inter Scholas in dubitatione verſantur.... Idcirco ſemper obſiſtere legati, ne quid de Conceptione Virginis ſanciretur. Hîc verò admonuerunt, ne quid certi ſtatuerent de naturâ ipsâ originalis culpæ, de quâ Scholaſtici diſcordant. Nec enim Synodus collecta fuerat ad decidendas opiniones, ſed ad errores recidendos.* Scribit alio in loco b Pontificem miſſis ad Concilium Theologis, factâque Patribus poteſtate dogmatum conſtituendorum, nihil aliud poſtulaſſe, quàm *ut variæ Scholaſticorum ſententiæ inviolatæ perſtarent;*

a *Palavicinus L.7. hiſt. c. 10.*

b *Idem L. 9. c. 10.*

*ne citra neceſſitatem ullius Scholæ in Eccleſiam ſtudium læderetur.* Quamobrem in decretis librandis maxima adhibebatur cautio, [a] ne qua diverſis *Theologicarum claſſium* opinionibus inureretur labes. Omiſſis ergo iis omnibus de quibus inter ſe diſſentiebant Theologi, [b] *hæc ratio in dicendis ſententiis Theologis fuit præſcripta, ut illæ è ſacris literis, ex Apoſtolicis traditionibus, ex Conciliis approbatis, ex conſtitutionibus, ex auctoritate ſummorum Pontificum, è ſanctis Patribus, ex communi Eccleſiæ conſenſu colligerentur.* Hi ſunt Fidei Catholicæ fontes, quos Eccleſia ſemper conſulit, cum Fidei decreta condit. Quicquid ex his non exprimitur, id nihil attinet ad Fidem Catholicam. Voluntatem verò generalem nullus Scripturæ locus conſtituit, ut ex tot conſentientibus Patrum, Theologorumque teſtimoniis jam omnino liquet : tra-

[a] *Idem L. 12. c. 1.*

[b] *Idem L. 12. c. 1.*

ditio nulla confirmavit, nullus Pontifex, Concilium nullum: contrà potiùs cum aliquot Epiſcopi in Conventu Cariſiaco ſtatuiſſent, ſtatim reclamatum eſt ab aliis, Synodus quoque Valentina quicquid egerant Cariſiaci reſcidit, & Capitula omnia proſcripſit. Nec voluntatem generalem alii fere è Patribus probavere, quàm, qui vel ante exortam hæreſim Pelagii ſcripſerunt, vel illam hæreſim, & quæ ex eâ deinde nata eſt, Semipelagianam vix noverunt, in myſterio prædeſtinationis & gratiæ parum accurati, quos propterea cum de his agitur, Eccleſia conſulere non ſolet. Rejecit Auguſtinus, cujus de prædeſtinatione & gratiâ doctrinam Eccleſia Romana ſequitur. Acceſſit poſtea Patrum Latinorum, clariſſimorumque Theologorum conſenſio. Cum res in eo ſtatu ſunt, vel Eccleſia juxta methodum Tridentinam nihil in

utramque partem definit, vel in eam ſemper inclinat, quam gravior communit auctoritas, hoc eſt, in eam proculdubiò quam Auguſtinus ſecutus eſt, ac deinde Patres Latini. Qui verò opinionem ab his, ut à ſubſequentium ætatum Theologis rejectam, nec ullo Synodi, Pontificiſve decreto conſtitutam privatâ auctoritate velut Fidei Catholicæ dogma venditare non dubitant: Theologos reſiſtentes tanquam hæreticos inſectantur: eorum famam malis artibus conantur evertere; vel deficientibus argumentis opponunt mendacia & calumnias, rati ſe demum mendaciis, turbulentiſque clamoribus extorturos eſſe, quod rationibus obtinere non potuerint: hi non modò Caritatem Chriſtianam violant, quæ ſine amore proximi non conſiſtit, quæque nec turbulenta eſt, nec mendax: verùm etiam ſapientium judicio

non mediocriter lædunt Fidem ipſam, cujus ſe vindices & Patronos perridiculè gloriantur. Fidei proprium eſt, id quod auctoritate divinâ conſtat fortiter tueri; cætera quæ divinâ auctoritate minimè conſtant, in rebus divinitus revelatis non habere. *Neque enim*, ut ſcribit Major, [a] *minùs eſt hæreſis aſſerere, aliquid eſſe de Fide, quod non eſt de Fide, quàm negare aliquid eſſe de Fide, quòd non eſt de Fide.* Vel potiùs, ut loquitur Remigius Lugdunenſis in libro de tenendâ veritate Scripturæ cap. 12. (cauſa eadem tum agebatur, quam nunc agimus; hoc eſt, voluntas generalis, quam Hincmarus decreto Cariſiaco conſtitutam trahebat in dogma; Remigius nihil ad Fidem attinere contendit) *qui non tranquillè & pacificè moderatur quod ſentit, ſed ſtatim paratus eſt ad*

a *In tertium ſent. diſt. 37. q. 28.*

*contentiones, diſſentiones & ſcandala, etiamſi non habeat hæreticum ſenſum, certiſſimè habet hæreticum animum.*

# LIBER II.

## *In quo Analyſis Arnaldina vindicatur ab omnibus Abbatis Germani calumniis.*

[a] RIGIDIOREM *Janſeniſmum* in Synopſi Arnaldinâ contineri præfatus Abbas propoſitiones ſeptem graviſſimè notat & configit, plures proculdubiò confixurus, ſi quas potuiſſet præterea notandas deprehendere; qui ne quidpiam prætermitteret, verba ipſa Auguſtini, hoc eſt, ejus quem Eccleſia velut ducem & magiſtrum veneratur, audaciâ ſingulari & temeritate punienda confixit. Nam propoſitio ſexta non modò propriam ſanctiſſimi Doctoris

a *Abbas in Epiſtola p. 134. edit. Colon.*

ſententiam exprimit, ut reliquæ; verùm etiam ex ſolis ejuſdem verbis contexitur: ut nos magis cum hoſtibus Auguſtini, ſeu potiùs Eccleſiæ Romanæ; quæ Auguſtinianam de gratiâ & libero arbitrio doctrinam ſequi ſe ſemper profeſſa eſt; quàm cùm inimicis Arnaldi pugnare, vel rudiores facilè intelligant. Anonymus verò quamquam in explicatione facti Janſeniani primâ, quæ erat propria ſedes, omnia verſat & movet, ut *rigidiorem Janſeniſmum* in prioribus Arnaldi libris expiſcetur, nullam è propoſitionibus Germanicis ſeptem citare auſus eſt. Unicam ab Abbate non ſine conſilio aliquo, quemadmodùm nos antè obſervavimus, prætermiſſam notavit: ut duorum Anti-Janſenianorum (ſic enim Anonymus, abjecto veteri & trito nomine, præter uſitatum loquendi morem & ſe appellat & ſuos) accuſationes inter ſe ſe

comparatæ ad infirmandum utriuſque de Analyſi judicium ſufficere videantur.

Nec tamen hoc defenſionis genere utar : ſingulas propoſitiones Stylo Germanico confixas ſpectabo partim ex doctrinâ Auguſtini , quam Eccleſia ſemper approbavit, partim ex Theologorum illuſtriorum ſententiâ, quam numquam damnavit. Quòd ſi ſingulas cum Auguſtini principiis conſentire, nullamque à clariſſimorum Theologorum doctrinâ diſſentire confecero : certa erit Analyſis Arnaldinæ fides & integritas. Sed antequã ſingulas particulatim Auguſtinianis, Theologiciſve ponderibus examino, placet pauca de gratiâ ſufficiente & efficaci dicere , in quâ tanquam in fundamento nititur tota fere criminationis Germanicæ moles.

# PARS PRIOR

## *De Gratiâ ſufficiente & efficaci.*

CUm in omnibus controverſiis, tum præſertim in Theologicis ſæpe accidit, ſive ignorantiâ hominum, ſive malitiâ, ſive præjudiciis, ſive odio, ſive cæteris animi motibus, ut res parvæ augeantur, & leves ingraveſcant: quamquam cum primùm depulſa eſt ignorantiæ & præjudiciorum caligo; cum turbulentorum hominum, quibus nihil præter æternam diſcordiam placet, minor apud potentiores cœpit eſſe & auctoritas & fides; cum denique odiis imminutis, extinctiſve tempora tranquilliora redierunt: vel par in verbis diſcrepantibus ſententia reperitur, vel omnibus diligenter excuſſis leviſſima ut plurimùm reſtat diſſenſio. Ut ſuperiorum ſæculorum

exempla, quæ & plurima ſunt & nota omnibus prætermittam, quid noſtro diutius jactatum eſt, quid majori contentione agitatum, quàm invecta à Moliniſtis de gratiâ ſufficiente quæſtio? Fuit illa recentium controverſiarum velut caput & radix, quæ tamen cum tranquilliore animo & ſepoſitis præjudiciis ſpectatur, vel nullam, vel perexiguam difficultatem habet. Jamque inter doctiores convenit totam hanc quæſtionem magis in vocabulo, quam in re poſitam videri: ac multò magis eos qui Janſeniani nominabantur, cum Thomiſtis, quorum ſine ullâ controverſiâ catholica eſt opinio, ſemper conveniſſe, quàm noſtros Antijanſenianos. Nam iſti ſolum vocis ſonum communem habebant & habent cum Sholâ Thomiſticâ; illi rem integram tenentes de ſolo nomine pugnaverunt. Anguſtioris verò eſt ingenii in quæſtio-

nibus de voce multùm inſiſtere: turbulenti & inſanientis; viros graves & doctos ob rejectam vocem, eam præſertim quam nulla Eccleſiæ conſtituit auctoritas, tanquam hæreticos inſectari.

Sed licet Docti & moderati longè aliter de totâ illâ quæſtione ſentiant, ac plerique olim ſenſere; exiſtunt nihilominùs interdum homines obſcuri & inquieti, quibus inanis de ſolâ voce quæſtio ampla & fœcunda eſt calumniarum ſeges; qui in perpetuis velut inſidiis collocati omnia adverſariorum verba excutiunt, uniuſque vocabuli ponderibus examinant: & qui ſi quid huic uni non ſatis quadrare deprehenderint, mox totis viribus conclamant hæreticum & Janſenianam hæreſim. Quàm hoc indignum ſit, quàm abſurdum & ineptum in voce præſertim & novâ, quam Scriptores graviſſimi ſuperiore ſæculo natam exiſtimant,

timant, Eccleſia nunquam uſurpavit ; & ambiguâ, cujus notio tam diverſa eſt ac diſſimilis, ut qui utuntur, in ſono duntaxat conveniant ; res perſeipſa loquitur. Quod cum mecum ipſe recogito, me in eam opinionem tametſi invitum abduci ſentio, eos qui tam indignè virorum doctiſſimorum nomina dilacerant, vel indoctiſſimos eſſe ; ſi neſcientes quæ qualiſve ſit eorum doctrina, quæ Thomiſtarum, illuſtriorumque Theologorum, & quodnam ſit utriuſque diſcrimen, turbæ imperitæ præjudiciis abripiuntur : vel omni Religionis Chriſtianæ ſenſu carere, ſi ſcientes, aliorum judicium ſequi malunt, quàm ſuum, ut odio, cupiditati, aliiſve motibus animi ſatisfaciant.

Tria hîc potiſſimùm attingam. Primum erit de gratiæ ſufficientis voce : Secundum de notione vocis : tertium de Auguſtiniano

grâtiæ primi hominis & noſtræ diſcrimine, quibus explicatis criminationes Germanicæ nullo negotio diſſolventur.

## Caput I.

### *De Gratiæ ſufficientis vocabulo.*

Gratia duplex diſtingui ſolet, exterior & interior. Prima eſt externum quiddam, neque animam per ſe afficiens; ut expoſita omnium oculis naturæ pulchritudo Creatoris potentiam prædicans, & bonitatem in univerſos homines: lex ſive naturalis, ſive ſcripta, quæ & quid credendum ſit docet, & quid agendum præſcribit. Quo etiam nomine facultates naturales intelliguntur, cum & bonis operibus conducant, & ex inſtitutione primariâ ad Deum cognoſcendum, amandumque referantur. Altera, quæ ut interior eſt, ita per ſe animum affi-

cit; vel eſt habitus, ſive caritas fixa, permanenſque & cæteris affectibus plenè dominans: vel tranſiens quædam Dei motio.

Primum gratiæ genus auctor L. 2. de Vocatione gentium cap. 15. *Quibuſdam ſufficere* ait *ad remedium, omnibus ad teſtimonium;* quoniam ut docet Apoſtolus, a *inviſibilia Dei à Creaturâ mundi per ea quæ facta ſunt, intellecta conſpiciuntur, ſempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Gratia ergo illa exterior omnibus ſufficit ad teſtimonium, quia ſupremum aliquod numen quod ab hominibus colendum ſit, exiſtere teſtatur: quibuſdam verò ad remedium, non per ſe ſola, niſi in certo, definitoque genere, id eſt, quatenus divinitatem patefacit & exhibet. Nec aliud Bonaventura & plerique Scholaſtici, quos antè citavimus, videntur intelligere, cum omnes Deum ſalvos eſſe velle aïunt voluntate

a *Rom.* 1. 20.

ſigni; voluntate autem ſigni id velle, quoniam unicuique dedit antecedentia ad ſalutem, ut liberum arbitrium, leges rectas, aliaque id generis plurima, quæ à Scoto auxilia ſufficientia ad ſalutem nominantur, *non ſimpliciter & abſolutè*, ut ſcribit Sylvius, [a] *ſed in ſuo genere.*

a *In* 1. *p. q.* 19. *a.* 6. *quæritur* 2.

Gratiam quoque habitualem S. Thomas auxilium ſufficiens appellavit. Eodem modo poſtea locutus eſt Alvares, Medina, Contenſo; ut alios quampluri-mos omittam.

Cum de gratiâ interiore actuali & variis ejus generibus tractant veteres Theologi, ſufficientis & efficacis nuſpiam meminerunt; quæ ſæculo ſuperiore primùm inducta eſt diviſio. Antiquiorem ejus originem non agnoſcit Cardinalis Brancatus de Laurea Scriptor Doctus & recens in opuſculo 3°. Romæ edito an. 1687. Cap. 18. gratiam effi-

cacem appellari ait, quæ per ſe ſe, ſive ex decreto Dei effectum principalem ſemper annexum habet; ſufficientem, quæ non habet; tametſi, ut alio in loco monuerat, ſemper aliquid agit, ſive animum illuſtrando, ſive initium bonæ voluntatis efficiendo. Cur verò ita appellata ſit, cum ſine aliâ non ſufficiat ad opus reipsâ faciendum: quam ob cauſam detur, & à quo primùm dicta ſit ſufficiens contra propriam & uſitatam rationis, explicari vix poſſe. *Id nomen*, inquit, *à centum circiter annis ei inditum.... contra etimologiam grammaticalem & ordinariam ſignificationem*. Idem affirmat cap. 22. Alibi [a] ſe neſcire confitetur, cur gratia illa, quæ effectum principalem non habet, appellata ſit ſufficiens, quia [b] *ſufficiens ſignificat idem ac, ſatis eſt ad faciendum. Ideoque ſæpe cum aliis viris doctis miratus ſum, cur Theologi moderni gratiam illam di-*

a Cap. 3.

b Cap. 4.

*vinam, quâ homo vocatur, excitatur, illuminatur, & inſpiratur ad bonum faciendum, & effectum non obtinet, vocare cæperunt ſufficientem ad diſtinctionem efficacis, quæ ſemper habet annexum effectum; cum ſatis non ſit ad eum ponendum, ſicut efficax, quæ in rigore dici deberet ſufficiens.*

Lemos Dominicanus, qui in celeberrimâ Congregatione de Auxiliis ſub initia hujus ſæculi præcipuas partes egit, ex iis omnibus, à quibus uſurpata eſt vox, Cajetano & Ferrarienſi antiquiorem citat neminem: horumque ac ſubſequentium auctoritate ſolâ ſe ad retinendam vocem retineri ait; quam & ſibi & pluribus S. Thomæ diſcipulis diſplicere non inficiatur. *Aliqui*, inquit, b *ex diſcipulis S. Thomæ in iſtâ materiâ ſatis periti arbitrantur minùs congruè auxilium illud, quod dividitur contra efficax, vocari ſufficiens; ſed appellandum vel au-*

a *Lib. 4. Parte 2. tract. 3. c. 2.*

*xilium generale in ordine gratiæ, vel communem vocationem, vel auxilium ſine quo non poteſt homo rectè operari ſalutis opera, & cum quo bene operari poteſt, ſi vult.* Rationem hanc potiſſimam ex eorum ſententiâ ſubjicit, quòd & Patres & antiqui Theologi gratiæ ſufficientis nomen eo ſenſu nunquam uſurpaverint. *Alii*, tamen *ex S. Thomæ diſcipulis, illique graviſſimi, putant auxilium tale abſolutè ac ſimpliciter dicendum eſſe ſufficiens. Cum prioris ſententiæ auctoribus facile convenirem, niſi à Scholaſticis pluribus contradiceretur, qui celebrem illam diviſionem auxilii in efficax & ſufficiens recipiunt, & venerantur. Nec facilè vox illa, ſufficiens, ſic jam communi uſu in partitione auxilii uſurpata rejici poteſt. Si enim non ita communiter reciperetur, mihi valde placeret vocibus illis relatis utendum eſſe propter rationes allatas.* Mox citat Cajetanum

& Ferrarienſem, qui ſuperiori ſæculo vocem adhibuerunt.

Inter cæteros, quibus ea vox nequaquam placuit, numerari meritò poſſunt Lovanienſes & Duacenſes in Cenſuris ſuis, quæ honorificè citatæ [a] ſunt in Congregatione de Auxiliis, & ab utraque Academiâ noſtro ſæculo ſæpius confirmatæ, an. 1613. 1648. 1649. 1679. & 1690. ut tabulæ utriuſque Academiæ teſtantur: quas demum ſedes Apoſtolica ſanas & catholicas judicavit, [b] cum ab æmulis delatæ ſunt ad ejus Tribunal. De Lovanienſi primùm, de Duacenſi cenſurâ deinde dicam.

a *Hiſtor. Congr. de Auxiliis l. 1. c. 7.*

b *Ibidem. cap. 8. 9. & ſeq.*

Edition. Pariſ. an. 1641.

Lovanienſes in cenſurâ an. 1587. adverſus Leſſium & Hamelium editâ, ad aſſertionem ſecundam: *quamvis*, inquiunt, *locutio de ſufficienti auxilio tolerari & excuſari aliquo ſenſu poſſit, quia videlicet nunquam Dei beneficia mundo defuerint, quibus ſi adulti*

*bene uſi fuiſſent, pervenire ad ſalutem potuiſſent, propriè tamen & exactè loquendo, quia (ut & ipſi fatentur) id ſolum ſufficit præter quod aliud neceſſarium non eſt; rectiùs, veriùſque dicitur non fuiſſe toti Adæ poſteritati ſufficientia ad ſalutem auxilia data, immò ne Judæis quidem ſub veteri adhuc teſtamento conſtitutis.* Eſt enim hæc popularis & uſitata notio, ut res tum ſufficere dicatur, cum cætera minimè neceſſaria ſunt: non dicatur verò, cum aliquid deeſt neceſſarium.

Nec aliter deinde loquuntur vel in *cenſurâ*, vel in *juſtificatione cenſuræ* editâ anno 1588. Sic, ut innumera propemodum loca omittam, cap. 13. [a] *dicimus non eſſe gratiam ſufficienter præparantem voluntatem, niſi quæ faciat ut velimus & conſentiamus. Quamdiu enim voluntas nondum ſic affecta eſt ut velit; ſed adhuc reſiſtit & contradicit, nondum ſufficienter*

[a] *In juſtif. Cenſ.* p. 236.

*à Domino eſt præparata.* Cap. 12.
a Ibidem. p. 226. a *addimus hoc qualecumque ſubſidium, quod aliquando ſubminiſtrari dicitur, in iis qui neque credunt, neque convertuntur ad Dominum, non fuiſſe ſufficiens ad fidem, aut converſionem. Quippe gratia ad converſionem ſufficiens ipſa convertit. Quæ verò non convertit, non ſufficit.* Similiter in cenſurâ b ad
b Cenſur. p. 14. aſſertionem 14. *cum certum ſit non præſtari à Deo ejuſmodi hominibus gratiam eam, quæ cor lapideum & cæcitatem auferat, manifeſtum eſt eos non habere ſufficiens auxilium ut convertantur, cum ſine jam dictâ gratiâ nullum eis auxilium ſufficiat, ſive illa exterior ſit etiam cum miraculis prædicatio, ſive interior per ſpiritum timoris concuſſio, aut velleitatis etiam cujuſdam inſpiratio.*

Duacenſes in Cenſurâ adverſus eoſdem an. 1588. editâ, cujus Eſtius vir celeberrimus & Academiæ poſtea Cancellarius (ut antè Lovanienſis Cenſuræ Gra-

vius; & ipſe quoque maximi nominis) auctor præcipuus fuit; non aliter loquuntur, ac Lovanienſes. Nam ad aſſertionem ſecundâm, eamdem voci notionem ſubjiciunt. a *Sufficiens autem Dei auxilium eſt præter quod ex parte Dei non eſt aliud neceſſarium.* Ad decimam quartam verò: b *Nam neque induratus converti poteſt niſi per gratiam auferentem & tribuentem cor carneum, quam utique, quandiu induratum eſt, non habet: neque excæcatus adſpicere poteſt lumen veritatis, niſi per gratiam tenebras ejus illuminantem, & velamen de corde ejus auferentem: quam ſimiliter quamdiù excæcatus eſt non habet. Neque infidelis quiſquam credere poteſt, niſi per gratiam, quâ cor ejus ex infidelitate ad fidem mutetur. Quam gratiam eum non habere, dum infidelis manet, perſpicuum eſt. Si ergo donum Dei non habet infidelis, quomodo dicendus eſt habere*

a P. 83. Edit. Pariſ. an. 1641.

b Ibidem. p. 124.

*ſufficiens auxilium, ad ſalutem ex parte Dei, cum abſque dono Fidei non poſſit eſſe fidelis?*

Sic Academiæ celeberrimæ de gratiæ ſufficientis nomine ſentiebant & loquebantur ſub finem ſuperioris ſæculi, quamquam pridem obtinuerat in Scholis Thomiſticis, ut Lemoſius ſupra teſtatus eſt. Scriptores quoque hujus ſæculi graviſſimos non profero, vel quibus eadem vox diſplicuit, vel qui ambiguitate nominis adverſarios temere abuti quæruntur. Hoc unum obſervabo, quod maximi apud ſapientes debet eſſe ponderis, vocem in Scholis ab uno & altero ferme ſæculo tritam nondum tranſiſſe ad uſus Eccleſiaſticos. Neque enim apud Patres, aut veteres Scholaſticos occurrit, neque extat in Concilio Tridentino, neque in ſuperioribus ullis, aut poſterioribus, neque in decretis ſummorum Pontificum ſo-

lemnibus, neque in Epiſcopalibus judicis, inſtitutionibuſve, ne in recentiſſimis quidem Archiepiſcopi, ſive Pariſienſis, ſive Remenſis; quamquam nec proprius locus defuit, nec occaſio. Sed ut erant doctiſſimi ambo & in Eccleſiæ doctrinâ verſatiſſimi, Fidem Catholicam verbis Eccleſiaſticis exprimere maluerunt, quàm Scholaſticis: cum præſertim gratiæ ſufficientis nomen non ignorarent & novum eſſe & ambiguum; aliterque à vulgo, aliter à Theologis uſurpari; iſtos quoque, ſic jam convenire de vocabulo, ut de notione vocabuli tota re diſſentiant. Quod paucis explico.

## CAPUT II.

*De notione vocabuli Thomiſticâ.*

AUxilium ſufficiens generatim dicitur, id quo poſſumus bonum aliquod agere: au-

xilium ad orandum ſufficiens, id quo poſſumus orare : auxilium ſufficiens ad fidem, ad amorem Dei, ad perſeverantiam, id quo poſſumus credere, Deum amare, vel perſeverare in bono. Atque eſt hæc notio generalis, in quâ facilè conveniunt omnes : ſed quam aliter Thomiſtæ, aliter ſcientiæ mediæ defenſores interpretantur.

Nam quod Thomiſtæ meræ ſufficiens appellant, id omnia quæ ad agendum neceſſaria ſunt minimè complectitur : hoc eſt, non includit decretum abſolutum Dei, vel præmotionem Phyſicam, quam omnes ad orandum, ad credendum, ad omnia pietatis opera; quam uno verbo, ut gratiâ ſufficienti bene utamur, omnino neceſſariam eſſe exiſtimant.

a *Diſput. variarum ad 1. p. & 1, 2. tom.*

*Auxilium Dei*, [a] inquit Franciſcus Cumel, *quod appellatur ſufficiens, non vocatur ſufficiens ex eo,*

*quaſi ipſum ſolum ſit ſatis ad actu habendam illam operationem, ad quam ultimò ordinatur; quaſi non ſit aliquid aliud neceſſarium, niſi quòd non apponatur impedimentum. Pro quâ re perpendendum eſt nos loqui in præſenti de auxilio ſufficienti Theologicè, ſicut Scholaſtici loqui ſolent, & non grammaticaliter.* Ita Theologicè appellari ait, *quia homo eo mediante redditur ſufficienter potens.* 3. Diſput. 4. ſect. 2. concl. 1. edit. Lugd. an. 1628. p. 64.

Alvares Dominicanus L. 8. de Auxiliis [b] ſcribit auxilium nonnonullis minimè videri ſufficiens, niſi ejuſmodi ſit, ut omnia quæ ad agendum neceſſaria ſunt complectatur. *Quidam exiſtimant, quòd ut auxilium gratiæ dicatur verè ſufficiens, quo poſſit credere, diligere, aut perſeverare neceſſarium eſt, quòd ſit ita ſufficiens, ut ex parte principii activi, ſive ex parte prævenientis auxilii, nullum aliud auxilium ſit neceſſariò prærequiſitum, ut actualiter credat;*

b *Diſput. 79. n. 1.*

*diligat, aut perſeveret.* Sed ut poſtea admonet: [c] *contrariam ſententiam docent omnes Doctores, qui ſentiunt præter auxilium prævenientis gratiæ, quod tribuit homini poſſe credere, poſſe diligere, aut poſſe perſeverare, neceſſarium eſſe aliud auxilium efficax prævenientis gratiæ, quo Deus efficit, ut homo actualiter credat, diligat, aut perſeveret.* Poſteriorem ſententiam pluribus deinde [d] argumentis concludit. Hæc eſt doctrina communis Thomiſtarum, ut plura ad id probandum teſtimonia prorſus inutilia videantur, cum res nota ſit & manifeſta omnibus.

c *Ibidem. n. 2.*

d *Ibidem. n. 4. & 5.*

Sic equidem ſentiebam, cum ad alia properans pauca hæc in chartam conjeci, magis ut ne rem omnino prætermiſiſſe viderer, quàm quòd in notis & obviis diutiùs inhærere neceſſarium exiſtimarem. Sed jam ſentio nihil tam apertum & manifeſtum eſſe,

quod ab Antijanſenianis impune negari; nihil tam falſum, quod omni pudore poſito affirmari non poſſit. Nam Anonymus & recens hiſtoriæ Janſenianæ Scriptor (cujus in prima defenſionis noſtræ parte mentio facta eſt) ignorantiâne, an certo, definitoque Lectoribus imponendi conſilio, definiant qui noverunt hominem; ut imperitis perſuadeat Arnaldum re abjectâ nudum & vacuum gratiæ ſufficientis admiſiſſe nomen, notionem ſufficientis auxilii Thomiſtis attribuit planè Moliniſticam. Ea eſt Antijanſenianorum plerorumque ratio & verè Circæa vis, ut, eventus humanos, opinioneſque hominum poſſint diſponere pro arbitrio & convertere cum lubet. Cum enim adverſus Thomiſtas diſputant, gratia ſufficiens Thomiſtica manifeſtam antilogiam includit, ſolo nomine ſufficit, re ipsâ non ſufficit, cum eâ nemo

bene utatur, niſi decretum abſolutum & prædeterminans anteceſſit, accedatquePhyſica quædam motio, ut Leſſius in diſputatione Apologeticâ paſſim & cæteri deinceps argumentantur. Quam opinionem plurimi cùm nihil humanæ libertati relinquere, tum perparum differre â Calvinianâ definiunt. Jam verò novus Antijanſenianus Thomiſtas è Calvinianis ſubito & inuſitato miraculo Molinianos facit, eorumque opinionem cum Moyniâ * confundit, ſive quod idem ferme eſt cum Moliniſticâ. Sic Thomiſtas facilitate incredibili vertunt in contrarias ſpecies; eoſque modò in Theatra Calviniana deportant, modò revehunt in Moliniſtica, cum id exigit ratio cauſæ & temporis : ut Thomiſtas non ob aliud, quàm ut Moliniſtarum nutui & arbitrio ſerviant, factos eſſe diceres.

* Alphonſi le Moyne Doctoris quondam Sorbonici, quem Arnaldus in Apologiâ pro SS. Patribus egregiè refutavit.

Sed Anonymum mira dicen-

tem audiamus. *Juxta Thomiſtas*, inquit auctor graviſſimus, [a] *cum quis gratiæ excitanti non reſiſtit, ſingulari Dei beneficio gratia efficax velle & perficere certiſſimè largiens ſemper conſequitur, quam propterea ſubſequentem appellant: ita ut gratia ſufficiens, qualis ab iiſdem ſtatui ſolet, perſeipſa poteſtatem conferat non equidem tentationis ſuperandæ, vel efficiendi operis, ſed obtinendæ gratiæ efficacis ad id neceſſariæ, & cum potentiâ proximâ, complectâque conjunctæ. Hæc eſt doctrina communis & perpetua Thomiſtarum, ex quâ intelligitur gratiam ſufficientem Thomiſticam reipſa ſufficere, in eaque poteſtatem boni operis, quod tamen minimè fit,* * *proximam, integram & abſolutam* * *contineri. Quantùm verò ad Arnaldum attinet, gratiam hanc ſpectat ipſe, utì jam notum eſt, velut Moliniſticam, otioſam quidem* aliquando, *ac ſterilem; talem nihilominùs, ut ei mo-*

[a] *Hiſt.* 5. *propoſit.* p. 556. & 557.

* Ita habet p. 558.

*dò aſſentiatur, modò reſiſtat voluntas.* Thomiſtas quos ſectæ principia, *& argumentum graviſſimum, quòd inde adverſus gratiam prædeterminantem conficiunt adverſarii*, ad opinionem contrariam impellere videbantur, in hanc propterea deſcendiſſe ait, quod gratia verè & propriè ſufficienti ſublatâ nec culpari poſſint qui mandata violant, nec juſtè puniri. Bonum eſt diutiùs vivere, quoniam nova diſcuntur in dies.

a *Ibid. p. 518 & 519.*

Antea dixerat [a] Arnaldum in juſtis peccantibus, ut in Petro, gratiam agnoſcere, quæ appellari poſſit Thomiſticè ſufficiens, nec de poteſtatis proximæ vocabulo eum vehementer laborare: quin & in ejuſdem præfatione in *diſſertationem Theologicam quadripartitam*, locutionem extare Thomiſticis finitimam: [b] *ſi illi gratiæ plenè conſenſerint (quod poſſunt ſi velint, quod ſi non faciant in cul-*

b *Arnald. præf. in diſſertationem Theologicam*

*pâ ſunt) gratiam efficacem non ſolùm habituri ſunt, ſed jam habebunt.* Nihilominùs aliter Arnaldum, aliter Thomiſtas ſentire contendit: quoniam docent iſti, non item Arnaldus, gratiam prævenientem, quâ excitatur imperfecta quædam boni voluntas, ſufficere ad executionem operis, non per ſe quidem & *proximè*, ſed *mediatè*; quia ſi aſſentimur, nec reſiſtimus, ſemper allicit & obtinet auxilium per ſe efficax: ita ad id impetrandum pleniſſimè, hoc eſt, ſine ullis novis auxiliis, vel decretis prædeterminantibus, per ſe ſolam ſufficere. Hanc eſſe doctrinam Thomiſtarum omnium, ab eâque Arnaldum penitus diſſentire iterum poſtea definit.

*quadripartitam.*

Arnaldus de gratiâ ſufficienti ſic ſtatuit in *diſſertatione Theologicâ*, cujus antè memini: [c] *nullum mihi cum Thomiſtis certamen eſt, nec de nomine, quia non reji-*

*c. Parte 3. artic. 10.*

*cio ; nec de ſenſu, quia ſenſum illius vocis Thomiſticum admitto. Admitto quippe in juſtis gratiam quæ det poſſe, ultra quod nulla virtus interna requiratur, ſed tantùm applicatio, motio, prædeterminatio, impulſio illius virtutis, quæ ſit per auxilium efficaciter prædeterminans ex omnium Thomiſtarum ſententiâ.* Articulo XI. & XII. gratiam cùm habitualem, tum etiam excitantem ea ratione ſufficientem dici poſſe concedit. In præfatione multa in eamdem ſententiam habet : locutionem quoque Thomiſticam uſurpat, quam antea repreſentavi. Ergo ſi qua eſt Arnaldum inter & Thomiſtas de ſufficientis auxilii notione diſſenſio, non alia profectò eſt, nec alia poteſt eſſe, quàm quòd iſtis gratiam ſufficientem Molinianam admittentibus, hoc eſt talem, ut ei ſine ullo antecedente decreto, vel motione Phyſica, modò aſſentiatur, modò reſiſtat

pro ſolo arbitrii nutu voluntas hominis; gratiamque efficacem, quæ eſt veluti ſuſpenſa & pendens, vel reſiſtendo repellat, vel promereatur aſſentiendo: id Arnaldus contrà reſpuens, tanquam dogma Moliniſticum, doceat ſufficientibus auxiliis ſine antecedente decreto, vel ſine motione Phyſica bene uti neminem. Hoc ſuperiora Anonymi verba ſignificant, totaque orationis ſeries. Hoc intelligere debuit, ut aliquod Arnaldum inter & Thomiſtas de notione ſufficientis auxilii notione diſcrimen deprehenderet: vel omni ſenſu vacua eſt illius in Arnaldum declamatio. Itane ſentiant Thomiſtæ, jam inquirendum eſt. Quod ſi in ea re fortaſſe longior fuero (quam utì notam, manifeſtamque penitus omittere conſtitueram, antequam in Anonymum inciderem) facilè ignoſcet, quiſquis conſideraverit, &

quanti id ſit ad quæſtionem ſuſceptam, reſque deinceps explicandas ponderis, & quales ſint adverſarii noſtri, quibus vel nova in gratiæ myſterio & morum regulis portenta, vel calumnias graves proferentibus conjectura quælibet tenuiſſima ſufficit, modò *probabilis* : cum refelluntur verò, ne rationes quidem graviſſimæ ſatisfaciunt, ut vix demum cedant, cum ſublatis omnibus effugiis argumentorum pondere obruuntur.

Thomiſtas ab Arnaldo diſſentientes citavit Anonymus Cumelem, Gonetum, Alvarem & Lemoſium, eoſque totius cauſæ Judices deſignavit ipſe & conſtituit: ergo juxta regulam jure & uſu firmatam, eorum judicio ſtare debet.

Atque inprimis locutionem objectam crebrò à Thomiſtis uſurpari confiteor. Plerique paſſim aſſeverant eos qui gratiâ ſufficiente acceptâ efficacẽ poſtmodum non accipiunt,

ccipiunt, propriâ culpâ non accipere: & ideo præſertim ſuâ ulpâ non accipere, quòd ſufficienti malè utantur; qui, ut etiam nonnullis affirmari video, ſi bene uterentur, acciperent. Cum ocutio communis Arnaldo ſit cum Thomiſtis, hoc unum examinandum eſt; an qui ita loquuntur, hominem auxiliis ſufficientibus inſtructum iiſdem bene aliquando uti ſentiant, ſine decreto Dei antecedente & abſoluto, vel motione phyſicâ. Quod ſi affirmant, Thomiſtas ad caſtra Moliniana tranſiiſſe confitebimur, eoſque gratiam prædeterminantem ſuis hoſtibus prodidiſſe. Sin id negant apertiſſimè, vel ſi ex eorum principiis conſequens eſt ut negaverint, Schola Thomiſtica totâ re diſſentit à Molinianâ, & cum Arnaldo penitus conſentit.

Jam igitur quem primo loco nominavit Franciſcum Cume-

lem, primum quoque inſpiciamus; & quem, tametſi ex ordine redemptionis captivorum, Ordo Dominicanus velut præclarum Scholæ Thomiſticæ lumen & decus ſemper ſpectavit.

*Licet*, inquit ille,[a] *gratia hæc efficax divini auxilii neceſſaria ſit, ut hommines reipsâ liberè convertantur, & antecedat uſum ejus, veluti principium quoddam talis converſionis; nihilominùs qui nondum in actu ſecundo habet gratiam iſtam, habet id per quod ei præſto eſt habere eam, & habere etiam efficax auxilium; nimirum quia in poteſtate ejus poſitum eſt bene uti prioribus auxiliis & divinâ vocatione, diviniſque excitationibus. Quod neceſſariò dicendum eſt, quia manifeſtè implicat, quòd aliquis poſſit liberè exercere id ad quod neque habet, neque liberè habere poteſt facultatem ad id requiſitam.* Hæc & alia id generis plurima, quæ apud Cume-

[a] *Diſput. variarum tom. 3. p. 72. edit. Lugd. an. 1628.*

m paſſim occurrunt, Anony-
ıus ſuis favere judicavit, me-
iocris vir & judici & literaturæ.
Sed ſibi objici poſtea Cumel: a *Ibid. p. 73.*
*vel pius ille uſus liberi arbitrii eſt*
*ſamet converſio; vel eſt aliquis*
*ius actus liberi arbitrii: ſed ne-*
*ıe eſt converſio ipſa, aut ullus a-*
*ıs actus voluntatis & intellectûs.*
on converſio ipſa, quæ oritur
gratia efficaci; nec alia quæ-
s humanæ libertatis actio; *quo-*
*am actus qui obtinet gratiam ef-*
*acem, etiam obtinet juſtificatio-*
*m, quæ neceſſariò eſt connexa*
*m efficaci gratiâ: ſed nullus alius*
*æter converſionem obtinet certò*
*ſtificationem.* Præterea neceſſe
t, ut tempore antecedat con-
rſionem ipſam: actus verò con-
rſionem tempore antecedens
atiam converſionis certò non
tinet, cum poſſit interim per
ccatum fieri inutilis.
Duas reſponſiones deinde pro-
nit & improbat. Sed ante-

quam ipſe proferat ſuas, principia quædam ponit. Primum, [a] *quòd homo per hoc quòd motus à Deo, excitatus & vocatus ſuâ gratiâ non illi reſiſtit, neque ponit obicem, neque repugnat ei: paratur via ad ſalutem hujus hominis; ac proinde hoc debet eſſe* DONUM DEI. *Et idcirco priùs fuit decretum à Deo hominem non repugnare, neque reſiſtere, aut impedimentum objicere gratiæ Dei, quàm quòd hoc fuerit præviſum.* Ecce primum Cumelis principium, in quo, ſi quid noſter Antijanſenianus ſapit, neſcio quid ſiniſtri jam olet.

a *Ibid. p.* 75.

Tertium eſt: [b] *auxilium omne divinum, quatenus eſt à Deo movente, habere vim infallibilem ad id ad quod verè datur & ordinatur à Deo abſolutâ voluntate: quia hæc intentio abſoluta Dei neque deficere, neque fruſtrari poteſt; ac proinde ſi ex abſolutâ Dei voluntate & intentione eſt, quòd homo, cujus cor movet & voluntatem, at-*

b *Ibid. p.* 76.

*ndat divinæ gratiæ & excitatio-i, aut quòd convertatur, id cer-ſſimè conſequetur. Quo fit ut in-rna vocatio, excitatio & illumi-atio, qua peccator invitatur ad œnitentiam & converſionem, ſi ſe revera non convertatur; tunc eſpectû illius illuminationis, pul-ationis & invitationis dicitur ho-no excitatus & pulſatus, & auxi-ium efficax gratiæ: ſolùmque dici-ur ſufficiens reſpectû converſionis. Cæterum reſpectû excitationis, il-uminationis & pulſationis dicitur abere efficaciam.* Et in hoc quo-que principio Cumelis occurrit atalis & inimica prædetermi-natio.

Denique ad rem propiùs ac-cedens reſpondet [a] pium auxilii ſufficientis uſum in eo conſiſtere, ut qui excitatur nullum ponens obicem, neque reſiſtens, neque ad aliena divertens ſeipſe & pec-cata ſua cum aliquo mœrore a luctu conſideret: non in conver-

[a] *Ibidem. P. 76. & 77.*

ſione ipsâ, quam efficit gratia per ſe efficax. *Ille* verò *actus tempore antecedens converſionem qui in pio & bono uſu conſiſtit, certò obtinet gratiam, ſi datur à Deo ex voluntate abſolutâ, & non tantùm antecedente. Quare tunc in eâdem vocatione & in eiſdem auxiliis reperitur aliquis* MODUS QUI PERTINET AD GRATIAM, *ratione cujus homo tunc habeat pium uſum*: ut propterea à Ruardo & Cajetano dicantur *vim quamdam intentionalem accipere*. Ideoque veriſſimum eſt [a] *uſum gratiæ ſemper eſſe ex gratiâ Dei.*

a *Ibid. p.* 255.

Quoniam verò ejuſmodi gratia ſuo modo per ſe eſt efficax, hinc obſervat Cumel [b] gratiam eamdem, quæ comparata cum uno effectu ſemper eſt efficax, ſufficientem tantummodò dici, ſi comparetur cum alio. Sic gratia converſionem efficiens non eſt efficax, ſi ad perſeverantiam referatur. Gratia ad converſio-

b *Ibid. p.* 77.

em excitans, eamque demum, i non reſiſtatur, obtinens non dicitur ut plurimùm efficax, quia ad converſionem, quam per ſe non efficit, referri ſolet.

Si jam Cumelis doctrinam ad pronunciatum Anonymi conferamus, patebit hominis vel incredibilis ignorantia, vel inſana calumniandi libido.

Cumelis gratia ſufficiens, quâ quis bene utitur, & bene utendo impetrat efficacem, plurimùm ab eâ differt quæ non impetrat, eſtque ad converſionem inutilis. Prima cum decreto abſoluto & per ſe efficaci conjungitur, non item altera. Prior aliquem modum peculiarem, eumque pertinentem ad gratiam Dei; ſeu vim quamdam habet *intentionalem* ad id quod Deus voluntate abſolutâ conſtituit, quâ penitus caret poſterior. Illâ denique ſemper bene utimur propter decretum annexum, ſive ob vo-

luntatem Dei abſolutam, quæ, ut docet Cumel, nunquam deficere, fruſtrative poſſit: iſta verò, quæ eamdem *vim intentionalem*, non habet, ſemper eſt ſterilis. Ex quo patet gratiâ ſufficiente, ſi ſejungatur decretum Dei abſolutum & antecedens, bene uti neminem. Totâ re ergo gratiâ Cumelis ſufficiens differt à Moliniſticâ; nec plus reipsâ ſufficit, quàm quæ ab Arnaldo admittitur. Videamus cæteros, qui multò etiam reſtrictiores ſunt, quàm Cumel.

Lemoſius, qui eodem tempore floruit ac Cumel, Deum a offerre ait in Auxilio ſufficiente efficax, idque accepturum eſſe qui ſufficienti non deeſſet. Hæc deſignavit Anonymus, ut imperitis perſuadere auxilium efficax ex voluntatis ar-bitrio pendere, & propriis cujuſque viribus comparari cum lubet. Cætera ſolitâ fide ſuppreſſit, ut Ar-

a *Lib. 4. tract. 3. parte 2. c. 6. n. 78.*

ldus à Thomiſtis faciliùs diſ-
ngeretur. Non aliud tamen
gnificat Lemos, quàm ſuâ quem-
ie culpâ auxilio efficaci obi-
em objicere, eoque propterea
ivari: *ita quod aliquâ ratione il-*
*d in ſuâ habeat poſitum poteſtate,*
*n quidem effectivâ illius auxi-*
*, vel diſpoſitivâ ad illud haben-*
*um per aliquem ſuum actum.* U-
*umque enim repugnat, ut S. Tho-*
*as apertè docet 3. contra gentes*
*159. dicens: quòd homo non po-*
*ſt actû ſuo mereri gratiam, nec*
*lam ſibi acquirere.* Qua ratione
egat eſſe *in poteſtate hominis ha-*
*ere efficax auxilium. Sed ad hunc*
*nſum illud dicitur aliquo modo in*
*ıâ poteſtate habere, quòd ſi ipſe*
*on impedimentum ei opponeret,*
*eus qui incæpit dando auxilium*
*fficiens, & in ipſo offerendo ef-*
*cax, niſi per hominem ſtaret, ul-*
*eriùs procederet & perficeret quod*
*ncæpit.* Quæ omnia ſignificant
cauſam, cur homo gratiâ careat,

in ipſo eſſe, ut ex L. 2. Auguſ-
" tini de peccatorum meritis &
" remiſſ. cap. 17. ſtatim conclu-
" dit : ut autem innoteſcat quod
" latebat, & ſuave fiat quod non
" delectabat, gratiæ Dei eſt, quæ
" hominum adjuvat voluntates,
quâ ut non adjuventur, in ipſis
itidem eſt cauſa, non in Deo.
*Ex quibus*, inquit Lemos, *planè convincimur, ipſos homines in cauſâ, eſſe ut non habeant auxilium efficax ut bene operentur, non autem Deum ipſum.* Ita ſi nullum gratiæ obicem objicerent homines ; ſi gratiâ ſufficienti bene uterentur, efficacem acciperent. An verò ad hoc ipſum neceſſaria ſit per ſe efficax, necne, alia eſt quæſtio: quam alio loco tractat Lemos.

In eodem tractatu cap. 4. quæritur : *quomodò ſit intelligendum, quod homo bene operaretur auxilio ſufficienti ſi vellet.*

Reſpondet Lemos id quadrifariam intelligi poſſe. *Primus*

*nſus eſt* Moliniſtarum, *quòd in ac propoſitione ſupponatur fieri oſſe, ut habens ſolum auxilium ſufciens bene illo utendo velit & bene peretur; ita quòd illa conditionas, ſi vult, aliquando ponatur in ſe. Et iſte ſenſus ſicut falſus eſt, t qui deſtruit neceſſitatem auxilii fficacis ad operandum, ita à mene S. Auguſtini eſt valde alienus.* am, niſi fallor, Anonymus inelligere poteſt, an gratia Lemoii ſufficiens ſimilis ſit Molinianæ, ſive talis, ut ei ſine novo auxilio modò aſſentiatur, modò reſiſtat voluntas. Sed cætera videamus.

*Secundus ſenſus*, qui in primum incidit; *eſt, ſi vellet non reſiſtere bene operaretur; ita tamen quòd illa conditionalis denotetur aliquando poni in eſſe, & fieri poſſe ut aliquando ei non reſiſtat, & bene operetur.* Ita Anonymus ſentit, & Thomiſtas ſentire, contra publicam notitiam inverecunde affirmat. *Et hic ſenſus*, inquit

Lemos, *ſicut & prior, falſus eſt; quia fieri non poteſt, ut quis non reſiſtat auxilio ſufficienti, niſi ampliùs ab efficaci adjuvetur, quod tollat illam reſiſtentiam, & faciat hominem non reſiſtere.* Sic rationes Antijanſenianæ conveniunt cum Thomiſticis. Antijanſenianus auctor in eo maximè Thomiſtas ab Arnaldo ſejungit, quod Thomiſtis gratiam ſufficientem admittentibus talem, ut qui eâ bene utuntur (quod pleniſſimè poſſunt cum lubet) efficacem ſemper obtineant: Arnaldus contra doceat ſine auxiliis per ſe efficacibus ſufficienti bene uti neminem. At Lemos, quem ipſe cauſæ judicem appellare auſus eſt, Arnaldo planè conſentiens accuſatorem damnat & reum abſolvit.

Tertius ſenſus eſt, ut is quem Deus ſufficientibus auxiliis inſtruxit, poſſet bene agere ſi vellet, non agat tamen, quia mi-

nimè vult. Qua ratione ab Auguſtino dictum eſt: poſſe hominem ſervare mandata ſi velit; ut tamen velit, præparari voluntatem à Domino.

*Quartus*, inquit, *& ultimus ſenſus eſt merè conditionalis, ſicut in propoſitione expreſsè habetur; ita quòd non denotetur quod ponatur in eſſe, ſed ſolùm importetur bona illatio. Poteſt enim conditionalis eſſe vera & neceſſaria, cujus antecedens & conſequens ſunt impoſſibilia. V. G. ſi homo volat habet alas. Sic in præſenti propoſitione bona illatio eſt: quòd ſi homo vellet bene operari, bene operaretur per auxilium ſufficiens. Sed ſicut fieri non poteſt, quòd per illud ſolum bene operetur, ita fieri nequit, ut velit illo bene operari.*

Quid ex his conficiatur adverſus ſingularem Anonymi de ſufficientis auxilii notione Thomiſticâ ſententiam, & quâ ratione intelligendum ſit id quod ex

Lemoſio objicitur, jam patet: quamquam quæ proximè ſequuntur novum addunt lumen.

*Et per hoc patet*, inquit, *quid ſit dicendum ad illam aliam propoſitionem, quâ paſſim diſcipuli S. Thomæ utuntur: quòd ſi quis bene utatur auxilio ſufficienti, illi Deus dabit efficax.* Hæc ipſa eſt quæſtio, quæ inter nos & Anonymum verſatur; ad quam quid Thomiſtas omnes reſpondere doceat, jam vidimus: quid verò ſuorum nomine reſpondeat Lemos, videamus.

*Si fiat ſenſus, fieri poſſe hominem bene uti auxilio ſufficienti, cui proinde Deus det efficax:* Anonymi ſenſum planum & apertum habebimus; ſed propoſitio *valde falſa erit, & damnatum continet ſenſum, quia jam efficax dabitur ex merito hominis bene utentis ex ſe ſufficienti. Et ſic gratiæ auxilium non erit, ſed homini tali debitum, quo nihil in hac materiâ dici poteſt ab-*

*rdius*. Non dubito, quin noſ-
er Antijanſenianus iſta legens,
ejuſmodi homines poſſunt eru-
eſcere & commoveri, erubeſcat
c commoveatur.
*Secundus ſenſus poterit procede-*
*e non ex actu poſitivo, ſed ex illâ*
*on reſiſtentiâ explicatâ; ita ut ſen-*
*us ſit, quòd bene utenti auxilio*
*ufficienti, id eſt, illi non reſiſten-*
*, ita tamen quòd detur, quòd ille*
*omo ex ſeipſo non reſiſtat, & prop-*
*rea illi Deus conferat auxilium*
*ficax, qui ſenſus in idem redit*
*um priore, ut nempe illi non reſiſ-*
*ntiæ habitæ ex ſolo homine Deus*
*et axilium efficax pro merito vi-*
*elicet bonæ hominis voluntatis.* In
ac & in ſuperiori propoſitione
amnatur palam & apertè Ano-
imi de notione Thomiſticâ
pinio.
*Tertius ſenſus eſt videlicet, ſi*
*omo bene utatur auxilio ſufficien-*
*i, dabitur efficax: id eſt, ideo ef-*
*icax non datur, quia ipſe non be-*

*ne utitur ſufficienti*. Sed quia nemo, ut docet Lemos, auxiilo ſufficienti ſolo bene utitur, aut ei non reſiſtit : idcirco numquam fit id quod in propoſitione exprimitùr: neque etiam ſenſus ille proprius eſt. *Fateor quòd illa propoſitio non ita propriè hunc ſenſum importare videtur.*

*Quartus ſenſus magis proprius in illâ propoſitione importat, ut ſit merè conditionalis, ita ut nihil ponat in eſſe circa poſſibilitatem, vel impoſſibilitatem antecedentis, ſed ſolùm dicat bonam eſſe illationem inter antecedens & conſequens; taliter quòd licet fieri non poſſit, ut bene utatur homo ex ſe auxilio ſufficienti, tamen hoc incompoſſibili admiſſo bene ſequatur, quòd ſi homo bene utatur auxilio ſufficienti, ei detur efficax; & forſan in hoc ſenſu illam admittunt S. Thomæ diſcipuli. Sed tum dicendum eſt ad omnem falſitatem & æquivocationem tollendam, ſi homo bene uta-*

*r ſufficienti auxilio, dabitur ei*
*ixilio efficax; conſequens eſt im-*
*ſſibile, ergo & antecedens. Im-*
*ſſibile eſt enim quòd ei detur au-*
*ilium efficax, quia jam illud eſ-*
*t debitum illi, & per conſequens*
*atia non eſſet; quod eſt impoſſi-*
*le. Unde etiam antecedens eſt im-*
*ſſibile, quòd nempe homo bene*
*atur ſe ſolo auxilio ſufficienti.*
enique ſic concludit: *igitur*
*la prædicta propoſitio; ſi homo*
*ne utatur auxilio ſufficienti, ei*
*bitur efficax; in duplici priori*
*nſu eſt falſa, in alio duplici poſ-*
*riori ut vera poteſt admitti modo*
*plicato; ſed abſolutè concedenda*
*n eſt, quia poteſt perniciſum*
*eſumgenerare.*

Ex his cognoſcitur Antijanſe-
ani fides. Lemoſius docet 1°.
ixilii ſufficientis bono uſu num-
iam obtineri per ſe efficax;
iia hoc jam eſſet debitum, non
atuitum: 2°. niſi accedat per
efficax, ſufficienti bene uti

neminem: 3°. eum qui efficaci caret, ſufficienti ſemper reſiſtere: 4° ex quo fit ut per pium ſufficientis uſum numquam obtineatur efficax: 5° hujus propoſitionis; *ſi quis ſufficienti bene uteretur, is acciperet efficax*; antecedens & conſequens eſſe *impoſſibilia*. Quæ omnia Antijanſenianum noſtrum confodiunt. Et hinc diſcat Lector, quale ſit Antijanſenianorum iſtorum ingenium, hoc eſt, fraudulentum & mendax.

Venio jam ad Alverum qui diſput. 80. n. 6. (nam locus iſte ſolus ab Anonymo deſignatur) nihil docet aliud, quàm auxilium ſufficiens cum actionibus quibuſdam imperfectis ſemper conjungi, ſuo modo ſufficere ad perfectiorem aliquam ad quam per ſe refertur: in culpâ nos eſſe qui Deo moventi reſiſtimus, reſiſtendo que efficimus, ut Deus non adjuvet, nec ultra

rogrediatur. Quâ in re nulla
ɪrnaldo eſt cum Alvare & cæte-
is Thomiſtis contentio. Sed vi-
leamus an is qui auxiliis ſuffi-
ɪientibus inſtructus eſt, is per
ſolum voluntatis arbitrium effi-
cacia jam conſequi poſſit, cum
lubet.

Quærit Alvares,[a] *an poſſit homo per bonum uſum auxilii ſufficientis conſequi propriâ induſtriâ auxilium efficax, benè utendo ex ſuâ innatâ libertate eodem auxilio ſufficienti, ac piè cum illo operando.* Anonymus in hac quæſtione nihil pendens ita ſentire Thomiſtas omnes graviſſimè & doctiſſimè pronunciabit, ideoque Chatholicos eſſe & haberi; Arnaldum verò, quòd aliter ſentiat, Janſenianum eſſe & hæreticum. Non ita Alvares, ut ex ejus reſponſione patebit.[b] *Hæc ſententia,* inquit, *non videtur dictis S. Auguſtini & S. Thomæ conformis, nec conſonat cum his quæ de efficacia*

a *Diſput. 58. n. 1.*

b *Ibidem n. 3.*

*motionis Divinæ dicta ſunt diſp. 18. 19. 22. & 23.* Mox negat *bonum uſum auxilii ſufficientis eſſe à ſolo auxilio ſufficienti, ſeu à libero arbitrio ſolo auxilio ſufficienti elevato.* Et poſtea: [a] *nulla lex eſt à Deo tuta, dandi infallibiter poſteriora auxilia gratiæ facientibus totum quod in ſe eſt cum prioribus auxiliis, & bene illis utentibus ex ſuâ innatâ libertate.* Aliter nonnullos ſentire ait, in eoque pugnare cum S. Thomæ doctrinâ; quos duobus potiſſimùm argumentis refellit. [b] 1º Quoniam cauſa accipiendæ gratiæ efficacis eſſet ex naturâ & libero arbitrio, non ex gratuitâ voluntate Dei. 2º Quia auxilium efficax, ſi ſufficienti bene utentibus certâ & perpetuâ lege datur, ſub meritum propriè cadit.

a *Ibid. n. 4. concl. 2.*

b *Ibid. n. 5. & 6.*

Multa ſibi objicit Alvares, quæ cùm ad ejus doctrinam illuſtrandam valent plurimùm, tum maximè ad patefaciendam

Antijanſeniani temeritatem & ignorantiam: 1° à Deo non deſeri, niſi qui prior Deum deſeruit. 2° Ex S. Thomâ eos ſolos gratiâ privari qui gratiæ ponunt obicem; nullum obicem ponere, qui gratiâ ſufficienti excitatus quicquid in ſe eſt facit. 3° Auxilium malè dici ſufficiens, ſi quantùm in nobis eſt eo bene utimur, nec tamen gratiam efficacem accipimus. Quin & neceſſario peribit, qui cum auxilio ſufficienti faciens quod in ſe eſt, nihilominùs perit. 4° Gratiæ excitanti priùs nos liberè aſſentiri, quàm tribuatur efficax; ut gratia efficax ex libero voluntatis cõſenſû tanquã ex conditione neceſſariâ pendere videatur.

Reſpondet ad 1um a iuſtum priùs naturâ peccare, quàm amittat gratiam, ita priùs deſerere quàm deſeratur: (gratiam vero juſtificantem intelligit, ut ex diſput. 113. n. 12 liquet) impium ſive ob

a *Ibidem. n.* 7.

culpam originis,ſive ob propriam Deum priùs deſeruiſſe; quàm gratiâ efficaci negatâ deſertus eſt. Præterea ſubſtractionem gratiæ efficacis ſpectari poſſe vel ut negationem beneficii minimè debiti; vel ut privationem, ſive ut pænam: ſi ſpectatur ut ſimplex negatio, priùs gratiam efficacem negari, quam homo peccare intelligatur: contra ſi ut pæna peccati, & ut privatio, priùs concipi peccaſſe hominem, quàm gratiâ efficaci propter peccatum privatus intelligatur: nec quidquam eſſe incommodi, ut res eadem variè comparata cum alterâ pro comparatione multiplici prior dicatur ſimul & poſterior.

a *Ibidem. n. 8.*

a Ad 2$^{um}$, novum quidem gratiæ obicem ab eo non objicii, qui facit quod in ſe eſt; at objectum eſſe antea cum peccavit.

Ad 3$^{um}$, ad converſionem ſufficere id per quod converti poſſumus; tametſi numquam con-

vertimur, niſi accedat auxilium per ſe efficax: nihil autem eſſe incommodi, ut is qui peccavit neceſſario perire dicatur, *quicquid faciat ex viribus naturæ, vel cum ſolo auxilio ſufficienti.* Quod confirmat Hieronimi ſententiâ ex l. 3 contra Pelagianos. *Ergo ſecundum Hyeronimum*, inquit, *fruſtra nititur homo ſuâ innatâ libertate, etiam ſi conetur cum ſolo auxilio ſufficienti, ad Chriſtum venire, niſi auxilio efficaci præoperantis gratiæ trahatur à patre.*

a *Ad 4um reſpondetur priùs eſſe in genere cauſæ efficientis, quòd Deus conferat homini auxilium efficax, & eum determinet ad conſentiendum gratiæ excitanti, quàm quòd homo ſe determinet per liberum arbitrium, & velit eidem gratiæ conſentire. Nec admittendum eſt gratiam efficacem pendere etiam tanquam à conditione ſine quâ non ex liberâ cooperatione arbitrii, ut diſp. 73. & 90. perſpicuum*

a *Ibidem, n. 9.*

*ſiet.* Mox ſubjicit *illam cauſalem eſſe falſam: quia homo excitatus à Deo vult conſentire, & cooperari Deo vocanti, ideo adjuvatur à Deo: hanc autem cauſalem eſſe veram: quia homo excitatus gratiâ ſufficiente adjuvatur à Deo auxilio efficaci, ideo cooperatur.* Qua de re latiſſimè diſputat diſp. 99.

[a] *Diſput.* 85. *n.* 6.

Alio in loco: [a] *nulla diſpoſitio remota ad gratiam haberi poteſt,* inquit, *ex ſolâ facultate naturæ, ſive ſit petere, ſive deſiderare ipſam gratiam, ſive quodlibet aliud: ſed ad illam neceſſariò requiritur ſpeciale auxilium præmoventis gratiæ.* Quid ſit auxilium ſpeciale præmoventis gratiæ apud Thomiſtas notum eſt, & Alvares ipſe indicat poſtea, ut n. 13. *Reſpondetur præter vocationem ſufficientem, quæ tribuit voluntati poſſe conſentire, requiri etiam, ut actualiter conſentiat, vocationem efficacem, quâ fiat conſentiens.* Nam ut mox docet: *non conſentire, ſed reſiſtere vocationi*

*vocationi eſt innatæ* libertatis. *Conſentire* verò *eſt quidem ab innatâ libertate voluntatis elevatæ tamen & motæ per auxilium efficax prævenientis gratiæ.*

Si qua eſſet lex certa, ut qui bene utitur gratiâ ſufficiente per ſolum liberum arbitrium, efficacem propterea acciperet : [a] *jam initium gratiæ efficacis eſſet ex naturâ & innatâ hominis libertate volentis bene uti auxilio ſufficienti.* Quod qui concedit, is non minùs errat Alvaris judicio, [b] quàm qui volunt certâ & perpetuâ lege dari *prima auxilia prævenientis gratiæ facientibus totum quod in ſe eſt ex ſolâ facultate naturæ.* Mitto alia id generis plurima, quæ paſſim occurrunt.

[a] *Diſput. 58. n. 5.*

[b] *Ibidem.*

De Alvareſii & Lemoſii ſententiâ paulò latiùs diſſerui, quòd utriuſque auctoritas maximi ſit apud Thomiſtas omnes ponderis. Quantùm verò Alvares ab Anonymi ſenſû diſſentiat, quàm

in omnibus conveniat cum Arnaldo de notione ſufficientis auxilii Thomiſticâ, nihil neceſſe eſt pluribus oſtendere. Res perſeipſa jam patet. Ne ille quidem concedit, quod videtur conceſſiſſe Cumel, gratiam efficacem ei ſemper dari qui ſolâ ſufficiente adjutus quicquid in ſe eſt facit. Quamquam ſi propriè loquimur, nulla vel levis eſt inter utrumque diſſenſio. Nam Cumel de auxilio ſufficienti loquitur ut modum gratiæ peculiarem habet & cum decreto de recto uſu, dandiſque auxiliis efficacibus conjunctum eſt. De eodem agit Alvares nudè & ſeparatim ſpectato.

Quod maximè ad quæſtionem noſtram attinet, negat Alvares gratiæ ſufficienti quemquam, ut par eſt, aſſentiri, niſi accedat per ſe efficax. Negat eum qui efficacem accipit propterea accipere, quòd ſufficienti per ſolas arbitrii vires aſſenſerit, cum ideo

potiùs aſſentiat ſufficienti, quia jam per ſe efficacem accepit. Negat ei ſemper efficacem dari, qui per liberum arbitrium quicqüid in ſe eſt, cum auxilio ſufficienti facit; quòd initium gratiæ efficacis eſſet à naturâ : idque qui affirmant non minùs errare videri ait, quàm qui facientibus quod in ſe eſt, ex ſolis naturæ viribus, gratiam ſemper dari pronunciant. Uno verbo quæ velut totidem Scholæ Thomiſticæ placita ab Anonymo proferuntur, eadem omnia, velut falſa, & principiis Thomiſticis contraria Thomiſtarum recentiorum dux & princeps Alvares explodit.

Sylvius Thomiſta percelebris hoc ipſum docet apertiſſimè. a *Quæres 2°, inquit, quomodò intelligi debeat, quòd homo dicitur poſſe bene uti gratiâ ſufficiente, ſeu ejus actibus & effectibus ſi velit; ex quo ſequitur, quòd ſi non bene illâ utatur, ſit ejus culpa.* Hæc eſt

a *In 1. 2. q. 111. a 3. quæritur 3. concl. 2.*

quæſtio noſtra, ad quam reſpondet Anonymus cum ſuis, conditionem, ſi velit, totam ex voluntatis arbitrio pendere, cum gratia ſufficiens animum ſemel excitavit; ideoque Arnaldum Janſenianum eſſe & hæreticum, quòd ſine gratiâ per ſe efficaci dicat ſufficientibus auxiliis vel bene uti, vel bene uti velle neminem. Sed novam illam hæreſim profitetur Sylvius cum Thomiſtis, Theologiſque omnibus, quos novarum opinionum aura non corrupit. *Reſpondeo*, inquit, *ita eſſe intelligendum, ut illud velle neque ſit expectandum, neque habendum ex ſolo libero arbitrio, ne quis in ſe glorietur, ſed in Domino: neque ex ſolâ gratiâ ſufficiente (ſi enim ſolùm eſt ſufficiens ad velle, non eſt reſpectû illius efficax, ac per conſequens non efficit illud, cum efficere ſeu operari velle ad gratiam efficacem pertineat) ſed ex gratiâ efficaci, quemdmodùm videri*

*poteſt ſupra q. 109. a. 4. ad 2. a. 10. quæſito 2. & quæſito 5.* Differre ab Arnaldinâ gratiam Sylvii ſufficientem; & re iſtam ſufficere, illam ſolo nomine, vel oſtendat Antijanſenianus noſter, vel in notioribus quibuſque ſuam ignorantiam confiteatur.

Gonetus tractatu 4. de voluntate Dei, diſp. 5. n. 133. (qui locus duntaxat ab Anonymo citatur) in culpâ eum eſſe docet, qui gratiâ per ſe efficaci carens nec agit, nec præceptis ſatisfacit; quoniam culpâ antecedente aliquâ, ſive gravi, ſive levi objecit gratiæ voluntarium obicem. At ſi ſcriptor negligens ea legiſſet quæ proximè ſequuntur, Gonetum profectò tacitum præterire maluiſſet, quàm novum adverſarium, immò & plures ſimul ſibi accerſere. Quod ut clariùs pateat, Anonymi & Goneti placita inter ſe comparare placet.

Ex Anonymo ratio ſola juxta

Thomiſtas omnes, cur homo ſufficientibus auxiliis inſtructus non accipiat per ſe efficax, tota eſt in homine, non in Deo. Contrà Gonetus & plures S. Thomæ diſcipuli negationem gratiæ efficacis neceſſariæ, ad primum peccatum mortale vitandum ex nullâ hominis culpâ, ſed ex ſolâ Dei voluntate repetendam eſſe arbitrantur. Nam Gonetus adverſus id quod conceſſerat n. 133. & ab Anonymo objectum eſt, multa ſibi mox opponit, è quibus primum eſt, locum id habere non poſſe in primo peccato Angeli & hominis, quod ex communi Thomiſtarum doctrinâ non potuit eſſe niſi letiferum. Reſpondet verò n. 138. *inprimis dico, quòd ſicut in ſententiâ Suaris & aliorum recentiorum denegatio primæ gratiæ congruæ nullam habet cauſam in homine, ſed reducitur in ſimplicem Dei voluntatem, & in judicia ejus inſcrutabilia: ita plures ex diſcipulis*

*D. Thomæ permiſſionem primi peccati ſive negationem gratiæ efficacis, neceſſariæ ad primum peccatū mortale vitandum, ex nullâ hominis culpâ, ſed ex ſolâ Dei voluntate repetunt: cui ſententiæ adhæret Eſtius in 1. ſent. d. 41. §. 18.* quod Deus, *inquit*, permittat hominem, vel Angelum cadere in peccatum, quo Deum deſerit, videlicet non præbendo auxilium efficax ne cadat, hoc non habet cauſam in ipſis. *Idem docet ex Patribus ſocietatis Claudius Typhanius in libro de ordine cap. 32.*

Aliam poſtea [a] reſponſionem ſubjicit Alvareſii & Joannis à S. Thomâ, *qui docent, quòd licet denegatio, gratiæ, ut eſt pura negatio & primus effectus reprobationis, nullam habeat cauſam ex parte hominis, ſed reduci debeat in ſimplicem Dei voluntatem, quæ, ut dicit Apoſtolus*, cujus vult miſeretur, & quem vult indurat ∴. *illa tamen ut habet rationem privationis*

[a] *Ibid. n. 140.*

*& prout ſe tenet ex parte hominis, numquam eſt ſine obſtaculo ex parte noſtrâ, licet illud non ſit ſemper peccatum præcedens, etiam originale... ſed ipſa culpa concomitans.*

Sed *ex his duabus ſolutionibus prima*, inquit, *videtur magis ſolida, & magis conformis SS. Patribus ſupra relatis, qui primam gratiæ efficacis denegationem reducunt in ſimplicem Dei voluntatem & in judicia ejus inſcrutabilia. Secunda magis ſubtilis & deſumpta ex principiis Philoſophorum.* Si poſterior opinio, ut ab Alvare explicatur, Anonymo nihil favet: prior, quam Gonetus ſequitur, eum penitùs configit.

Ex Antijanſeniano noſtro, cauſa juxta Thomiſtas omnes cur juſti gratiâ per ſe efficaci & neceſſariâ ad vitandum peccatum mortale careant, non alia eſt, quàm quòd ſufficienti malè utantur. Alioqui nec liberè peccarent, nec juſtè punirentur. At ex Go-

ıeto ut juſtus gratiâ efficaci jure
ɔrivetur, ſufficit vel peccatum
quodvis leve, vel etiam culpa
ɔriginis. [a] *Ex dictis*, inquit, *col-* [a] *Ibidem n. 145.*
*iges 1° quamlibet culpam ſive mor-*
*alem, ſive venialem, immò & ori-*
*inalem, & in ſententiâ* (quam
pſe ſequitur) *eorum qui cauſam*
*eprobationis negativæ ad peccatum*
*riginale referunt, ſufficere ut Deus*
*gratiam ſuam efficacem ad vitan-*
*dum peccatum etiam mortale juſto*
*nterdum pro judiciorum ſuorum*
*nſcrutabili profunditate deneget.*
*Quare cum nemo quantumvis juſ-*
*tus & ſanctus ſit immunis à peccato*
*riginali, immò nec actuali ſaltem*
*veniali, ut definit Trid. Seſſ. 6.*
*can. 23. nemo eſt qui non humili-*
*ter agnoſcere debeat pro merito pec-*
*catorum ſuorum ſe poſſe à Deo juſtè*
*derelinqui.*

Sed quid opus eſt pluribus?
Arnaldum Gonetus ipſe ab Ano-
nymi calumnia vindicat & abſol-
vit. Nam in eodem tractatu, diſp.

4. a. 3. n. 132. argumenta aliquæ ex *Innocentianæ conſtitutionis defenſione* Arnaldinâ proferens adverſus gratiæ ſufficientis nomen hæc de Arnaldo habet: *quamvis in aliis opuſculis poſtea ab ipſo editis auxilium ſufficiens, quale à noſtris docetur, admittere non recuſet: ut videri poteſt in Libro cui titulus eſt*, vindiciæ S. Thomæ *pag. 88. & in alio opuſculo de* verâ S. Thomæ de gratia ſufficiente & efficaci doctrinâ *art. 17.* Quis æquo jam ferat animo mendacia & calumnias Anonymi, aliorumque id generis hominum, qui cum adverſariis ſic pugnant, ut æquitatis naturalis legibus bellum indixiſſe; ſic ad decipiendos rudes oſtentant Antijanſenianum nomen, ut omnem ſimul pudorem abjeciſſe videantur? Gonetus Thomiſta, & recentiorum Thomiſtarum, ut ab hiſtoriæ de auxiliis auctore Dominicano nominatur, facilè princeps gratiam ſufficien-

em ab Arnaldo admitti ait, quaís à Thomiſtis admittitur: & caumniator indoctiſſimus, qui ſententiam Thomiſtarum funditus ignorat, ut probavi; quique, quantùm ex ejus ſcriptione intelligo, nec Theologos legit, nec aliquando Theologicis diſciplinis operam dedit, Arnaldum nihilominùs de totâ auxilii ſufficientis notione diſſentire à Thomiſtis graviſſimè pronunciat: audet citare Gonetum, à quo Arnaldus abſolutus eſt: locutiones quaſdam Arnaldo cum Thomiſtis communes profert, ut Arnaldus ab iſtis diſſentire credatur; cæteras Thomiſticas quæ Arnaldinæ ac Thomiſticæ ſententiæ convenientiam & conſenſum apertè probant, omnino diſſimulat. Quid hoc aliud eſt, quàm pudorem omnem exuiſſe, ut ſe Antijanſenianum eſſe probaret?

Addo Thomiſtam de ſufficientis auxilii notione ab Arnaldo

diſſentire non poſſe, niſi certiſſima & conſtantiſſima Scholæ Thomiſticæ principia penitus abjiciat. Hoc eſt, qui gratiam ſufficientem talem eſſe ait, ut ſine ullo decreto abſoluto & præmotione Phyſicâ, voluntas ei aliquando aſſentiat, aliquando repugnet, & aſſentiendo gratiam per ſe efficacem ſemper obtineat; is Thomiſtarum ſcita funditus evertit, nec Thomiſta eſſe poteſt.

Primum principium, quod Schola Thomiſtica ſemper vindicavit & aſſeruit, illud eſt, idemque certiſſimum apud Thomiſtas omnes: divinam rei cujuſque futuræ, ut actionum liberarum omnium ſcientiam in decretis antecedentibus & abſolutis omnino niti, & ideo certam eſſe, quia ſingulas ab æterno definivit, ſingula quoque peccata permittere conſtituit & gratiam negare, ſine quâ non vitantur. Cum

enim voluntas Dei ſit per ſe ſe efficax: ergo futurum eſt, quicquid facere, vel permittere decrevit; & eo modo futurum eſt, quo facere vel permittere conſtituit. Ergo certiſſima quoque eſt quæ tota ex his decretis pendet rerum futurarum cognitio: incerta contrà & errori obnoxia, ſi decreta abſoluta removeantur. Hæc conſtant apud Thomiſtas omnes. Jam verò ſi gratia ſufficiens ea eſt, quàm Anonymus Thomiſtis attribuit; hoc eſt, ſi pro ſolo arbitrii nutu, ſine ullo antecedente Dei decreto & motione Phyſicâ, ſterilis modò eſt, modò efficax: ſive ut planiùs dicam, ſi gratiam per ſe efficacem modò obtinet, modò non obtinet; principium Thomiſticum funditus ruit, nec Deus res fortuitò vel liberè futuras certò videt. Nullum enim extat de pio gratiæ ſufficientis uſu decretum abſolutum & prædeterminans, in

quo actiones futuræ videantur: aut ſi quod extat, idque ſentire Thomiſtas concedit Anonymus; ergo ridiculè declamat adverſus Arnaldum; ergo ridiculè eum à Thomiſtis de notione ſufficientis auxilii diſſentire docet. Nam ſive dicas cum Thomiſtis fere omnibus auxilium ſufficiens nihil prodeſſe, niſi accedat per ſe efficax: ſive cum Cumele, pio quidem ſufficientis uſu per ſe efficax ſemper obtineri, ſufficiente nihilominùs bene uti neminem, niſi conjungatur decretum abſolutum, per ſe efficax & prædeterminans, ſemper iſta in idem recidunt, & alterum horum Arnaldus diſtinctè aſſeruit. Ergo ineptè ſcribit Anonymus argumentum firmiſſimum ex illâ Thomiſtarum ſententiâ concludi ſolere adverſus gratiam prædeterminantem, quæ tota ex decreto abſoluto pendet. Ergo ineptiſſimè comminiſcitur talem il-

n eſſe gratiam Thomiſtarum, modò ei aſſentiatur, modò ſiſtat voluntas: cum certum ſit atiæ ſufficienti cum decreto ſoluto conjunctæ, qualis à Cu-ele admittitur, voluntatem mper aſſentiri, à decreto ſe-nctæ numquam aſſentiri.

Sed quid argumentatione opus t? Principium & conſequen-am integrum Thomiſtarum cor-us *in ſuis obſervationibus circa ſponſiones P. P. Societatis ad ul-mas quæſtiones ab illuſtriſſimo adutrio propoſitas* agnoſcit. [a] *on eſt*, inquiunt, *cognoſcibile iam à Deo, neque ſequitur in-llibiliter ex tali præſcientiâ, quòd ſola auxilia gratiæ ſufficientis entur homini, in quibuſcumque ircumſtantiis loci & temporis, in-allibiliter conſentiet; ſed ad hu-uſmodi præſcientiam infallibilem rærequiritur, quòd ad ſit in Deo lecretum dandi novum auxilium eale gratiæ efficacis.*

a *In appendice Congr. de auxiliis p. 102. n. 14.*

2° Illud quoque eſt Scholæ Thomiſticæ ſcitum, idemque uſurpatum ab omnibus, Deum eſſe *cauſam primam, primum liberum, primum movens & primum determinans.* Ex quo concludunt fieri non poſſe, ut voluntas creata priùs ſeipſa moveat, quàm à Deo præmoveatur: priùs ſe determinet, quàm à Deo determinetur: priùs denique velit aliquid, quàm Deus id eam velle conſtituerit. Si talis eſt gratia Thomiſtarum ſufficiens, qualem eſſe noſter Antijanſenianus docet; eſt igitur, cum ei aſſentimus, actio aliqua in nobis, quàm fecerit propria voluntas, non decretum Dei prædeterminans, nec divina præmotio. Nam gratiam pendentem &c, ut appellant, per ſe indifferentem, ſi cum decreto abſoluto & prædeterminante non conjungitur, voluntas ipſa applicat, determinat, non ab ea applicatur, determinaturque.

Hoc autem Schola Thomiſtica
cum ſupremâ Dei poteſtate in
voluntates humanas pugnare do-
cet.

3° Quid fiet de prædeſtinatio-
ne gratuitâ ? Thomiſtæ eos om-
nes & ſolos ad gloriam perve-
nire volunt, quos Deus ſingula-
ri beneficio, nullâ habitâ ratio-
ne meritorum deſignavit, & qui-
bus æternam beatitudinem, me-
rita quoque futura gratis præ-
paravit. Principium hoc penitus
abjiciant neceſſe eſt, ſi gratia
ſufficiens, quæ pluribus reprobis
datur, talis ſit ut ei aliquando
ſine ullâ prædeterminatione
Phyſicâ voluntas aſſentiatur, aſ-
ſentientemque lege perpetuâ ſe-
quatur gratia per ſe efficax. Tum
enim neceſſe erit Deum, ante-
quam homines eligat ad gloriam,
vel ab eâ penitus excludat (nam
de reprobatione negativâ, ut ap-
pellant, idem plerique ſentiunt
ac de prædeſtinatione) explo-

rare, an gratiæ ſufficienti voluntas aſſenſura ſit, necne. Ita decretum prædeſtinans ex præſenſione conſenſûs futuri pendebit. Nulla erit ergo, qualis ab eiſdem admittitur, prædeſtinatio gratuita. Moliniſtæ quidem gratiam pro tempore & loco congruentem ſolis electis dari concedentes negant ſe quidquam gratuitæ prædeſtinationi detrahere. At effugium hoc Thomiſtis minimè patet, qui & principium, hoc eſt, gratiam congruam rejiciunt, & principio dato negant prædeſtinationem gratuitam eſſe, quòd in gratiâ congruente Molinianâ conſenſûs futuri præſenſio contineatur. Ita Clemens VIII. & Lemoſius in Congregatione 27. ᵃ de auxilis, ac deinceps cæteri ratiocinantur.

*a l. 3. hiſt. Cong. de auxiliis c. 22.*

4° Principium quoque eſt Thomiſtarum vindicatum in Cong. de auxiliis, acerrimèque & antea & deinceps defenſum

omnibus: fieri non poſſe, ut
luobus qui æqualiter vocan-
:, alter conſentiat, alter diſſen-
t. Quod falſum omnino eſt,
qualis ab Anonymo ſtatuitur,
tuenda ſit Thomiſtica ſuffi-
entis auxilii notio. Nam, ut ei
ſum eſt, cum auxilium ſuffi-
ens par datur pluribus, fit in-
dum ut altero diſſentiente aſ-
ntiatur alter. Qui conſentit,
atiam efficacem impetrat lege
rpetuâ, & ſic bene agit: alter
c obtinet, nec agit. Quos
tur gratia ſufficiens æquales
cerat, ſola deinde voluntas fe-
: diſpares.
Hæc pauca ex pluribus anno-
vi, quæ ejuſmodi ſunt, ut
ceſſariò confitendum ſit, aut
homiſtas cæcos eſſe ac ſtupidos
ui quid ex ſuis principiis conſe-
uens ſit non pervideant: aut
uod magis crediderim, Ano-
mum imperitum & rudem ad
odùm eſſe, qui res obvias &

notas omnibus ignoravit; ſimulque negligentiſſimum, qui Thomiſtarum libros & principia non intelligens poterat adire Thomiſtam aliquem à quo edoceretur, nec fecit.

Sin quominùs Thomiſtas adverſarios ſuos adiret, vel metu, vel pudore, vel odio prohibebatur, cur non conſuluit ſuos? Cur ne Leſſium quidem, cujus, quantùm ex ſcriptione conjicio, ſequitur auctoritatem & ſententiam? Nam ſi conſuluiſſet auctorem communi ſuorum judicio pluſquàm gravem, intellexiſſet profectò, quàm in locutionibus Thomiſticis parum ſit ad cauſam præſidii. Nam [a] *quod de bono uſu auxilii ſufficitis, v. g. vocatione ad fidem dicitur, rurſus vel ſe, vel aliud placitum perimit. Si enim bene poſſum uti vocatione, abſque auxilio prædeterminante; jam facio bonum opus ſine Chriſto, jam meipſum diſcerno, jam non erit opus*

[a] *Leſſius in diſp. Apol. cap. 9. p. 308. edit. Antverp. an. 1626.*

*tione primæ cauſæ &c. quæ hîc e ingeminatur.* His enim ratio- bus paſſim utuntur Thomiſtæ. *verò non poſſum eâ uti, niſi præ- eniat me nova motio, quæ ad hunc ſum me prædeterminet, jam nullo- odò oſtenditur illud auxilium eſſe fficiens, ex eo quòd ſi illo bene tar, dabitur auxilium determi- ans; cum ipſum non ſit ſufficiens t eo bene utar abſque novo auxilio leterminante. Quorſum ergo dici- tur: ſi bene utaris auxilio ſufficienti, dabitur efficax, cùm ſine alio effi- caci, quod in poteſtate mea non eſt, illo bene uti non poſſim?*

Ex quo Thomiſtarum principio concludit converti non poſſe, niſi qui convertitur. Auxilium e- nim prædeterminans, ſine quo nemo convertitur, non eſt in po- teſtate noſtrâ; ſive proximè, *quia eſt quiddam præveniens uſum noſtræ libertatis:* ſive *mediatè*; 1° *quia hoc auxilium non eſt prepara- tum hominibus ex præviſione ope-*

Sed iſta reſponſio non magis
eſſio ſatisfacit, quàm reliquæ:
uia ſententiam Thomiſticam
on ignorabat. *Sed contrà primò*,
nquit, *ſi Deus ſtatuit illud dare*
*mnibus qui non ponunt impedi-*
*entum per peccatum; ergo non*
*rædefinivit illud in particulari ante*
*ævisionem operum, ex mæro ſuo*
*eneplacito*, UT ISTIUS SENTEN-
IÆ AUCTORES DOCENT: *ſed*
*riùs conſiderat an homo ſit poſitu-*
*us impedimentum, an non, &*
*uinam ſint illud facturi, qui mi-*
*imè.* 2° Si poſſit homo gratiæ
ullum peccando obicem obji-
ere: vel id poteſt per ſolas na-
uræ vires, quæ eſt Semipelagia-
orum opinio; vel per gratiam.
in poſtremum hoc admittitur;
*el poteſt gratiâ iſtâ uti ſine motio-*
*e prædeterminante*, *&* *ita* contra
ectæ principia *poterit aliquid boni*
*ne gratiâ Chriſti, ſine motione*
*rimæ cauſæ. Vel ad uſum iſtius gra-*
*iæ requiritur motio prædeterminans*;

*& ita fruſtra dicitur, quòd Deus paratus eſt dare homini hanc motionem, ſi ipſe impedimentum non poſuerit : cum ſine illâ motione facere non poſſit, quin impedimentum non ponat. Ex quibus perſpicuum evadit, quod ſecundo loco tanquam incommodum inferebamus, neminem habere in poteſtate ut auxilium obtineat efficax converſionis, niſi eum qui reipſa convertitur, vel convertetur : & omnem hanc auxilii efficacis diſtributionem pendere ex nudo Dei beneplacito ante omnem prævisionem cauſarum ſecundarum*. Eadem quoque apud Suarem in *brevi reſolutione contr. de auxil. effic.* reperias.

Ita Antijanſeniani noſtri ſolent diſputare adverſus Thomiſtas, quorum nec locutionibus falluntur, nec veros ſenſus diſſimulant : pugnâ verò converſâ in novos hoſtes, quos à Thomiſtis diſſentire per magni intereſt ; opinionem Thomiſticam longè aliter

er exhibent, ne agnoſci poſſit; ſcenicis perſimiles hiſtrionibus, qui mutatâ ſcenâ, perſoniſque novum ſubitò theatrum profe-runt, novas res, novas imagines, primiſque diſſimillimas. An ta-men Anonymus ſolâ ignorantiâ peccaverit, an malâ fide, conſ-tituere vix poſſum. Plura apud eum utriuſque exempla paſſim reperio. Sed in re tam notâ, ma-nifeſtâque plures fore arbitror, qui ſinceritatem hominis deſi-derent, quàm ſcientiam.

Thomiſtæ ſuam gratiæ ſuffi-cientis notionem accommodant habituali, *quæ*, [a] ut ait Conten-ſo, *vero ſenſu ſufficiens dici poteſt; per eam enim & virtutes infuſas ei annexas homo redditur potens ſu-pernaturaliter operari*: actuali po-tiſſimùm, [b] *qua Deus & intellec-tum illuſtrat, & voluntatem ciet ad converſionem, quam tamen non infert, niſi adſit gratia efficax. Hanc Auguſtinus gratiam parvam appel-*

a *L. 8. de gratiâ diſſert. 2. cap. 2.*

b *Ibidem.*

*lat, quia parva & imperfecta deſideria, ac imbecillem voluntatem parit. Et quamvis reſpectû hujuſmodi imperfectorum ſemivolentis hominis deſideriorum efficax meritò dici poſſit, tamen reſpectû principalis effectûs, converſionis nimirum perfectæ, ſufficiens ſolummodò eſt, quia etſi ad converſionem eliciendam vires det, ſubindeque per illam ſe convertere homo poſſit, non tamen converſionem ipſam efficit; unde ſe homo convertere potens ſe convertere non vult.*

[a] *L. 8. de Auxil. diſput. 76.*

Alvares [a] gratiam exteriorem negat ſimpliciter ſufficere: ſufficientem nihilominùs dici concedit *in ſuo genere videlicet in ratione prædicationis externæ*, cum *ex parte illius nihil ampliùs requiratur ad credendum, vel piè operandum, ac vitam æternam conſequendam.* Idem ſtatuit de gratiâ interiori mentem divinitus illuſtrante, quam, ſi ſola ſit, ſimpliciter ſufficientem nominari non patitur;

quòd voluntas aliâ motione divinâ indigeat, ut rectè agere poſſit & poſſe dicatur. Quamobrem illuſtrationes animi & pias voluntatis motiones ſimul conjungit. Ex cujus, uti & reliquorum Thomiſtarum doctrinâ, conſequens planè eſt gratiam ſufficientem ſemper aliquid agere, & bonum demonſtrando, & boni cogniti voluntatem imperfectam efficiendo. Sic ille diſp. 80. *Dicendum eſt*, inquit, *omne auxilium ſufficiens comparatione uniûs actûs, ſemper eſſe efficax reſpectû alterius, ad quem efficiendum decreto abſoluto divinæ voluntatis deſtinatur.* Ita & Sylvius. [a] *revera omnis gratia eſt efficax alicujûs, ejus nimirum ad quem proximè ordinatur, & quem Deus abſolutâ voluntate intendit... Quamvis non ſit efficax alterius effectûs, ejus ſcilicet ad quem ulteriùs, tum ex ſe, tum ex voluntate Dei antecedente ordinatur.* Quid

a *In 1. 2. q. 111. a. 3. quæritur 3. concl. 2. quæres 1.*

ſit voluntas antecedens apud Sylvium, Bannem, Eſtium, Cumelem & alios Thomiſtas quamplurimos, in primâ defenſionis noſtræ parte fuſiùs expoſui.

Eadem doctrina exprimitur in 2° ex diſcipulorum Auguſtini quinque articulis, quos Gonetus & Contenſo velut Thomiſticos, ſummus pontifex velut ſanos & Catholicos probavit, eoſque à quibus tanquam fallaces damnabantur, damnavit in decreto 19. Martii 1692. & in duobus aliis. Eademque eſt doctrina cæterorum; quos ut in re notiſſimâ non citabo.

Sic aliqui *ſufficientis* vocem explicant, ut ad poteſtatem ſolam, quam gratia ſufficiens tribuit, non ad actionem ipſam reſpicere videantur. Ita Sylvius, cujus ante memini: a *obſervatu dignum eſt magnam in illo vocabulo, ſufficiens, committi æquivocationem. Quidam enim per gratiam ſufficien-*

a *Ibidem. quæritur 3.*

*tem, eam intelligunt præter quam nihil aliud eſt ex parte Dei neceſſarium ad hoc ut homo credat* &c. *Alii eam, quæ etſi ſe ſola non ſufficiat ad actualiter credendum, diligendum &c, ſufficit tamen ut per eam homo reddatur potens credere, diligere & operari.* Poſtea a cum quæſiſſet, cur gratia ſufficiens dicatur, cum alia ad agendum neceſſaria planè ſit, nempe efficax; nec ſufficiens dici ſoleat, niſi id præter quod nihil aliud ſit neceſſarium reſpondet: ita rectè appellari: *quia in genere principii ſolùm dantis poſſe operari, non requiritur præter eam ullum aliud principium, quod tribuat poſſe operari.* Ex quibus conſequens videtur ſufficientem propriè non dici, cum ad actionem ipſam refertur: ad agendum enim requiritur aliud præterea auxilium, nempe efficax. Sed de notione gratiæ ſufficientis Thomiſticâ hactenus.

a *Ibidem. concl. 2. quæres 4.*

## Caput III.

### *De notione gratiæ ſufficientis Moliniana.*

APud ſcientiæ mediæ defenſores ut gratia ſit, dicaturque ſufficiens, omnia quæ ad agendum neceſſaria ſunt complecti debet. Leſſiana eſt & Hameliana notio, cujus meminerunt Lovanienſes in cenſurâ ad aſſertionem 2. *Quia, ut & ipſi fatentur* Leſſius & Hamelius, *id ſolum ſufficit præter quòd aliud neceſſarium non eſt:* & quam Leſſius totis viribus tuetur in diſputatione Apologeticâ cap. 9. a *Sufficiens dicitur quod continet omnia neceſſaria ad opus, ita ut per illud in poteſtate hominis ſit ſine alio auxilio opus facere. Nihil enim poteſt dici ſufficiens ad aliquam operationem & finem, niſi cui nihil deeſt quod ſit neceſſarium ad illam, ut patet ex terminis.* Ex quo con-

a *P. 307. edit. Antverp. an. 1626.*

cludit *manifeſtam eſſe Antilogiam, ſi dicas aliquod auxilium eſſe ſufficiens ad converſionem, & tamen in eo contineri auxilium prædeterminans, neceſſarium ad converſionem.* Sic nominat gratiam per ſe efficacem, ut à Thomiſtis admittitur. Quæ ſufficientis auxilii notio communis eſt Leſſio cum cæteris ſcientiæ mediæ defenſoribus, & ex eorum principiis neceſſario conſequens. Cum enim abſoluta, ſive antecedentia Dei de actionibus hominum liberis decreta omnia rejiciant; nec aliam gratiæ ſufficientis & efficacis diſtinctionẽ agnoſcant, quàm externam, quæ tota ex voluntatis nutu & arbitrio pendet; neceſſe eſt ut gratia ſufficiens, perinde ac efficax, omnia ad agendum neceſſaria complectatur. Hinc Leſſius [a] fatetur quidem ineſſe in gratiâ vim quamdam effectricem; quæ negari certè non poteſt, niſi ad agendum di-

[a] *Ibid. c. 10. n. 9. p. 316.*

catur prorſus inutilis: effectum verò, ſive efficientiam ſic aliquâ in re pendere ex Deo, qui gratiam ſine quâ non ageremus, dedit, ut ad voluntatem humanam maximè referenda eſſe videatur. *Verùm quia hæc efficientia non ita pendet à gratiâ & à Deo, quin etiam pendeat à libero arbitrio tanquam à causâ ſine quâ non poteſt habere influxum in opus bonum; ideo interdum & rectè dicit Molina, quòd gratia ſit efficax vel inefficax in actu ſecundo, pendere à libero arbitrio; adeo ut in poteſtate liberi arbitrii ſit gratiam, quæ ſecundum ſe eſt ſufficiens, reddere efficacem vel inefficacem in actu ſecundo. Quod non video quâ ratione negari poſſit.* Si voluntas gratiam pro nutu & arbitrio vel actuoſam facit, vel ſterilem, ergo otioſa & ſterilis, quæ dicitur merè ſufficiens, perinde ac actuoſa, quæ dicitur efficax, omnia quæ ad agendum neceſſaria ſunt in-

cludit. Hinc illa propoſitio Molinæ, quæ eſt viceſima prima inter cæteras quas Cenſores Romani notaverant: [a] *ex ſolâ arbitrii libertate provenit, quòd ex duobus æquali auxilio interiùs à Deo vocatis unus convertatur altero in peccato permanente.* Et viceſima ſeptima: [b] *Deus ſuâ gratiâ præveniente, quantumvis efficaci non ſic interiùs vocat, ut propriè efficiat hominem conſentire, ſed ab ipſo expectat conſenſum.*

a *In Append. hiſt. de Auxil. p.* 236.

b *Ibid. p.* 238.

Denique in concordiâ q. 24. a. 13. diſput. 40. *Quo fit ut diviſio ſufficientis auxilii in efficax & inefficax, noſtrâ ſententiâ, ab effectû qui ſimul ab arbitrii libertate pendet, ſumatur; illudque auxilium ſufficiens, ſive majus, ſive minus in ſe ſit, efficax dicatur, cum quo arbitrium cum ſuâ libertate convertitur; cum tamen nihil eo auxilio impedicnte potuerit non converti: illud verò inefficax dicatur, cum quo arbitrium pro eâdem ſuâ libertate non*

*convertitur, cum tamen potuerit converti.* Et hæc ipſa eſt opinio, quam Bellarminus L. 1°. de gratiâ & libero arbitrio Cap. 12. *alienam omnino à ſententiâ Scripturarum divinarum* pronunciavit.

Suares, quem citare, cæteros citaſſe eſt, cum Leſſio & Molinâ planè conſentit, ut cum iſto cæteri ejuſdem generis qui poſtea ſcripſerunt. In brevi reſolutione controverſiæ de auxilio efficaci: a *cum certum ſit*, inquit, *vocationem hanc non in omnibus qui vocantur habere effectum... nihilominùs vocationem illorum, qui non veniunt, ita cenſemus eſſe ſufficientem, ut verè & propriè in eorum poteſtate ac arbitrio ſit poſitum venire ſi velint.* Idque ſe pluribus confirmaſſe ait, dum ſententiam Thomiſticam refelleret: nec argumenta, quæ tum ab eo prolatà ſunt, quidpiam concludere, *niſi vocatio quæ in re non habet effectum, ex ſe ſit prædicto modo* VERE ET IN

a P. 248.

RE SUFFICIENS; (hîc lector obſervare poteſt, quo ex fonte manaverint voces illæ, VERE ET IN RE SUFFICIENS, quas Anonymus adverſus Arnaldum, & ut nos certiſſimis argumentis confecimus, adverſus Thomiſtas omnes diſputans tam crebrò uſurpavit; & quam ille Theologiam ſequatur) *nec ſufficientem appellari poſſe, nec ratione illius poſſe homini imputari, quòd vocatus non veniat. Atque hinc fit, vocationem hanc ſimpliciter ſufficientem, tam ex parte auxilii excitantis, quàm ex parte adjuvantis, debere aliquo modo includere, ſeu conferre, vel ſaltem offerre homini vocato, & in poteſtate ejus conſtituere quicquid ad volendum & conſentiendum neceſſarium eſt.* Rem uberius ſtatim explicat. *Ex parte gratiæ excitantis non ſufficit ſola vocatio exterior, ſed aliqua etiam interior illuminatio & inſpiratio neceſſaria eſt.... Atque hoc modo dicimus vocationem ſufficientem inclu-*

*dere omnem gratiam excitantem, interiorem, ſimpliciter neceſſariam ad volendum. Rurſus ex parte gratiæ adjuvantis ... ut vocatio ſit ſufficiens, neceſſe eſt ut includat omnem adjuvantem gratiam, quæ per modum principii neceſſaria eſt ad illum actum, ad quem homo vocatur.* Addit mox. Ut reipsâ voluntas aſſentiat, agatve, nihil requiri aliud præterea, quàm *actualem gratiæ concurſum*, qui ab eo nominatur *proportionatus;* quia ejuſdẽ eſt ordinis ac actio. *Quoniam verò non ponitur in homine, niſi quando jam vult, non poteſt hoc modo includi in vocatione ſufficiente, quam habet is qui non operatur: neceſſarium verò eſt ut hic concurſus cum ipsâ vocatione ſufficiente ita offeratur ex parte Dei, ut ſit in hominis poteſtate illum habere ſi voluerit;* ſi de fide agitur v. g. *Ut ſit in ejus poteſtate ac voluntate habere illum, ſi ſeipſum velit ad credendum applicare.* Quamobrem

iſte concurſus primam voluntatis inclinationem ſequitur, non præcedit. Eadem eſt doctrina Leſſii: ex quâ conſequens eſt, ut poſtea ſubjicit Suares, *auxilium efficax ut actu operetur conſenſum liberum in homine, ultra ſufficiens, excitans & adjuvans, & actualem ejus cooperationem cum voluntate, nihil neceſſariò requirere quoad rem ipſam, ſeu nihil aliud addere ex parte Dei præter auxilium gratiæ, quod in actuali concurſu proportionato conſiſtit.* Sic in Theſibus Claromontanis Pariſienſibus an. 1685. colum. 22. [a] *antecedenter ad præſcientiam nihil habet gratia efficax neque intrinſecè, neque abſolutè neque relativè, quod dicat ſupra gratiam mærè ſufficientem.* Eadem fere leguntur in aliis Cadomenſibus an. 1699. [b] 13. Maij; & in aliis [c] 15. Junij. In prioribus extat & illud: [d] *auxilium ſufficiens, quale prædeterminantes* Thomiſtæ *admittunt, verè ſuffi-*

a *In Append. hiſt. de Auxil. p.* 468. & 469.

b *Ibid. p.* 499.

c *Ibid. p.* 502.

d *Ibid. p.* 498.

*ciens non eſt. Videtur enim ex terminis illud non ſufficere ad actionem ponendam, ultra quòd neceſſariò requiritur aliquid aliud.*

Nihil frequentiùs occurrit apud ſententiæ mediæ defenſores, ſive congruiſtas, quàm gratiam non dici efficacem ab eventu, ſive à voluntatis actione & conſenſu. Idipſum tamen ſic explicant, ut in iſtam opinionem, quam Bellarminus L. 1. de gratiâ & libero arbitrio cap. 12. utî Scripturæ contrariam notavit, penitus incidere videantur. Leſſius in loco quem ante indicavi, gratiam efficacem dici ait, quòd vim quamdam intimam habeat; tametſi efficientiam ipſam à voluntate humanâ potiſſimùm repeti oportere contendit: quod eſt gratiam idcirco efficacem appellare, quòd ei voluntas aſſentiatur. Accedit prædeſtinationem gratuitam ab eo penitus rejici. Quâ ſemel rejectâ ut voluntas Dei in univer-

ſos homines par ſtatuitur, ita quoque tollitur diſcrimen gratiæ; nec alia in electis admittuntur auxilia, quàm in reprobis. Cæteri verò, à quibus prædeſtinatio gratuita non omnino reſpuitur, gratiam efficacem dici aiunt, quæ voluntati congruit & accommodatur; mærè ſufficientem, quæ minimè congruit: tum verò congruere, cum opportunus eſt circumſtantiarum ordo, ut loci & temporis; cum ingenium, affectus, mores, motus animi, propenſiones & cætera, quæ in actionibus humanis valent plurimùm, gratiæ vel nihil, vel parum repugnant: contrà non congruere, cum alia eſt circumſtantiarum ſeries.

Sed qui eorum ſententiam penitiùs inſpecturus eſt, is facilè intelliget de gratiâ ſic eos ſtatuere, ut ab eventu nihilominus, ſive ab actione voluntatis dicatur efficax. Neque enim efficacem pro-

pterea dici volunt, quòd actionem voluntatis ſemper conjunctam habeant gratiæ motio & circumſtantiarũ opportunitas (quod non minùs pugnat cum libertate, uti definiunt, quàm decretum abſolutum & antecedens) ſed quòd voluntas in certis circumſtantiis gratiæ conſenſura eſſe prævideatur. Idcirco in reſponſione ad tres Cardinalis Madrutii quæſtiones [a] tria diſtingunt in gratiâ efficace. *Primum eſt motio intrinſeca & realis ad movendum voluntatem: ſecundum eſt congruitas, quâ ea motio congruit & contemperatur voluntati: tertium eſt infallibilitas, quâ converſio conſequitur gratiam congruam.* In duobus ultimis gratiam efficacem à ſufficienti differre concedentes negant differre in primo. *Ad hanc autem infallibilitatem ex S. Auguſtini ſententiâ non ſatis eſt ipſa entitas motionis, cum non prædeterminet phyſicè voluntatem: immò*

[a] *In Append. hiſt. de Auxil. p. 96. & 97.*

*nec ſola congruitas ejus motionis cum voluntate: ſed præterea requiritur præſcientia Dei, quâ certò & infallibiliter præſcit ejuſmodi motionem aptari & congruere voluntati.* Clariſſimè Suares L. 3. de divinis auxiliis gratiæ cap. x. [a] Quo in loco quæritur, poſſitne dari *excitatio* gratiæ *ita efficax, ut ſit infallibilis connexio conſensûs liberi voluntatis cum excitatione divinâ.* Id negat Suares. Nam licet tanta poſſit eſſe gratia, tamque voluntati congruens, ut moraliter loquendo fieri vix poſſit, quin aſſentiamur, nihil tamen vetat nos reſiſtere. Ita *licet hæc moralis infallibilitas ſufficiat, ut homo ſimpliciter judicet talem effectum eſſe futurum poſitâ tali cauſâ non tamen ut Deus ita ſimpliciter judicet ex vi cauſæ; quia judicium Divinum ita eſt infallibile, ut implicet contradictionem eſſe falſum: illud autem objectum ex vi cauſæ non poteſt ad tantam infalli-*

[a] *P.* 124. & 125.

*bilitatem pervenire. Nam cum in voluntate maneat vera, realis ac Phyſica potentia ad reſiſtendum illi excitationi, non implicat contradictionem illum effectum impediri. Hoc igitur ſenſu dicimus illam determinationem non poſſe eſſe tantam, ut effectus prorſus ſit infallibilis.* Propterea cum voluntas ſemper aſſenſura eſſe dicitur, id *humano modo* intelligi debet, ſive *mortaliter* loquendo. Ex quo libet gratiam ideo efficacem eſſe, vel efficacem divinitus prævideri, quoniam aſſenſura eſt voluntas. Præſcientia quippe voluntatis aſſenſionem ratione & naturâ ſequitur, non antecedit. Neque enim, ut docent, actiones voluntatis noſtræ futuras Deus in ſuâ ſed potiùs in voluntate humanâ videt.

Sed quod aliqui verbis negantes res concedunt, hoc Molina congruiſtarum dux & auctor palam profeſſus eſt. Nam inter cæ-

teras ejus propoſitiones in Congregatione de Auxiliis notatas duæ feruntur : [a] quarum prima eſt, in poteſtate liberi arbitrii eſſe ut eamdem gratiam *efficacem* reddat, aut inefficacem ; altera, ideo fieri, *ut diviſio auxilii ſufficientis in efficax & inefficax, noſtrâ ſententiâ, ab effectu qui ſimul ab arbitrii libertate pendet, ſumatur.*

a *In Append. hiſt. de Auxil. p. 85.*

Hæc *ſufficientis* notio, quam apud omnes ſcientiæ mediæ defenſores conſtare diximus, adeo popularis & pervagata eſt, ut cum naturaliter loquimur, non aliam fere adhibeamus : idque Thomiſtis accidit, ut cæteris. *Quoniam verò*, inquit Sylvius, [b] *cum de gratiâ ſufficienti agimus, pronum eſt eam intelligere juxta priorem illum modum, quæ videlicet ſe ſolâ ſufficit ad hoc, ut quiſpiam benè velit & bene operetur: ideo nos quando hactenus negavimus dari gratiam ſufficientem quæ non ſit efficax, de ſufficiente jux-*

b *In 1. 2. q. 111. a. quæritur 3. concl. 1.*

*ta modum illum proceſſimus, ſicuti & proceſſit Bartholomæus Petrus Lintrenſis.*

Ut *ſufficiens* aliud ſignificat apud Thomiſtas, aliud apud defenſores ſcientiæ mediæ: ita quoque vox, *poſſe*, quâ utrique in gratiâ ſufficienti definiendâ utuntur. Nam *poſſe* Thomiſticum eſt nuda rei agendæ poteſtas, quæ omni actione caret, dum acceſſerit aliud ad actionem planè neceſſarium, ut ex ſuperioribus liquet. *Poſſe* Leſſianum, ſive Moliniſticum, ut vulgò nominatur, eſt pleniſſima rei agendæ poteſtas, cui nihil omnino deſit, quæque cæteris omnibus ſublatis & eadem manens aliquando agat, non agat pro ſolo voluntatis nutu. Hinc tametſi omnes libertatem definiunt agendi poteſtatem, quia tamen poteſtas iſta longè aliter intelligitur à Thomiſtis & aliter à defenſoribus ſcientiæ mediæ, nul-

la proprie eſt inter utroſque niſi de ſolo libertatis nomine conſenſio.

Sed quoniam popularis eſt *potentiæ* notio Leſſiana, ſæpe accidit in hac voce, quod in alterâ, *ſufficiens*, jam obſervavi, ut facillimum ſit verbis negare quod antè conceſſeris. Unde Sylvius: a *ex his intelligi poteſt ex admiſſione gratiæ ſufficientis non eſſe conſequens, quòd homo ſine auxilio efficaci* POSSIT *converti ad Deum, videlicet per gratiam ſufficientem. Quamvis enim per eam, etiam dum eſt ſine efficaci, conſtituatur* POTENS, *non tamen ita potens conſtituitur, ut poſſit reduci in actum ſine auxilio efficaci*. Quæ verborum pugna vitari poteſt difficillimè propter ambiguitatem nominis. Idcirco in primo ex quinque articulis, quos antè commemoravi & à Thomiſtis probatos eſſe admonui, defenditur utraque locutio. *De his ergo juſtis, quibus*

a *Suprà concl. 2.*

can. ſexto confixit : *Si quis ſine gratiâ Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus ... nobis miſericordiam dicit conferri divinitus ... & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium ... re-*
a 1. Cor. 4. 7. » *ſiſtit Apoſtolo dicenti* : [a] quid ha-
» bes quod non accepiſti?, & [b] gra-
b. Ibid. 15. 16, » tiâ Dei ſum id quod ſum. Cætera quæ ad axioma pertinent, in eâdem inſtitutione paſtorali doctè, ſolidéque pertractantur, ego ut ab inſtituto meo aliena prætermitto.

Thomiſtæ verò, ut liberaliores ſunt, aut reſtrictiores, ſuam gratiam ſufficientem vel cum omnibus largiſſimè; vel cum pluribus tantummodò, paucioribuſve parciùs communicant, ut exigit ſive neceſſitas libertatis ad peccandum tuendæ, ſive antiquorum gratiæ defenſorum auctoritas, quorum certam de gratiâ minimè communi ſententiam præſtan-

præſtantiſſimos quoſque è Scholâ Thomiſticâ ſequi video.

Nec aliis tamen ullâ in re nocet effuſior liberalitas, cum ſufficiens ſemper ſterilis ſit, niſi accedat altera, eaque per ſe efficax. Ita manet eadem œconomia gratiæ, quam Archiepiſcopus Pariſienſis primùm, deinde Remenſis duobus capitibus, hoc eſt, gratiâ per ſe efficaci & prædeſtinatione gratuitâ concluſit. Non ita eſt in hypotheſi Molinianâ quæ primum caput funditus evertit, alterum ſic extenuat, debilitatque, ut velut ex tenuiſſimo filo pendere videatur, quod abrumpunt Molinæ diſcipuli, quoties lubet.

Ut principia Thomiſtarum & Molinæ diverſa ſunt, ita quoque illud ab utriſque crebrò uſurpatum: *media ad ſalutem neceſſaria Deus paratus eſt dare omnibus*; vel, *ſingulis præparavit*: vim ac notionem apud eos longè diverſam habet. Nam apud Molinam

& ejus Sectatores illa mediorum præparatio talis eſt, ut vel media omnibus ac ſingulis exhibeantur, præbeanturque, vel ab unoquoque per ſolas naturæ vires pro arbitrio comparari poſſint. Poſtremum hoc à Thomiſtis uti Semipelagianum rejicitur: primum concedunt aliqui ſuo modo, hoc eſt de gratiâ ſufficiente Thomiſticâ; plerique negant, ne cum apertiſſimis SS. Patrum teſtimoniis pugnare videantur. Et quamquam omnes voluntate antecedenti Deum velle aiunt ut ſalutem omnium, ſic & media quæ ad ſalutem conſequendam Thomiſticè ſufficiant; voluntas tamen iſta ſterilis ſæpe eſt; ut pluribus placet, non modò iis qui cum Banneſio negant voluntatem antecedentem ineſſe propriè in Deo, verùm etiam aliis qui à Banneſio diſſentiunt. Hæc idcirco obſervavi, ut intelligatur quid ſit Thomiſtica mediorum

ad ſalutem conſequendam præparatio, & vitetur vocis ambiguitas, quâ Anonymus abuſus eſt & alii ſæpiùs abutuntur. Nam cùm iſtâ locutione nihil aliud Thomiſtæ, ſignificent quàm cauſam cur pereamus, gratiâve careamus, in nobis eſſe, non in Deo; Moliniſtæ vel gratiam omnibus exhibitam, vel poteſtatem comparandæ naturalem ſignificant.

Cæterum ex iis quæ diximus de *ſufficientis* & *potentiæ* notione duplici facilè intelligitur Molinæ ſectatores de totâ re diſſentire à Thomiſtis, tametſi in vocabulo conveniunt: cæteros Theologos; è quibus nemo vel pias cogitationes animo divinitus immiſſas, vel voluntatem boni imperfectam quæ ſæpe vincatur, negavit; de re ipſa Thomiſtis aſſentiri, de ſolâ voce aliquando diſſenſiſſe, quæ & nova eſt, & viris graviſſimis diſplicuit, & nul-

lam adhuc auctoritatem Eccleſiaſticam habet. Iſta tamen duarum vocum ambiguitas, quæ non eodem ſensû uſurpantur ab omnibus, novis noſtrorum temporum Sophiſtis uſitatam & uberem præbet calumniandi materiam.

## Caput IV.

*De gratiâ hominis innocentis & Angelorum juxta Auguſtinum.*

SEquitur tertia quæſtio de gratiâ primi hominis & Angelorum, quam Auguſtinus ſæpe in ſuis adverſus Pelagianos libris fere omnibus deſignatam & informatam uberrimè demum in L. de Correptione & Gratiâ explicuit.

I. Homo, ut Angelus, in caritate cõditus eſt.

I. In hypotheſi Auguſtinianâ primus Homo cum bonâ voluntate, ſive cum caritate conditus eſt. a *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa*

a *L. de correp. & gra-*

*quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* Bona voluntas & caritas apud Auguſtinum idem prorſus ſignificant. *Quaſi verò*, inquit, a *aliud ſit bona voluntas, quàm caritas.* Idem quoque de Angelis docet in L. de civitate. c. 9. *Et iſtam* bonam voluntatem *quis fecerat, niſi ille qui eos cum bonâ voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit, ſimul eis & condens naturam & largiens gratiam? unde ſine bonâ voluntate, hoc eſt, Dei amore nunquam Angelos ſanctos fuiſſe credendum eſt. Confitendum eſt igitur cum debitâ laude Creatoris non ad ſolos Sanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quòd* b *caritas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum S. qui datus eſt eis.*

*tiâ. n. 32.*

a *L. de gratiâ Chriſti c. 21.*

b *Rom. 5. 5.*

II. Deus homini & Angelo auxilium ad perſeverandum in bonâ voluntate, ſive in caritate, quam dum conderentur divinitùs acceperant, neceſſarium de-

II. Uterque ad perſeverandum in caritate gratiã acceptit.

a *L. de correp. & gratiâ. n. 32.*

dit. [a] *Dederat adjutorium ſine quo in eâ non poſſet permanere ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet: quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt; cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti.* Et mox. *Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel Homini, cum primùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine Divino adjutorio poſſet manere ſi vellet; non utique ſuâ culpâ cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*

III. Adjutoriũ duplex: primum *ſine quo*; ſecundum, *quo*.

III. Auxiliorum duo genera diſtinguit Auguſtinus, alterum proprium naturæ innocentis & integræ, alterum lapſæ & reparatæ. Primum appellat *adjutorium ſine quo*: alterum, *adjutorium quo*.

Primum eſt id ſine quo non poſſumus, & cum quo poſſumus. Utramque definitionis partem ſuperiora teſtimonia confirmant; ſic & illud: [a] *primo itaque homini qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.*

a *Ibidem. n. 34.*

Alterum eſt id [b] *non ſolùm ſine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur:* ut eſt *beatitudo*, quam qui accipit *continuò fit beatus*. Primum trito jam & communi vocabulo ſolemus appellare ſufficiens; alterũ verò efficax.

b *Ibidem.*

IV. Id unum quæritur, an auxilium *ſine quo* Auguſtinianum Moliniſticè & populariter ſufficiens ſit, an Thomiſticè: uno verbo omnia-ne ad agendum neceſſaria complectatur, necne. Si gratia Adami & Angelorum pro

IV. Quo ſenſu adjutoriũ *ſine quo* dicatur ſufficiens.

*bilitatem pervenire. Nam cum in voluntate maneat vera, realis ac Phyſica potentia ad reſiſtendum illi excitationi, non implicat contradictionem illum effectum impediri. Hoc igitur ſenſu dicimus illam determinationem non poſſe eſſe tantam, ut effectus prorſus ſit infallibilis.* Propterea cum voluntas ſemper aſſenſura eſſe dicitur, id *humano modo* intelligi debet, ſive *mortaliter* loquendo. Ex quo libet gratiam ideo efficacem eſſe, vel efficacem divinitus prævideri, quoniam aſſenſura eſt voluntas. Præſcientia quippe voluntatis aſſenſionem ratione & naturâ ſequitur, non antecedit. Neque enim, ut docent, actiones voluntatis noſtræ futuras Deus in ſuâ ſed potiùs in voluntate humanâ videt.

Sed quod aliqui verbis negantes res concedunt, hoc Molina congruiſtarum dux & auctor palam profeſſus eſt. Nam inter cæ-

ras ejus propoſitiones in Con-
:egatione de Auxiliis notatas
uæ feruntur : [a] quarum prima
t, in poteſtate liberi arbitrii eſſe
t eamdem gratiam *efficacem* red-
at, aut inefficacem ; altera, ideo
eri, *ut diviſio auxilii ſufficientis
efficax & inefficax, noſtrâ ſen-
ntiâ, ab effectu qui ſimul ab ar-
trii libertate pendet, ſumatur.*
Hæc *ſufficientis* notio, quam
oud omnes ſcientiæ mediæ de-
nſores conſtare diximus, adeo
opularis & pervagata eſt, ut
m naturaliter loquimur, non
iam fere adhibeamus : idque
homiſtis accidit, ut cæteris.
*Quoniam verò*, inquit Sylvius,
*cum de gratiâ ſufficienti agimus*, [b]
*onum eſt eam intelligere juxta
iorem illum modum, quæ vide-
et ſe ſolâ ſufficit ad hoc, ut quiſ-
am bene velit & bene operetur:
leo nos quando hactenus negavi-
us dari gratiam ſufficientem quæ
n ſit efficax, de ſufficiente jux-*

a *In Ap-pend. hiſt. de Auxil. p. 85.*

b *In 1. 2. q. 111. a. quæritur 3. concl. 1.*

*ta modum illum proceſſimus, ſicuti & proceſſit Bartholomæus Petrus Lintrenſis.*

Ut *ſufficiens* aliud ſignificat apud Thomiſtas, aliud apud defenſores ſcientiæ mediæ: ita quoque vox, *poſſe*, quâ utrique in gratiâ ſufficienti definiendâ utuntur. Nam *poſſe* Thomiſticum eſt nuda rei agendæ poteſtas, quæ omni actione caret, dum acceſſerit aliud ad actionem planè neceſſarium, ut ex ſuperioribus liquet. *Poſſe* Leſſianum, ſive Moliniſticum, ut vulgò nominatur, eſt pleniſſima rei agendæ poteſtas, cui nihil omnino deſit, quæque cæteris omnibus ſublatis & eadem manens aliquando agat, non agat pro ſolo voluntatis nutu. Hinc tametſi omnes libertatem definiunt agendi poteſtatem, quia tamen poteſtas iſta longè aliter intelligitur à Thomiſtis & aliter à defenſoribus ſcientiæ mediæ, nul-

proprie eſt inter utroſque niſi ſolo libertatis nomine conſio.

ed quoniam popularis eſt *poiæ* notio Leſſiana, ſæpe acci- in hac voce, quod in alterâ, *ſiciens*, jam obſervavi, ut fa- imum ſit verbis negare quod è conceſſeris. Unde Sylvius: *his intelligi poteſt ex admiſſio- gratiæ ſufficientis non eſſe con- ens, quòd homo ſine auxilio ef- ci* POSSIT *converti ad Deum, elicet per gratiam ſufficientem. amvis enim per eam, etiam eſt ſine efficaci, conſtituatur* TENS, *non tamen ita potens conſ- itur, ut poſſit reduci in actum auxilio efficaci*. Quæ verborum gna vitari poteſt difficillimè pter ambiguitatem nominis. circo in primo ex quinque ar- ulis, quos antè commemora- & à Thomiſtis probatos eſſe monui, defenditur utraque utio. *De his ergo juſtis, quibus*

a *Suprà concl. 2.*

*illa magna non adeſt gratia, licet parva & imperfecta non deſit, verè utrumque dici poteſt & potuiſſe illos Dei mandata ſervare, tentationique reſiſtere, eoſdemque alio ſenſu non potuiſſe. Potuerunt enim prorſus, quia non ſolùm liberi arbitrii virtutem, & gratiam habitualem habuerunt, ſed etiam gratiam actualem, quæ ſufficiens dici poteſt Thomiſtarum ſensû, qui gratiæ per ſe efficacis neceſſitatem ſupponit. At etiam hoc ſensû dici poteſt, juſtos illos ejuſmodi ſufficienti gratiâ inſtructos tentationi cui ſuccubuerunt, reſiſtere non potuiſſe: quia nimirum ejuſmodi poteſtatem non habuerunt, quæ complecteretur omnia ad agendum neceſſaria;* nempe *gratiam efficacem.*

Molinæ ſectatores gratiam ſufficientem ſuam vel tribuunt promiſcuè omnibus, vel ab unoquoque per ſolas naturæ vires comparari poſſe definiunt. Poſtremum hoc Molina docuit apertiſſimè

iñ concordiâ q. 14. a. 13. diſp. 10. Leſſius in diſput. Apologeticâ cap. x. ac plurimi deinceps, nuperque auctor Theſis Romanæ a n. 15. *axioma*, inquit, *illud Theologicum : facienti quod in ſe eſt Deus non denegat gratiam : non ſolùm veriſſimum eſt, atque doctrinæ Scripturæ, Conciliorum & Patrum maximè conſentaneum ; verùm etiam per illud ſignificatur* OBLIGATIO, *quam Deus habet dandi gratiam facienti quod eſt in ſe ; nec ſolum facienti quod eſt ex ſe viribus gratiæ ; ſed etiam illi, qui cum non habeat gratiam, facit quod eſt in ſe* VIRIBUS NATURÆ. Si quis cognoſcere vult, ex quorum fontibus depromptum ſit axioma, is legat inſtitutionem paſtoralem clariſſimi Remorum Archiepiſcopi (quam auctor Hiſt. Cong. de Auxiliis è Gallicâ Latinam fecit) primoſque præclari parentes axiomatis eos eſſe confitebitur, quos Synodus Arauſicana

a *Quæ an. 1599. propugnata eſt in Colleg. Ludoviſiano.*

can. ſexto confixit : *Si quis ſine gratiâ Dei credentibus, volentibus, deſiderantibus, conantibus, laborantibus... nobis miſericordiam dicit conferri divinitus ... & aut humilitati, aut obedientiæ humanæ ſubjungit gratiæ adjutorium ... reſiſtit Apoſtolo dicenti* : [a] quid habes quod non accepiſti? & [b] gratiâ Dei ſum id quod ſum. Cætera quæ ad axioma pertinent, in eâdem inſtitutione paſtorali doctè, ſolidéque pertractantur, ego ut ab inſtituto meo aliena prætermitto.

a 1. Cor. 4. 7.
b Ibid. 15. 16.

Thomiſtæ verò, ut liberaliores ſunt, aut reſtrictiores, ſuam gratiam ſufficientem vel cum omnibus largiſſimè; vel cum pluribus tantummodò, paucioribuſve parciùs communicant, ut exigit ſive neceſſitas libertatis ad peccandum tuendæ, ſive antiquorum gratiæ defenſorum auctoritas, quorum certam de gratiâ minimè communi ſententiam præſtan-

præſtantiſſimos quoſque è Scholâ Thomiſticâ ſequi video.

Nec aliis tamen ullâ in re nocet effuſior liberalitas, cum ſufficiens ſemper ſterilis ſit, niſi accedat altera, eaque per ſe efficax. Ita manet eadem œconomia gratiæ, quam Archiepiſcopus Pariſienſis primùm, deinde Remenſis duobus capitibus, hoc eſt, gratiâ per ſe efficaci & prædeſtinatione gratuitâ concluſit. Non ita eſt in hypotheſi Molinianâ quæ primum caput funditus evertit, alterum ſic extenuat, debilitatque, ut velut ex tenuiſſimo filo pendere videatur, quod abrumpunt Molinæ diſcipuli, quoties lubet.

Ut principia Thomiſtarum & Molinæ diverſa ſunt, ita quoque illud ab utriſque crebrò uſurpatum: *media ad ſalutem neceſſaria Deus paratus eſt dare omnibus;* vel, *ſingulis præparavit:* vim ac notionem apud eos longè diverſam habet. Nam apud Molinam

& ejus Sectatores illa mediorum præparatio talis eſt, ut vel media omnibus ac ſingulis exhibeantur, præbeanturque, vel ab unoquoque per ſolas naturæ vires pro arbitrio comparari poſſint. Poſtremum hoc à Thomiſtis uti Semipelagianum rejicitur : primum concedunt aliqui ſuo modo, hoc eſt de gratiâ ſufficiente Thomiſticâ; plerique negant, ne cum apertiſſimis SS. Patrum teſtimoniis pugnare videantur. Et quamquam omnes voluntate antecedenti Deum velle aiunt ut ſalutem omnium, ſic & media quæ ad ſalutem conſequendam Thomiſticè ſufficiant; voluntas tamen iſta ſterilis ſæpe eſt; ut pluribus placet, non modò iis qui cum Banneſio negant voluntatem antecedentem ineſſe propriè in Deo, verùm etiam aliis qui à Banneſio diſſentiunt. Hæc idcirco obſervavi, ut intelligatur quid ſit Thomiſtica mediorum

ad ſalutem conſequendam præparatio, & vitetur vocis ambiguitas, quâ Anonymus abuſus eſt & alii ſæpiùs abutuntur. Nam cùm iſtâ locutione nihil aliud Thomiſtæ, ſignificent quàm cauſam cur pereamus, gratiâve careamus, in nobis eſſe, non in Deo; Moliniſtæ vel gratiam omnibus exhibitam, vel poteſtatem comparandæ naturalem ſignificant.

Cæterum ex iis quæ diximus de *ſufficientis* & *potentiæ* notione duplici facilè intelligitur Molinæ ſectatores de totâ re diſſentire à Thomiſtis, tametſi in vocabulo conveniunt: cæteros Theologos; è quibus nemo vel pias cogitationes animo divinitus immiſſas, vel voluntatem boni imperfectam quæ ſæpe vincatur, negavit; de re ipſa Thomiſtis aſſentiri, de ſolâ voce aliquando diſſenſiſſe, quæ & nova eſt, & viris graviſſimis diſplicuit, & nul-

lam adhuc auctoritatem Eccleſiaſticam habet. Iſta tamen duarum vocum ambiguitas, quæ non eodem ſensû uſurpantur ab omnibus, novis noſtrorum temporum Sophiſtis uſitatam & uberem præbet calumniandi materiam.

## Caput IV.

### *De gratiâ hominis innocentis & Angelorum juxta Auguſtinum.*

SEquitur tertia quæſtio de gratiâ primi hominis & Angelorum, quam Auguſtinus ſæpe in ſuis adverſus Pelagianos libris fere omnibus deſignatam & informatam uberrimè demum in L. de Correptione & Gratiâ explicuit.

I. Homo, ut Angelus, in caritate cõditus eſt.

I. In hypotheſi Auguſtinianâ primus Homo cum bonâ voluntate, ſive cum caritate conditus eſt. a *Tunc ergo dederat homini Deus bonam voluntatem, in illa*

a *L. de correp. & gra-*

*quippe eum fecerat, qui fecerat rectum.* Bona voluntas & caritas apud Auguſtinum idem prorſus ſignificant. *Quaſi verò*, inquit, a *aliud ſit bona voluntas, quàm caritas.* Idem quoque de Angelis docet in L. de civitate. c. 9. *Et iſtam* bonam voluntatem *quis fecerat, niſi ille qui eos cum bonâ voluntate, id eſt, cum amore caſto, quo illi adhærerent, creavit, ſimul eis & condens naturam & largiens gratiam? unde ſine bonâ voluntate, hoc eſt, Dei amore nunquam Angelos ſanctos fuiſſe credendum eſt. Confitendum eſt igitur cum debitâ laude Creatoris non ad ſolos Sanctos homines pertinere, verùm etiam de ſanctis Angelis poſſe dici, quòd* b *caritas Dei diffuſa ſit in eis per Spiritum S. qui datus eſt eis.*

*tiâ. n. 32.*

a *L. de gratiâ Chriſti c. 21.*

b *Rom. 5. 5.*

II. Uterque ad perſeverandum in caritate gratiâ accepit.

II. Deus homini & Angelo auxilium ad perſeverandum in bonâ voluntate, ſive in caritate, quam dum conderentur divinitùs acceperant, neceſſarium de-

a *L. de correp. & gratiâ. n. 32.*

dit. [a] *Dederat adjutorium ſine quo in eâ non poſſet permanere ſi vellet; ut autem vellet, in ejus libero reliquit arbitrio. Poſſet ergo permanere ſi vellet: quia non deerat adjutorium per quod poſſet, & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet. Sed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt; cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti.* Et mox. *Si autem hoc adjutorium vel Angelo, vel Homini, cum primùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine Divino adjutorio poſſet manere ſi vellet; non utique ſuâ culpâ cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet, ſine quo manere non poſſent.*

III. Adjutoriũ duplex: primum *ſine quo*; ſecundum, *quo*.

III. Auxiliorum duo genera diſtinguit Auguſtinus, alterum proprium naturæ innocentis & integræ, alterum lapſæ & reparatæ. Primum appellat *adjutorium ſine quo*: alterum, *adjutorium quo*.

Primum eſt id ſine quo non poſſumus, & cum quo poſſumus. Utramque definitionis partem ſuperiora teſtimonia confirmant; ſic & illud: [a] *primo itaque homini qui in eo bono, quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.*

a *Ibidem. n. 34.*

Alterum eſt id [b] *non ſolùm ſine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur:* ut eſt *beatitudo*, quam qui accipit *continuò fit beatus*. Primum trito jam & communi vocabulo ſolemus appellare ſufficiens; alterũ verò efficax.

b *Ibidem.*

IV. Id unum quæritur, an auxilium *ſine quo* Auguſtinianum Moliniſticè & populariter ſufficiens ſit, an Thomiſticè: uno verbo omnia-ne ad agendum neceſſaria complectatur, necne. Si gratia Adami & Angelorum pro

IV. Quo ſenſu adjutoriũ *ſine quo* dicatur ſufficiens.

ſolo voluntatis arbitrio fuit efficax, vel ſterilis & iners; omnia ad agendum neceſſaria complectebatur, eratque pleniſſimè ſufficiens, ut ea vox à Molinâ Leſſio & populariter uſurpari ſolet. Sin contrà opus erat novo auxilio per ſe efficaci, ut voluntas moveretur; Thomiſticè, non Leſſianè ſufficiens fuit. Sed quæſtionem meâ ſententiâ facilè definiet quiſquis à præjudicatis opinionibus liber caput x. xi. & xii. L. de Correptione & Gratiâ legerit attentiùs; cum Auguſtini verba poteſtatem agendi pleniſſimam & Leſſianam *ſufficientis* notionem ſine ullâ obſcuritate ſignificent.

v. Pleniſſimè ſufficiens fuiſſe pluribus efficitur. Prima ratio.

1°. Auguſtinus Angelum & Hominem eodem loco habet, nec plus uni tribuit, quàm alteri. Uterque cum primùm conditus eſt, bonam voluntatem accepit ut manifeſtis Auguſtini teſtimoniis confirmavi. Utrique

datum eſt auxilium *ſine quo* perſeverare non poterant. *Si* enim a *hoc adjutorium Angelo vel Homini defuiſſet.... non utique ſuâ culpâ cecidiſſent.* Si cætera excutiamus, paria in utroque reperientur, ut & in ipſo quæſtionis exordio non obſcurè ſignificat. b *Quapropter*, inquit, *ſaluberrimè confitemur, quod rectiſſimè credimus, Deum..... ſic ordinaſſe Angelorum & Hominum vitam, ut in eâ priùs oſtenderet, quid poſſet eorum liberum arbitrium, deinde quid poſſet ſuæ gratiæ beneficium, juſtitiæque judicium.* Hoc eſt, quid poſſet liberum arbitrium ſive ad perſeverandum, ſive ad cadendum: deinde quid poſſet aut ad confirmandos in perpetuum S. Angelos, reparandoſque Homines, gratiæ beneficium; aut ad puniendos malos, judicium juſtitiæ. Nullum denique in bonis Angelis qui perſeverarunt, & in malis qui ceciderunt,

a *Ibidem. n. 32.*

b *Ibidem. n. 27.*

gratiæ diſcrimen agnoſcit: nec aliud auxilium in primo Homine & Angelis, quàm *ſine quo*. Fuit auxilium *ſine quo* in pluribus actuoſum & efficax, ſterile in aliis. [a] *Non deerat adjutorium per quod poſſet & ſine quo non poſſet perſeveranter bonum tenere quod vellet; ſed quia noluit permanere, profectò ejus culpa eſt, cujus meritum fuiſſet, ſi permanere voluiſſet:* SICUT FECERUNT ANGELI SANCTI, *qui cadentibus aliis per liberum arbitrium, per idem liberum arbitrium ſteterunt ipſi, & hujus permanſionis debitam mercedem recipere meruerunt.* Apertiſſimè in L. de Dono perſeverantiæ n. 13. *Qui non infertur in tentationem non diſcedit à Deo. Non eſt hoc omnino in viribus liberi arbitrii, quales nunc ſunt. Fuerat in homine antequam caderet. Quæ tamen libertas voluntatis in illius primæ conditionis præſtantiâ quantùm valuerit, apparuit in Angelis; qui, Dia-*

a *Ibidem. n. 32.*

*bolo cum ſuis cadente, in veritate ſteterunt, & ad ſecuritatem perpetuam non cadendi, in quâ nunc eos eſſe certiſſimi ſumus, pervenire meruerunt. Poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere, ut homo accedat ad eum..... & non recedat ab eo.*

Ex his conſtat idem auxilium *ſine quo* datum eſſe Homini & Angelis. Sin id negatur, ergo cum Auguſtinus ait: *cujus meritum fuiſſet ſi permanere voluiſſet, ſicut fecerunt Angeli ſancti*: ridiculè comparat res disjunctiſſimas, hominem auxilio ad perſeverandum neceſſario, hoc eſt, per ſe efficaci deſtitutum cum S. Angelis idipſum habentibus. 2°. Qui dicit fuiſſe omnino in primævâ poteſtate hominis, ut perſeveraret; quæ quanta eſſet, apparuiſſe in S. Angelis; is apertiſſimè ſignificat fuiſſe parem in utriſque poteſtatem, eamdemque

pleniſſimam, non mœrè Thomiſticam. 3°. Hæc quoque Auguſtini verba: non diſcedere à Deo fuerat *omnino in viribus liberi arbitrii antequam* homo *caderet. Quæ libertas quantùm valuerit, apparuit in Angelis. Poſt caſum autem hominis nonniſi ad gratiam ſuam Deus voluit pertinere*: aliud auxilii genus eſſe ſignificant, per quod ſtamus, aliud per quod Angelus ſtetit. Id quo nos perſeveramus eſt auxilium *quo*, & per ſe efficax, ut Auguſtinus docet: id igitur per quod ſteterunt Angeli, auxilium *ſine quo* & tantummodò ſufficiens fuit.

Secunda ratio.

2°. S. Angelos per liberum arbitrium ſtetiſſe; cæteros, ut hominem, per idem liberum arbitrium cecidiſſe ait in iis locis quæ nos antè produximus: & initio: a *Denique Angeli quidam, quorum Princeps eſt qui dicitur Diabolus, per liberum arbitrium Domino Deo refugæ facti ſunt.... Cæteri per*

a *Ibidem. n. 27.*

*ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt.* [a] *Sic & hominem fecit cum libero arbitrio.... Ideo beatum, quia & non mori, & miſerum non fieri in ſuâ poteſtate eſſe ſentiebat. In quo ſtatu recto ac ſine vitio, ſi per ipſum liberum arbitrium manere voluiſſet.... Acciperet illam merito hujus permanſionis beatitudinis plenitudinem, quâ & S. Angeli ſunt beati.* Sanctos jam per liberum arbitrium perſeverare nuſpiam dicit. Contrà, [b] *ſi ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei, ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſupera-*

a *Ibidem. n. 28.*

b *Ibidem. n. 38.*

*biliter ageretur; & ideo, quamvis infirma, non tamen deficeret, neque adverſitate aliquâ vinceretur.... Fortiſſimo itaque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.* Auxilium efficaciſſimum &, ut appellatur ab Auguſtino, *invictiſſimum, inſuperabile & indeclinabile* facit ut jam Sanctis perſeverantibus *non relinquatur voluntas ſua*: ſive, quod idem planè eſt, ut Sancti jam per liberum arbitrium perſeverare ſimpliciter non dicantur. Angelus bonus ab Auguſtino & ſæpe & ſimpliciter dicitur (nec aliter in toto libro uſpiam) perſeveraſſe per liberum arbitrium. Non habuit ergo gratiam illam efficaciſſimam & invictiſſimam, ſive auxilium *quo*: ita ſolum habuit auxilium *ſine quo*. Neque enim aliud apud Auguſtinum extat, quàm duplex à no-

bis commemoratum, *quo* & *ſine quo*. Ex quibus conficitur auxilium, *ſine quo*, pleniſſimè ſufficiens fuiſſe, & tale, ut omnia ad agendum neceſſaria complecteretur.

3°. Novum argumentum ex ſuperiori loco depromitur. Auxilium *ſufficiens* & poteſtas agendi idem ſignificant. Ut *ſufficientis*, ita quoque *poteſtatis* duplex eſt notio; Thomiſtica, & popularis. Thomiſtica eſt poteſtas nuda & ſimplex, quæ niſi accedat aliud, idemque neceſſarium ad agendum & cum actione ſemper conjunctum, nihil agit. Popularis eſt poteſtas explicata & expedita, quæ nullâ re ad agendum neceſſariâ caret. Auxilium *ſine quo* Auguſtinianum, popularem hanc & pleniſſimam poteſtatem contulit homini integro & Angelis, non Thomiſticam, ut ex allato teſtimonio liquet. Nam auxilium, *ſine quo*, perſeverandi

Tertia ratio.

poteſtatem contulit homini innocenti, quam minimè tribueret jam eidem lapſo, ut hîc Auguſtinus teſtatur. *Et ideo perſeverare non poſſent* Sancti cum auxilio, ſine quo, *quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent.* Poteſtas, quam homini jam lapſo minimè tribueret auxilium, *ſine quo*, non èſt Thomiſtica, cum iſto genere auxilii conjuncta, nec ab eo ſeparabilis, ut Thomiſtæ confitentur; ergo popularis & pleniſſima illa, cujus antè memini: hanc igitur ipſam homini innocenti contulit & Angelis omnibus.

Quarta ratio. 4°. Auguſtinus, quod inprimis obſervandum eſt, Sanctos idcirco per auxilium, quale Adamo conceſſum eſt, jam *perſeverare non poſſe* ait; quoniam, ſi ſolum tribueretur, *aut non vellent, aut non ita vellent ut poſſent.* Nam conſequens eſt auxilium,

*ſine quo*, tale fuiſſe, ut per illud ſolum aut vellet homo, aut volendi & plenè volendi poteſtatem haberet pleniſſimam. Si enim ad volendum opus erat auxilio per ſe efficaci, ut jam opus eſſe Auguſtinus teſtatur; par igitur eſt hominis innocentis & lapſi conditio : nec magis innocens & integer perſeverare potuit per auxilium, *ſine quo*, quàm nos lapſi poſſemus. Ita inepta planè eſt Auguſtini ſententia, niſi poteſtatem Adami plenam, abſolutam & omnibus ad agendum neceſſariis inſtructam confiteamur.

5°. Aliud quoque argumentum ex iiſdem verbis conficitur. Quinta ratio.
Ratio ſola propter quam ad perſeverandum omnino neceſſarium eſt auxilium *quo*, ſive per ſe efficax, eſt ſumma fractis jã viribus, & inſtantibus undique tentationum periculis voluntatis noſtræ

a *Ibidem. n.* 35.

b *Ibidem. n.* 38.

imbecillitas. [a] *Major quippe libertas*, inquit, *eſt neceſſaria adverſus tot & tantas tentationes, quæ in Paradiſo non fuerunt, dono perſeverantiæ munita atque firmata, ut cum omnibus amoribus, terroribus, erroribus ſuis vincatur hic mundus*, &c. Idcirco [b] *ſi in tantâ infirmitate vitæ hujus..... ipſis Sanctis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus operaretur in eis ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent*, &c. Ex quo conſequens eſt nec Angelis, nec homini innocenti, quorum erat vis maxima, nulla planè infirmitas, auxilium *quo* neceſſarium fuiſſe. Si neceſſarium non fuit; auxilium igitur, *ſine quo*, erat plenè *ſufficiens*, & poteſtatem præſidiis omnibus ad perſeverandum inſtructiſſimam largiebatur.

6°. Si confirmatio in bono, ſive impeccantia, ut vulgò appellatur, quæ eſt prærogativa perfectæ & æternæ beatitudinis, in utroque ſtatu naturæ innocentis & lapſæ ex eodem genere auxilii pendet: tam Angelorum impeccantia appellanda eſt ſimpliciter gratia, quàm Sanctorum hominum confirmatio. Contrà tamen Auguſtinus primã appellat mercedem meriti, alteram verò ſimpliciter gratiam. [a] *Quid erit*, inquit, *liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato, quæ futura erat & homini, ſicut facta eſt Angelis ſanctis merces meriti? Nunc autem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.* Cur dicitur *perdito bono merito donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat*; niſi quia maximum eſt meritorum noſtrorum & Angelicorum diſcrimen? Et unde illud diſ-

Sexta ratio.

a *Ibidem. n. 32.*

crimen, niſi ex maximâ auxiliorum diſſimilitudine, quam antè attigerat, & pluribus mox attingit? Angeli enim [a] *per liberum arbitrium in veritate ſteterunt* [b] *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis.... perſeverantia ipſa donatur, non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.*

a *Ibidem. n.* 27.
b *Ibidem. n.* 34.

Cæterùm cum Auguſtinus de homine integro & Angelis diſputat, unius perſeverantiæ meminit, quòd cum eſſent in caritate & juſtitiâ conditi, reliqua actionum & meritorum ſeries ad perſeverantiam quodammodò pertinere videatur. Neque enim perſeverat, niſi qui ab omni peccato abſtinet: nec ab omni peccato abſtinet, niſi qui bene agit & ſingulas actiones refert ad finem ultimum, niſi demum qui præceptis omnibus ſatisfacit.

Nam qui non bene agit quidquid agit, quique violat præceptum aliquod, is proculdubiò perſeverantiam non habet ; ut habet contrà qui rectè agit in omnibus & ſingulis præceptis ſatisfacit. Itaque perſeverantia in juſto donum quoddam eſt generale, quod latiſſimè patet, & totam reliquæ vitæ ſeriem quodammodò complecti videtur.

Adverſus ea quæ de gratiâ primi Hominis & Angelorum ex Auguſtino diximus, unum fermè eſt quod objici poſſit : S. Angelos idcirco ad gloriam perveniſſe, quòd gratiam multò uberiorem acceperint, quàm qui minimè pervenerunt, Auguſtinum teſtari. [a] *Iſti autem*, inquit, *qui cum boni creati eſſent, tamen mali ſunt malâ propriâ voluntate, quam bona natura non fecit... aut minorem acceperunt amoris divini gratiam, quàm illi qui in eadem perſtiterunt ; aut ſi utrique boni* VI. Difficultas ſolvitur.

[a] *L. 12. de Civitate c. ix. n. 2.*

*æqualiter creati ſunt, iſtis malâ voluntate cadentibus illi ampliùs adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt.* Quæ gratia amplior non alia videtur eſſe, quàm per ſe efficax. Atque hic unus fere eſt locus, qui aliquâ cum probabilitate objiciatur. Nam cætera leviſſima ſunt, nec cuiquam in Auguſtinianâ doctrinâ vel mediocriter verſato difficultatem ullam afferre poſſe exiſtimo.

Sed argumentum quod ex ſuperiore Auguſtini teſtimonio conficitur, ſic occupatum eſt à viris doctiſſimis, qui locum ad quæſtionem propoſitam nihil attinere ſolidis rationibus comprobarunt, ut inane jam & hebes videatur. rem paucis explico.

Auguſtinus in eâ quæſtione, quæ eſt de beatitudine Angelorum, multùm, diùque laboravit. Omnes conditos eſſe noverat &

bonos, hoc eſt, cum ſanctitate
ac caritate perfectâ, & beatos.
S. Angeli qui gloriâ æternâ per-
fruuntur, ſe ſemper beatos fore
non ignorant: mali antequam
caderent, nec futurum cognoſ-
cebant, nec perpetuitatem beati-
tudinis. Cauſa ergo dubitationis
& difficultatis, quæ Auguſtinum
diu torſit, hæc una eſt, quòd
beatus non ſit, niſi qui & bea-
titudinem nunquam eſt amiſſu-
rus & nunquam ſe amiſſurum
eſſe certiſſimè cognovit. Neque
enim admittit beatitudo vel er-
rorem, vel metum. Qui beatum
ſe ſemper fore exiſtimans beati-
tudinem nihilominùs amiſſurus
eſt, fallitur. Qui ignorat firmá-
ne ſit ac perpetua feilcitas, nec-
ne, metu vacare non poteſt. Qui
metuit, multoque magis qui ca-
ſum futurum præſentit, miſer eſt.
Ergo S. Angeli ſe beatos ſemper
fore non ignorant, nec ignora-
verunt. Mali verò qui nec ſe ca-

ſuros eſſe noverunt, nec ſe ſemper beatos fore, aliquâ nihilominùs beatitudine ſuſpensâ & mutabili perfruebantur. Sed unde illa bonis de perpetuâ felicitate ſecuritas & cognitio; ignorantia verò in malis? An fortè ex creationis diſcrimine, hoc eſt, ex caritate & juſtitiâ diſſimili, quam dum crearentur, acceperint? An ex meritis? An ut olim Dæmones, ita nunc Angeli ſe ſemper beatos fore ignorant?

Quæſtionem pluribus verſat in L. XI. de Geneſi ad Literam cap. 26. & difficultatis pondere oppreſſus in medio reliquit. Eamdem cum agitaſſet poſtea in L. XI. de Civitate cap. 13. ad duo membra revocavit. Nam certus jam S. Angelos de ſempiternâ beatitudine ſuâ nihil dubitare, *reſtat*, inquit, *ut aut impares fuerint* in gratiâ & beatitudine, quam in primo creationis exordio acceperunt; *aut ſi pares fuerunt, poſt*

*iſtorum*

*iſtorum ruinam illis certa ſcientia ſempiternæ felicitatis acceſſerat.* Denique ſub finem vitæ omni dubitatione poſitâ pronunciavit in libro de Correptione & Gratiâ cap. x. malis per liberum arbitrium cadentibus, cæteros qui per idem liberum arbitrium ſteterant, de beatitudine nunquam amittendâ certos factos eſſe ſingulari beneficio gratiæ. [a] *Cæteri per ipſum liberum arbitrium in veritate ſteterunt, eamque de ſuo caſu nunquam futuro certiſſimam ſcire meruerunt.* Quod cum pluribus deinde confirmaſſet, ſubjicit: *Diabolus verò & Angeli ejus etſi beati erant antequam caderent, & ſe in miſeriam caſuros eſſe neſciebant, erat tamen adhuc quod eorum adderetur beatitudini, ſi per liberum arbitrium in veritate ſtetiſſent, donec iſtam ſummæ beatitudinis plenitudinem, tanquam præmium ipſius permanſionis acciperent, id eſt, ut magnâ per Spiri-*

a L. *de correp. & gratiâ. n. 27.*

*tum S. datâ abundantiâ caritatis Dei, cadere ulteriùs omnino non poſſent, & hoc de ſe certiſſimè noſſent. Hanc plenitudinem beatitudinis non habebant: ſed quia neſciebant ſuam futuram miſeriam, minore quidem, ſed tamen beatitudine ſine ullo vitio fruebantur.*

In libro 12. de Civitate qui objicitur, eamdem quæſtionem verſat, & eadem quæſtionis membra ponit, ac in undecimo; ut ſingula inter ſe ſe comparanti facilè conſtabit. In XI. *reſtat ut aut impares fuerint.* In XII. *aut minorem acceperunt amoris divini gratiam.* In XI. *aut ſi pares fuerunt, poſt iſtorum ruinam illis certa ſcientia ſuæ ſempiternæ felicitatis acceſſerit.* In XII. *aut ſi utrique æqualiter boni creati ſunt, iſtis malâ voluntate cadentibus illi amplius adjuti ad eam beatitudinis plenitudinem, unde ſe nunquam caſuros certiſſimi fierent, pervenerunt.* Ecce eadem utrobique diviſionis mē-

ora, quæ ſibi mutuò reſpondent:
primum utique L. undecimi pri-
no duodecimi; ſecundum prio-
is ſimiliter poſterioris ſecundo.
Atque ut apertiùs dicam; iſta,
*i pares fuerunt, poſt iſtorum rui-
am illis certa ſcientia ſuæ ſempi-
ernæ felicitatis acceſſit*, reſpon-
ent his: *ſi utrique boni æqualiter
reati ſunt, iſtis malâ voluntate ca-
entibus illi amplius adjuti ad eam
eatitudinis plenitudinem, unde
unquam ſe caſuros certiſſimi fie-
nt, pervenerunt*. In hac poſte-
ore ſententiâ vox, *ampliùs ad-
uti*, quæ ſola objici poteſt, re-
ertur ad confirmationem gratiæ,
d certiſſimam beatitudinis per-
etuæ ſcientiam; quæ, ut in prio-
dicitur, *poſt* Dæmonum *rui-
am* S. Angelis *acceſſit*. Pertinet
go ad perſeverantiam termini,
on ad perſeverantiam viæ, ut
heologi vulgò loquuntur: de-
que [a] *ad iſtam ſummæ beatitu-
nis plenitudinem quam tanquam*

[a] *L. de correp. & gr. n. 27.*

*præmium* voluntariæ perſeverantiæ & *permanſionis acceperunt*; non ad tempus quod præceſſit, ſive ad merita quibus *præmium* obtinuerunt. Locus ergo objectus non eſt ad rem; qui ne aliter explicaretur, ac antè à nobis explicatus eſt, aut ad aliam omnino quæſtionem referretur, Auguſtinus ipſe providit, cum proximè ſubjiciat: [a] *ſicut jam in libro, quem ſequitur iſte*, id eſt, in undecimo *tractavimus*.

a *L.* 12. *de Civit. c.* 9.

## Caput V.

### *De gratiâ hominis lapſi juxta eumdem.*

EXplicatâ gratiâ primi Hominis & Angelorum facilè intelligitur quid de noſtrâ, quæ ſingulari quadam ratione gratia Chriſti dicitur, ac de utriuſque diſcrimine ſenſerit Auguſtinus.

1. Auxilium *quo* ſemper efficax

Auxilium, *ſine quo*, quod erat Adamo commune cum Angelis,

pleniſſimè ſufficiens fuit, ut ex pluribus Auguſtini teſtimoniis confeci. Auxilium *quo*, quod proprium eſt naturæ lapſæ, ſemper eſt efficax. Primum cum effectu non ſemper conjungebatur, hoc ſemper conjungitur. [a] *Adjutorium enim eſt non ſolùm ſine quo non fit, verùm etiam quo fit propter quod datur.* Exemplum affert beatitudinis, quæ *adjutorium & quo fit eſt, & ſine quo non fit: quia & ſi data fuerit homini, continuò fit beatus; & ſi data nunquam fuerit, nunquam erit.*

Primum tale erat, ut poteſtatem pleniſſimam tribueret, voluntatem utendi non efficeret. [b] *Tale quippe erat adjutorium, quod deſereret cum vellet, & in quo permaneret ſi vellet, non quo fieret ut vellet.* Contrà noſtrum voluntatem ipſam efficit. [c] *Sed hâc* gratia *potentior eſt in ſecundo Adam. Prima eſt enim quâ fit ut habeat homo juſtitiam ſi velit. Se-*

a *L. de correp. & gr. n. 34.*

b *Ibidem. n. 31.*

c *Ibidem.*

*cunda ergo plus poteſt, quâ etiam ſit ut velit, & tantùm velit, tantoque ardore diligat, ut carnis voluntatem contraria concupiſcentem voluntate Spiritûs vincat.*

II. Ob infirmitatem datur. Ideo præſertim Deus non modò perſeverandi poteſtatem, verùm etiam perſeverantiam Sanctis ſuis nunc largitur, quòd jam infirma ſit voluntas. [a] *Nam ſi in tantâ infirmitate vitæ hujus..... ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſunt, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent, inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ſuccumberet, & ideo perſeverare non poſſent.... ſubventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur*, &c.

a *Ibidem. n. 38.*

III. Auxilium *ſine quo* in Sanctis perſeverãtibus jam Auxilium *ſine quo*, quale conceſſum eſt primo Homini, in ſanctis perſeverantibus jam locum non habet. [b] *Primo itaque*

*homini, qui in eo bono quo factus fuerat rectus, acceperat poſſe non peccare, poſſe non mori, poſſe ipſum bonum non deſerere, datum eſt adjutorium perſeverantiæ; non quo fieret ut perſeveraret; ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet. Nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis* NON TALE *adjutorium perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur; non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſent, verùm etiam ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* Et antè. [c] *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium* ſine quo, *jam pœna peccati eſt; quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, &* TANTÒ AMPLIUS *datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum quibus id Deo dare placuit, ut non ſolùm adſit ſine quo permanere non poſſumus, etiamſi velimus; verùm etiam tantùm ac tale ſit, ut velimus.* Maximè ob-

locum non habet.

b *Ibidem. n.* 34.

c *Ibidem. n.* 32.

ſervanda ſunt verba Auguſtini: *quibus datur, tantò amplius datur.... tantum ac tale ut velimus*: quæ gratiam ad perſeverandum quibuſcumque datur, talem ac tantam ſemper dari ſignificant; ut non modò poteſtatem perſeverandi, verùm etiam & voluntatem plenam, uno verbo perſeverantiam ipſam largiatur. Ita auxilium *ſine quo*, quale Adamo & S. Angelis conceſſum eſt: id eſt, pleniſſima illa perſeverandi poteſtas, quam nos antè ex Auguſtino deſcripſimus, ſemper jam conjungitur cum auxilio *quo*, nec ab eo ſejungitur. Sed de his iterum poſtea uberius.

IV. Auxilium *quo* ut ad conſervandam, ita ad recipiendã juſtitiam valet.

Auxilium *quo*, cùm ad perſeverandum in bono quod jam accepimus, tum ad bonum quoque accipiendum, ſive ad primam juſtitiam datur. [a] *Fit quippe in nobis*, ut mox docet, *per hanc Dei gratiam*, id eſt auxilium *quo*, *in bono recipiendo & perſeveranter*

a *Ibidem. n. 32.*

*tenendo, non ſolùm poſſe quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in homine primo. Unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit. Namque ut reciperet bonum gratiâ non egebat, quia nondum perdiderat* quam acceperat in ipſo creationis exordio. *Ut autem in eo permaneret, egebat adjutorio gratiæ, ſine quo id omnino non poſſet: & acceperat poſſe ſi vellet, ſed non habuit velle quod poſſet. Nam ſi habuiſſet, perſeveraſſet. Poſſet enim perſeverare ſi vellet: quod ut nollet, de libero deſcendit arbitrio; quod tunc ita liberum erat, ut & bene velle poſſet & malè.*

Ex his conſtat auxilium *quo* apud Auguſtinum ſemper eſſe conjunctum cum effectu ipſo ad quem datur. 2°. In eo differre ab auxilio *ſine quo*, quòd poteſtatem ſimul & voluntatem rei efficiendæ; auxilium *ſine quo* ſolam poteſtatem per ſe largiatur.

Ex quo conſequens eſt, ut omnia loca, in quibus Auguſtinus bonam voluntatem à Deo eſſe docet, ad idque confirmandum verbis vel Propheticis: *voluntas præparatur à Domino*; vel Apoſtolicis utitur: *operatur in nobis velle & perficere*; auxilium *quo* conſtituant. 3°. Auxilium *ſine quo*; quæ eſt, ut certis argumentis confeci, pleniſſima, Thomiſtica poteſtas, locum jam non habere. 4°. Denique auxilium *quo* non modò ad perſeverandum in juſtitiâ acceptâ, verùm etiam ad juſtitiam recipiendam valere & dari: atque ut uno verbo omnia concludam, ad ſingulas actiones bonas, ut in ſuis omnibus adversùs Pelagianos libris Auguſtinus docet.

a *Ibidem. n. 43.*

De gratiâ converſionis a *cum homines*, inquit, *per correptionem in viam juſtitiæ ſeu veniunt, ſeu revertuntur; quis operatur in cordibus eorum ſalutem, niſi ille qui*

*quolibet plantante atque rigante, & quolibet in agris, vel arbuſtulis operante dat incrementum Deus, cui volenti ſalvum facere nullum hominum reſiſtit arbitrium? Sic enim velle ſeu nolle in volentis ſeu nolentis eſt poteſtate, ut divinam poteſtatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem..... quando quidem* etiam de ipſis hominum voluntatibus quod vult, cum vult facit..... *Habens humanorum cordium quo placuerit inclinandorum omnipotentiſſimam poteſtatem.*

Legendus eſt liber de gratia Chriſti n. 11. Quo in loco Pelagium, ut Chriſtianus habeatur, eam gratiam confiteri debere ait, *quâ futuræ gloriæ magnitudo non ſolùm promittitur, verùm etiam creditur & ſperatur: nec ſolùm revelatur ſapientia, verùm & amatur: non ſolùm ſuadetur omne quod bonum eſt, verùm & perſuadetur.* Et n. 15. *Quando Deus docet non per legis literam, ſed per Spiritûs gra-*

*tiam; ita docet, ut quod quiſque didicerit non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo appetat, agendoque perficiat.... Venire poſſe in naturâ ponit Pelagius; vel etiam ut modò dicere cœpit, in gratiâ, qualemlibet eam ſentiat, quâ ipſa, ut dicit, poſſibilitas adjuvatur; venire autem jam in voluntate & opere eſt. Non eſt autem conſequens, ut qui poteſt venire etiam veniat, niſi id voluerit atque fecerit. Sed omnis qui didicit à Patre non ſolùm poteſt venire, ſed venit.* a *Neque enim ullus audivit & didicit, & non venit, ſed omnis, ut ait veritas, qui audivit à Patre & didicit, venit.... Valde remota eſt à ſenſibus carnis hæc Schola, in quâ Deus auditur & docet.... Nimiùm gratia iſta ſecreta eſt.... Hæc itaque gratia, quæ occultè humanis cordibus divinâ largitate tribuitur, à nullo duro corde reſpuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.*

a *L. de Prædeſtinatione Sanct. n.* 13.

Ac ne per ſingula excurram, Auguſtinus converſionem, ſive primam juſtitiam, omnia bona, meritaque omnia ſemper adſcribit gratiæ per ſe efficaci & auxilio *quo*, quod ejuſmodi eſt, ut non modò poſſe, verùm etiam det & velle & operari, eamque Chriſti gratiam eſſe ait, [a] quam Pelagius confiteri debet. Hinc in Epiſtolâ ad Vitalem, quæ eſt 217. inter cæteras, generatim ſcribit: [b] *vera Dei gratia dat merita ipſa cum datur, quia prævenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujuſquam invenit in corde, ſed facit.* Et poſtea. [c] *Ut in Deum credamus & piè vivamus, non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei: non quia velle non debemus & currere, ſed quia ipſe in nobis & velle operatur & currere.* Sic alibi. [d] *Certum eſt nos velle cum volumus, ſed ille facit ut velimus bonum.... Certum eſt nos facere cum facimus; ſed ille fa-*

V. Ad ſingulas actiones pietatis valet.

a *L. de gratiâ Chriſti n. 52.*

b *Epiſtol. 217. n. 5.*

c *Ibidem, n. 12.*

d *L. de gratiâ & lib. arbitr. n. 32.*

*cit ut faciamus*, *prabendo vires* EFFICACISSIMAS *voluntati.* Quamobrem [a] *ſine illo vel operante ut velimus ; vel cooperante cum volumus , ad bona pietatis opera nihil valemus.*

a Ibid. n. 33.

VI. Ad orandum.

Orationem ipſam non minùs acceptam refert gratiæ efficaci, quàm cætera. Spiritum Sanctum nos & *interpellantes & clamantes facere* ait ; [b] *falli qui putant non dari nobis ut petamus, quæramus, pulſemus. Nec volunt intelligere etiam hoc divini muneris eſſe ut oremus.* [c] *Hoc ipſum ut faciamus ipſum largiri.* [d] *Impertiri ſalubriter orationis affectum & effectum.*

b L. de dono perſever. n. 64.

c Ibid. n. 62.

d Epiſtol. 194. n. 30.

Ex his paucis, quæ nos inter plura & propè infinita ejuſdem generis delibavimus, facilè intelligitur gratiam illam quam adverſus Pelagianos diſputans ad ſingulas pietatis actiones neceſſariam eſſe docet, pertinere ad auxilium *quo*. Nam auxilii *quo* proprius caracter & nota eſt, ut

non modò poteſtatem, verùm etiam & voluntatem & actionem largiatur; cum auxilium, *ſine quo*, ſolam poteſtatem conferret, pleniſſimam tamen, non mœrè Thomiſticam. Gratia, quam in ſuis adverſus Pelagianos libris omnibus tuetur, voluntatem efficit & actionem; non eſt nuda & ſterilis poteſtas. Pertinet igitur ad auxilium *quo*. Ita ſequitur auxilium *quo* neceſſarium eſſe ad ſingulas pietatis actiones.

## Caput VI.

### *Aliqua ad auxilium* quo *pertinentia explicantur.*

Auxilium *quo* ſive ad primam converſionem refertur, ſive ad perſeverantiam & ad ſingulas actiones bonas, neque individuum ſemper eſt, aut ſimplex, neque in unico gradu conſiſtit. 1. Auxilium *quo* nō eſt ſemper individuum &ſimplex.

Impium quidem gratia Chriſti

uno velut impetu nonnunquam convertit; vel juſto & converſo largitur & voluntatem & actionem boni operis. Sed hoc rariſſimè. Naturam enim, quæ à parvis initiis ad perfectiora ſenſim progreditur, ut plurimùm imitans variis motibus animum incitat, diuque cum voluntate pravis cupiditatis affectibus implicatâ confligit, antequam oriatur vel firma illa & plena voluntas, quæ conjuncta ſemper eſt cum bono opere.

II. Exemplũ repentinæ converſionis.

Exemplum repentinæ converſionis præclarum habemus in Apoſtolo, quem Chriſtianæ Religioni inimiciſſimum, Chriſtianoſque vario ſuppliciorum genere perſequentem gratia ſtatim proſtravit ac vicit.

III. Exemplũ Lentæ.

Sed pauci admodum ſunt, qui auditâ voce Domini ſtatim reſpondeant: [a] *Domine quid me vis facere?* Multo plures pugnant, reſiſtuntque [b] *contra ſtimulum cal-*

a *Act. 9. 6.*
b *Ibid. v. 5.*

*citrando*, antequam Deo vocanti penitus obſequantur. Horum exemplum habemus in Auguſtino, cujus ſcripta ſi varios auxilii *quo* gradus, parteſque non exprimerent, vita teſtaretur. Manichæorum erroribus, connubiis illicitis, & inſano rerum corporearum amore conſtrictus tenebatur. Anno ætatis viceſimo nono cœpit ſectæ inſanæ primùm diffidere : à Fide Catholicâ tamen alienus manſit. Anno triceſimo cum Ambroſium ſæpius audiſſet, hæſit inter utramque dubius. Ab hæreſi poſtea liberatus in Religionem Catholicam inclinavit. Anno demum 32 cum ex Simplicano cognoviſſet ſtupendam Victorini converſionem [a] *exarſi*, inquit, *ad imitandum*. Sed quantis pugnis, ac dilationibus ? *Cui ego rei ſuſpirabam ligatus non ferro alieno, ſed meâ ferreâ voluntate. Velle meum tenebat inimicus, & inde mihi cate-*

[a] L. 8. Cō- *feſſ.* n. 10.

*nam fecerat, & conſtrinxerat me.... voluntas autem nova, quæ mihi eſſe cœperat, ut te gratis colerem, fruique te vellem, Deus, ſola certa jocunditas, nondum erat idonea ad ſuperandam priorem vetuſtate roboratam. Ita duæ voluntates meæ, una vetus alia nova; illa carnalis, iſta ſpiritalis, confligebant inter ſe, atque diſcordando diſſipabant animam meam.* [a] *In ſarcinâ ſæculi, velut ſomno aſſolet, dulciter premebar: & cogitationes quibus meditabar in te, ſimiles erant conatibus expergiſci volentium, qui tamen ſuperati ſoporis altitudine remerguntur.* Mox ſubjicit ſe Chriſto vocanti quid reſponderet non habuiſſe, *niſi tantùm verba lenta & ſomnolenta: modò; ecce modò: ſine paululùm. Sed modò & modò non habebant modum: & ſine paululùm, in longum ibat.*

a *Ibidem. n.* 12.

Pugnæ rationem idoneam deinde reddit. [b] *Imperat animus corpori & paretur ſtatim: imperat*

b *Ibidem. n.* 21.

*animus ſibi & reſiſtitur. Unde hoc monſtrum, & quare iſtud? Imperat, inquam, ut velit, qui non imperaret niſi vellet; & non fit quod imperat. Sed non ex toto vult; non ergo ex toto imperat. Nam in tantùm imperat in quantùm vult; & in tantùm non fit quod imperat, in quantùm non vult. Quoniam voluntas imperat, ut ſit voluntas; nec alia, ſed ipſa. Non utique plena imperat, ideo non eſt quod imperat. Nam ſi plena eſſet, nec imperaret ut eſſet, quia jam eſſet.*

Cum audiſſet ex Pontiano milites ad vitam Monaſticam perlectâ Antonii hiſtoriâ repentè converſos eſſe, cœpit multò magis, quàm antè, agitari. [a] *Sic ægrotabam & excruciabar accuſans memetipſum ſolitò acerbiùs nimis, ac volvens & verſans me in vinculo meo, donec abrumperetur totum, quo jam exiguo tenebar, ſed tenebar tamen. Et inſtabas tu in occultis meis Domine ſeverâ miſeri-*

a *Ibidem. n. 25.*

*cordiâ flagella ingeminans timoris & pudoris; ne rurſum ceſſarem.... Dicebam enim apud me intus: ecce modò fiat, modò fiat. Et cum verbo jam ibam in placitum. Jam pænè faciebam, & non faciebam: nec relabebar tamen in priſtina, ſed de proximo ſtabam & reſpirabam.*

Poſt plurimas deinde tergiverſationes & pugnas cum vocem audiſſet: [a] TOLLE LEGE, TOLLE LEGE: proximum Apoſtoli codicem arripuit, ſententiâque perlectâ eâ, quæ librum aperienti, explicantique ex Rom. 13. 13. occurrit prior: *non in comeſſationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitiis, non in contentione & æmulatione: ſed induite Dominum Jeſum Chriſtum, & carnis providentiam ne feceritis in concupiſcentiis:* plenè converſus eſt. [b] *Statim quippe cum fine hujuſce ſententiæ, quaſi luce ſecuritatis infusâ cordi meo, omnes dubitationis tenebræ diffugerunt.*

[a] *Ibidem. n. 29.*

[b] *Ibidem.*

Auguſtini converſionem fecit gratia per ſe efficax, ſive auxilium *quo*, idque longam auxiliorum ſeriem complectens, non individuum & ſimplex. Horum ſingula non aliter efficacia fuerunt, quàm gratia Thomiſtarum ſufficiens, quæ voluntatem imperfectam ſemper efficit, ut ex Alvare jam obſervavi; nunquam ſola effectum principalem, ad quem per ſe ipſa nititur.

Idem ſtatuendum eſt de perſeverantiâ, quæ ut omnes quodammodò actiones bonas, quibus juſtitia ſemel accepta ſolet conſervari uſque ad extremum vitæ, ita & longam auxiliorum ſeriem complectitur. Idem quoque fit in actionibus bonis quamplurimis. Neque enim ſtatim volumus plenè quod poſtea agimus. Præcedit plerumque voluntas imperfecta, ſive caritas inchoata ac debilis, quæ cupiditate facilè vincitur & contra-

riæ voluntatis repugnantiâ accedentibus novis ſubinde auxiliis voluntas bona creſcit; tumque demum agit & vincit, cum major eſt, quàm contraria cupiditas. Neque auxiliorum præcedentium ſeries eſt prorſus inutilis. Animum enim præparat, cupiditatem imminuit, reſiſtentes affectûs debilitat, quibus fractis, ſubactiſque nova gratia accedens voluntatem plenam ac perfectam efficit, quam per ſe ſola non efficeret, niſi præceſſiſſent complures aliæ.

Hujus voluntatis, ſive caritatis imperfectæ ſæpe Auguſtinus meminit, ut in libro de gratiâ & libero arbitrio.[a] *Qui ergo vult facere Dei mandatum, & non poteſt,* ( poteſtate illâ plenâ, quæ ſine novo auxilio cum actione ipsâ conjungatur ) *jam quidem habet voluntatem bonam, ſed adhuc parvam & invalidam: poterit autem cum magnam habuerit, & ro-*

[a] *L. de gr. & lib. arbitr. n.33.*

*buſtam. Quando enim Martyres magna illa mandata fecerunt; magnâ utique voluntate, hoc eſt, magnâ caritate fecerunt.* Et mox. *iſtam caritatem Apoſtolus Petrus nondum habuit, quando timore Dominum ter negavit..... Et tamen, quamvis parva & imperfecta, non deerat, quando dicebat Domino* [a] animam meam pro te ponam. *Putabat enim ſe poſſe* poteſtate utique plenâ & perfectâ, *quod ſe velle ſentiebat. Et quis iſtam etſi parvam dare cœperat caritatem, niſi ille qui præparat voluntatem & cooperando perficit, quod operando incipit? Quoniam ipſe, ut velimus operatur incipiens, qui volentibus cooperatur perficiens.* a *Joan.* 13. 37.

Poſtea initium hoc caritatis, ſive delectationis neceſſarium eſſe ait, ut quæramus unde quod præceptum eſt impleatur. [b] *Cur ergo dictum eſt:* [c] diligamus invicem, quia dilectio ex Deo eſt: *niſi quia præcepto admonitum eſt* b *L. de gr. & lib. arbitr. n.* 37. c 1. *Joan.* 4. 7.

*liberum arbitrium, ut quæreret Dei donum? Quod quidem ſine ſuo fructu prorſus admoneretur, niſi priùs acciperet* ALIQUID DILECTIONIS, *ut addi ſibi quæreret, unde quod jubeatur impleret.* Nam ut ipſe in alio loco docet: [a] *Cor quod rectè petit, rectè pulſat & quærit, pium eſſe debet: primò amare Deum gratis; hæc eſt enim pietas: nec ſibi extra illum ponere mercedem, quam expectet ex illo.*

a *Serm. 91. n. 3.*

IV. Auxilii *quo* varii gradus ſequũtur ex Auguſtini principiis.

Hi bonæ voluntatis imperfectæ & creſcentis gradus neceſſariò ſequuntur ex Auguſtini principiis. Nam Auguſtino gratia bonam voluntatem efficiens eſt interior quædam delectatio. [b] *Tunc enim bonum concupiſci incipit, cum dulceſcere cœperit. Quando autem timore pœnæ, non amore juſtitiæ fit bonum, nec fit in opere, quando homo mallet facere, ſi poſſet impune. Ergo* BENEDICTIO DULCEDINIS *eſt gratia Dei, quâ*

b *L. 2. in duas Epiſt. Pelag. c. 9. n. 21.*

*quâ fit in nobis ut nos delectet, & cupiamus, hoc eſt, amemus quod præcipit nobis; in quâ ſi nos non prævenit Deus, non ſolùm non perficitur, ſed nec inchoatur in nobis.* Ratio potiſſima: a *quòd voluntas ipſa niſi aliquid occurrerit, quod delectet atque invitet animum, moveri nullomodò poſſit. Hoc autem ut occurrat, non eſt in hominis poteſtate.* Et alibi. b *Regnant iſta bona, ſi tantùm delectant, ut ipſa teneant animum in tentationibus, ne in peccati conſenſionem ruat. Quod enim amplius nos delectat, ſecundum id operemur neceſſe eſt.* Delectatio verò, ut notum eſt omnibus, varios & innumerabiles gradus habet.

a *L. 1. ad Simplic. q. 2. n. 22.*

b *In Epiſt. ad Galat. n. 49.*

V. Bona voluntas & caritas idē Auguſtino.

Iterum hoc loco obſervandum eſſe arbitror bonam voluntatem & caritatem ab Auguſtino confundi. Quæ nos antè ex libro de gratiâ & libero arbitrio produximus id apertè probant. Alia finitima paſſim occurrunt,

ut eſt illud : [a] *quaſi verò aliud ſit bona voluntas, quàm caritas; quam Scriptura nobis eſſe clamat ex Deo ? &c.* [b] *Cupiditas boni non homini à Domino eſſet, ſi bonum non eſſet : ſi autem bonum eſt, non niſi ab illo nobis eſt, qui ſummè atque incommutabiliter bonus eſt. Quid enim eſt boni cupiditas, niſi caritas, de quâ Joannes Apoſtolus ſine ambiguitate loquitur dicens,* [c] Caritas ex Deo eſt? *Nec initium ejus ex nobis, & perfectio ejus ex Deo. Sed ſi caritas ex Deo, tota nobis ex Deo eſt.* Ita paſſim. Ergo ut bona voluntas incipiens juſtum hominem non conſtituit, ita quoque nec imperfecta caritas. [d] *Qui enim perfectè novit, perfectèque amat juſtitiam, jam juſtus eſt.* [e] *Sed dum juſti non ſumus, minùs eam diligimus, quàm ut juſti eſſe valeamus.*

a *L. de gratiâ Chriſti n. 22.*

b *L. 2. in duas Epiſt. Pelag. cap. 9. n, 21.*

c *1. Joan. 4. 7.*

d *L. 9. de trinit. c. 5.*

e *L. 8. de trinit. c. 8.*

Ex his quæ hactenus obſervata ſunt; & quæ libenter omi-

ſiſſem, niſi me invitùm in quæſtionem hanc impuliſſet & adverſariorum importunitas & cauſæ ſuſceptæ ratio; non difficile eſt præcipuas Abbatis Germanici criminationes diſſolvere. Singulas tamen videamus, ne quid prætermiſiſſe videamur.

---

*PARS POSTERIOR.*

De ſingulis Analyſis Arnaldinæ propoſitionibus quas confixit Germanus Abbas.

## CAPUT VII.

*De prima propoſitione Arnaldi.*

ARnaldus initio Synopſis Analyticæ primùm admonet, Monachum, cujus refellendi causâ ſcriptus ab Auguſtino eſt liber de Correptione & Gratiâ, vera quædam de gratiâ Chriſti dogmata ad defenſionem erroris aſſumere.

1°. *Quòd ſine gratiâ nec decli-*

ſive imperfectæ proprius & proximus eſt, ut præcepta quemadmodum implenda ſunt, cum caritate impleantur. Ergo propoſitio Arnaldina ſic verti debuit, quemadmodum nos antea vertimus. Sed interpretationem neceſſariam (nam ſola reſpondet propoſitioni latinæ) diſſimulavit Abbas, ne deeſſet calumniæ materia & occaſio. Aliam planè diverſam ſubſtituit, ut propoſitioni ſanæ & catholicæ nota Janſeniana inureretur. Tanta eſt hominis in accuſatione graviſſimâ fides & ſinceritas.

Abbati diſplicuit fortaſſe definitio gratiæ Arnaldina: *gratia nihil eſt aliud, quàm inſpiratio dilectionis.* Idque ut credam eò faciliùs adducor quòd in totâ Epiſtolâ ſuâ non acriùs Benedictinos, quàm caritatem ipſam inſectari videatur. Annotationes enim omnes in quibus nominatur caritas, aut gratiam Chriſti

conſtituere dicitur, velut hoſtiles cuneos ſtylo ſuo configit. (Quod minimè miror. Nam cum caritas in Deum & proximum ſimul feratur, qui hunc odit, eique quantum poteſt nocet, caritati non poteſt non inimicus eſſe.) Auguſtinus tamen adverſus Pelagianos diſputans (patienter, obſecro, ferat Abbas) non aliam Chriſti gratiam agnoſcit, quàm inſpirationem caritatis, neque aliam opponit gratiæ Pelagianæ, id eſt, legi.

L. 4. contra duas Epiſtolas Pelagianorum n. 11. *Nuſquam*, inquit, *iſti inimici gratiæ ad eamdẽ gratiam vehementiùs oppugnandam occultiores moliuntur inſidias, quàm ubi legem laudant, quæ ſine dubitatione laudanda eſt. Legem quippe diverſis locutionum modis & varietate verborum in omnibus diſputationibus ſuis volunt intelligi gratiam, ut ſcilicet à Domino Deo adjutorium cognitionis habeamus*,

*quo quæ facienda ſunt noverimus:* NON INSPIRATIONEM DILECTIONIS, UT COGNITA SANCTO AMORE FACIAMUS, QUÆ PROPRIE GRATIA EST. *Nam ſcientia legis ſine caritate inflat, non ædificat.* Gratiam quatenus legi opponitur, & de qua cum Pelagianis diſceptabant Catholici, deſcribit hoc loco Auguſtinus, nec aliter omnino, quàm Arnaldus. Hic Chriſti gratiam negat eſſe aliud, quàm *inſpirationem dilectionis.* Ille gratiam, quam Eccleſia adverſus Pelagianos tuebatur, *propriè inſpirationem dilectionis* eſſe docet, quòd ſcientia ſine caritate vel noxia ſit vel inutilis. Res nihil aliud eſt, quàm quod propriè eſt. Ergo gratia, quæ, ut ab Auguſtino definitur, propriè eſt inſpiratio dilectionis, nihil revera eſt aliud propriè, quàm dilectionis inſpiratio. Addit ille, *ut cognita ſancto amore*

*faciamus.* Quæ verba planè reſpondent Arnaldinis, *per quam homines præcepta Dei ex caritate faciant.* Nam ut antè obſervavi: *per quam faciant*, idem planè eſt, ac *ut faciant.* Ita ex Auguſtino gratiæ Chriſti definitionem integram Arnaldus expreſſit.

Gratia propriè nihil eſt aliud, quàm id quo fit quidquid bene agitur, & ſine quo nihil boni fieri poteſt, quod pertineat ad pietatem, veramque juſtitiam. Ex Auguſtino, inſpiratione caritatis, ſive quod idem eſt, gratiâ caritatem inſpirante ſemper fit quicquid bene agitur, & ſine eâ nihil omnino boni fieri poteſt, quod ad pietatem, veramque juſtitiam pertineat. *Non haberemus*, inquit, [a] *unde illum diligeremus, niſi hoc ab illo, cum prior nos diligeret, ſumeremus. Quid autem boni faceremus, niſi diligeremus? Aut quomodò bonum non facimus, ſi diligamus? Etſi enim Dei manda-*

[a] *L. de gratiâ Chriſti cap. 26.*

*tum videtur aliquando non à diligentibus, ſed à timentibus fieri: tamen ubi non eſt dilectio, nullum bonum opus imputatur, nec rectè bonum opus vocatur: quia omne quod non ex fide eſt, peccatum eſt, & fides per dilectionem operatur. Ac per hoc gratiam Dei, quâ caritas diffunditur in cordibus noſtris per Spiritum Sanctum qui datus eſt nobis, ſic confiteatur qui vult veraciter confiteri, ut omnino nihil boni ſine illâ, quod ad pietatem pertinet, veramque juſtitiam, fieri poſſe non dubitet.* Ex Auguſtino igitur gratia propriè nihil eſt aliud quàm caritatis inſpiratio, ſive auxilium caritatem inſpirans.

In Epiſtolâ ad Julianum, quæ eſt inter cæteras 188. [a] ſcribit in libris Pelagianorum non reperiri gratiam illam, quæ ab Apoſtolo commendatur. Sed quid Apoſtolus commendat, ac docet? *Fidem, quæ per dilectionem operatur, antè quam & ſine quâ*

[a] *Epiſtol. 188. n. 13.*

*omnino nulla cujuſquam bona opera exiſtimanda ſunt, Deum unicuique partiri, nec ſolâ revelatione ſcientiæ*, quæ eſt gratia Pelagiana, *nos divinitus adjuvari, ut piè, juſtèque vivamus, quæ ſine caritate inflat, verùm etiam* INSPIRATIONE CARITATIS *ipſius, quæ plenitudo legis eſt, & quæ cor noſtrum ædificat, ut ſcientia non inflet.* Ubi ſolam inſpirationem caritatis opponit gratiæ Pelagianæ, hoc eſt, legi & doctrinæ. Ita paſſim in libro de gratiâ Chriſti & in aliis. Unde in lib. de gratiâ & libero arbitrio n. 37. de vera Chriſti gratiâ diſputans generatim pronunciat: *ſi non ex Deo* caritas Dei & Proximi, *vicerunt Pelagiani*: *ſi autem ex Deo, vicimus Pelagianos*, qui gratiam in lege, doctrinâ & exemplo Chriſti ponentes cætera à nobis eſſe arbitrabantur. Contrà Auguſtinus veram Chriſti gratiam in caritate, ſive in auxilio

caritatem inſpirante poſitam eſſe docet.

Nec aliam Chriſti gratiam Synodus Africana an. 418. conſtituit can. 5. adverſus Pelagium. Sed quid opus eſt pluribus? Chriſtus [a] legem univerſam ad duo capita, hoc eſt, ad amorem Dei & Proximi revocavit. Gratia, quam Chriſtus nobis morte ſuâ promeritus eſt, non eſt nuda utriuſque præcepti cognitio, quæ & in lege habebatur & à Pelagio admittebatur: ergo alia prorſus, quæ talis eſſe debet, ut per eam ſatisfacere poſſimus caritati Dei & Proximi, hoc eſt, legi univerſæ. Præcepto caritatis nemo ſatisfacit niſi diligendo: gratia igitur Chriſti, per quam ſolam præcepto caritatis Dei & Proximi ſatisfacimus, eſt auxilium dilectionem inſpirans, ſive ut Arnaldus loquitur, *inſpiratio dilectionis, per quam homines præcepta Dei ex caritate faciant*. Quæ

[a] *Matth.* 22.

poſteriora verba, ut ſæpe obſervavi, deſignant proprium finem gratiæ propterea dilectionem inſpirantis, ut præcepta divina ex caritate impleantur, quæ ſine caritate ſaltem inchoatâ impleri nullomodò poſſunt. a *Hæc enim præcepta dilectionis, id eſt, caritatis talia ſunt, ut quidquid putaverit homo facere bene, ſi fiat ſine caritate, nullomodò fiat bene.*

a L. de gratiâ & lib. arbitr. n. 37.

Ex his patet Arnaldinam gratiæ definitionem accuratam eſſe & Auguſtinianam: nec ab eo negari poſſe, qui & controverſiam Pelagianam novit, & à Pelagii doctrinâ, ut debet, alienus eſt, quam Auguſtinus refutavit; Eccleſia in pluribus Synodis proſcripſit; Chriſtus ipſe ad ſolam Dei & Proximi caritatem, quæ ex Deo eſt, legem univerſam revocans confixit.

Sed ſi gratia Chriſti nihil eſt quàm dilectionis inſpiratio, ut mandata ex caritate impleantur,

nonne conſequens eſt gratiæ interiori nunquam reſiſti, ut exiſtimavit Antijanſenianus Abbas?

Jam difficultatem occupavi. Dilectio, ſive caritas varios gradus habet. Eſt caritas magna, quæ cum opere ſemper conjungitur, eſt parva & imperfecta, quæ non conjungitur, qualis in Petro, antequam caderet, teſte Auguſtino [a] fuit. Omnis gratia Chriſti ſemper aliquid dilectionis inſpirat, [b] ut ſi nondum valeamus implere quod jubetur, addi nobis poſtulemus, unde præceptum impleatur. Arnaldina definitio nullum caritatis gradum exprimit: caritati imperfectæ convenit, ut perfectæ, nec magis uni quam alteri. Gratia Chriſti eſt auxilium caritatem inſpirans, per quam mandata impleantur, hoc eſt vel perfectam, quæ cum adeſt, mandata ſemper implentur: vel imperfectam, quæ tametſi ſola, niſi accedat ube-

a *Suprà n.* 33.

b *Ibid. n.* 37.

rior, præceptum non implet, ad implendum tamen per ſe nititur; animum præparat; urget ut vel impleamus, vel orando poſtulemus quod nobis deeſt, & nobis deeſſe ſentimus. Ideoque ſemper verum eſt caritatem illam imperfectam inſpirari, ut mandata impleantur: quamquam noſtrâ culpâ ſive arrogantiâ animi, ut in Petro, nonnunquam eſt inutilis.

Cæterùm ad probandam Arnaldi definitionem ex aliis Auguſtini libris teſtimonia potiùs aſſumpſi, quàm ex L. de Correptione & Gratiâ, quem Arnaldus potiſſimùm reſpexit; ne Abbatis tergiverſationibus locum darem. Nam quod Auguſtinus [a] *gratiam Dei per Jeſum Chriſtum, quâ ſolâ homines liberantur à malo, & ſine quâ nullum prorſus ſive cogitando, ſive volendo & amando, ſive agendo faciunt bonum: non ſolùm ut monſtrante ipsâ quid*

[a] *L. de correp. & gr. n. 3.*

*faciendum ſit ſciant; verùm etiam ut præſtante ipsâ faciant cum dilectione quod ſciunt:* appellat *inſpirationem bonæ voluntatis atque operis;* hoc Abbas [a] negat alteri convenire, quàm efficaciſſimæ. Locus tamen iſte; in quo omnia gratiæ Chriſti genera diſtinctè continentur, cogitationes bonæ, voluntas ſive amor boni, actio, & perfecta liberatio; ad refellendas Abbatis calumnias & probandam Arnaldi definitionem ſufficit apud æquos judices. Nam hæc omnia gratiæ genera cum Auguſtinus *inſpiratione bonæ voluntatis & operis* concluſerit; Arnaldus primum tantummodò membrum, quod & latiùs patet, & ad omnia gratiæ genera accommodari poteſt, hoc eſt, ad caritatem imperfectam, quæ cum opere nondum conjungitur, ut ad perfectam, quæ ſemper conjungitur, expreſſit: alterum omiſit minimè omiſſurus, ſi ut Ab-

[a] *In Epiſtolâ ſuâ P. 74. edit. colon.*

bati placet, non aliud voluit gratiæ genus, quàm efficaciſſimum & cum actione ipsâ ſemper conjunctum inducere.

Hactenus proprium ac verum propoſitionis Arnaldinæ ſenſum ſpectavi: nec tamen propoſitionem ipſam, ut ab Abbate vertitur, gratiæ ſufficienti nocere propterea conceſſerim. Id pleno jure ſumens Germanus noſter probat ſe Sophiſtam eſſe, non Philoſophum, pluſque ſe in declamationibus frivolis, quàm in uſu hominum & legibus rationis humanæ verſari ſolere. Quid enim frequentiùs occurrit & apud Philoſophos & apud cæteros homines, quàm definitiones rerum ſumptæ, ut vocant, ab actionibus ſpecificis? Homo definitur natura ſentiens & ratiocinans: Philoſophus, is qui rerum cauſas exquirit; concionator, qui Dei verbum in templis explicat & Chriſtianos ad virtu-

tem palam hortatur : Architectus, qui ædificiorum rationem diſponit : Latomus, qui exequitur : Muſicus, qui ad numeros canit ; ut alia id generis infinita omittam. Si quis definitiones iſtas idcirco reprehenderet, quòd nihil aliud, quàm actiones exprimant, eaſque nec perpetuas nec immutabiles : & quòd homo non deſinat eſſe, vel Architectus, vel Latomus, vel Philoſophus, Muſicuſve, aut Concionator, dum nihil agit ; is profectò rideretur velut ineptus & humanæ conſuetudinis expers. Ergo idem judicium ferendum eſt de propoſitione Arnaldinâ, vel de aliis quibus vulgò utimur, ut cum dicimus gratiam eſſe donum Dei quoddam gratuitum, per quod mandata Dei, ut par eſt, implentur. Tum enim, ut in ſuperioribus exemplis gratiam definimus per actionem ejus ſpecificam ; quæ eſt uſitata rerum

definiendarum ratio, magis Abbati Moliniſtæ probanda, cum de gratiâ agitur, quàm cæteris Theologis, cum ſufficientem ab efficace ſolâ Dei præſcientiâ diſcernant Moliniani, non re & naturâ; naturas quoque ſoleant exprimere, ut alii, per actiones ſpecificas. Nec magis ex iſtâ definitione concludi poteſt gratiam ſemper efficacem eſſe, quàm ex ſuperioribus hominem ſemper ſentire & ratiocinari: Philoſophum cauſas rerum ſemper exquirere; Muſicum ſemper canere; vel Architectum ſemper alicujus ædificii rationem deſignare & exequi Latomum; vel Concionatorem Chriſtianos in Templis perpetuò exhortari.

## Caput VIII.

### *De Arnaldi propoſitione ſecundâ.*

Secundam propoſitionem ab Abbate notatam, confixamque jam repræſentavi: *quod per*

*gratiam Deus in nobis operetur velle & perficere: unde conſequens eſt, eum gratiam non accepiſſe, qui nec vult, nec operatur.* Ita Arnaldus in loco quem nos antè produximus.

a In Epiſt. p. 138.

*At*, inquit Abbas, *ſi propoſitionem hanc uti certam ratamque habetis, veſtras notas tales eſſe conſiteor, quales eſſe debuerunt.* Quibus verbis inſinuat gratiam ſufficientem, quam maximè à Benedictinis labefactatam eſſe queritur, Arnaldi propoſitione violari. *Si* enim *gratiam non accepit, qui nec vult, nec operatur*: nulla igitur eſt gratia ſufficiens. Fuit iſta, ut opinor, Abbatis *præſtantiſſimi* ratiocinatio.

Sed quàm infelix ſit hominis indocti conjectura, facillimum eſt oſtendere. Nam ut in rigido verborum ſenſu, quem ſemper ille ſectatur, inhæreamus: propoſitionem poſſe integrâ, ſalvâque Thomiſtarum ſententiâ dam-

nari nego, qui ut ſupra obſervatum eſt ex Alvare, gratiam propriè ſufficientem nullam agnoſcunt, quæ rei agendæ voluntatem ſaltem imperfectam non inſpiret, nec largiatur. Ita apud eos *qui nec vult, nec operatur*, is nullam omnino gratiam, ſive ſufficientem, quâ bonum velle incipimus, ſive efficacem, quâ plenè volumus & agimus, accepit. Sic Abbas propoſitione Arnaldi damnatâ damnat ſimul Scholam Thomiſticam; Arnaldoque & Thomiſtis damnatis vel nudam rei cognitionem pro gratiâ ſufficiente admittit, quæ eſt opinio Pelagii refutata ab Auguſtino, rejecta à reliquis Patribus ac Theologis, proſcripta demum à Conciliis: vel gratiæ ſufficientis, ſive motionis genus quoddam invehit ridiculum & inſanum, quod in nobis ſit, nec ſentiatur tamen, aut percipiatur: ideoque prorſus inuti-

le, ſive ad volendum, ſive ad agendum.

Temerariâ & præcipiti cenſurâ non modò Scholam Thomiſticam Abbas, verùm etiam Auguſtinum ipſum confixit, cujus notiſſimum eſt illud: [a] *qui novit quod fieri debeat & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam, ſed ſecundum legem; non ſecundum ſpiritum, ſed ſecundum literam.* Et poſtea. [b] *Quando Deus docet non per legis literam, ſed per Spiritûs gratiam: ita docet, ut quod quiſque didicerit, non tantùm cognoſcendo videat, ſed etiam volendo apppetat, agendoque perficiat.* Multò minus Arnaldus dixit, quàm hîc ab Auguſtino dicitur. Arnaldi propoſitio: *qui nec vult, nec operatur, gratiam non accepit;* caritatem inchoatam, quæ cum bonâ voluntate ſemper ex Auguſtino conjungitur, nondum verò cum actione; nequaquam excludit: propoſitiones Auguſti-

[a] *L. de gratiâ Chriſti c. 13.*

[b] *Ibidem. c. 14.*

ni videntur excludere. Si ergo Janſenianus eſt Arnaldus, qui caritatem inchoatam non excludit; conſequens eſt, Auguſtinum multò magis Janſenianum fuiſſe, qui excluſit, ſi verba preſſiùs accipiantur.

Plus Arnaldo quoque ante Janſenium natum Lovanienſes fuere Janſeniani, qui in juſtificatione cenſuræ ſuæ cap. XI. a pluribus Auguſtini teſtimoniis confirmant gratiam Chriſti non eſſe *interiorem ſuaſionem & excitationem*, quam Pelagius admittens à proprio dogmate legis ac doctrinæ non receſſiſſe dicitur; ſed eam, *quæ perſuadet, ſecumque affert animi conſenſum & obedientiam*. b *Vult ergo Auguſtinus*, inquiunt, *in eo propriè definiri Chriſti gratiam, quòd ultra ſuaſoriam quamcumque excitationem ipſum etiam conſentire &* credere ſpecialiter operetur; nec in eo ſolùm quòd ſuadeat, verùm etiam

a *P. 170.*

b *Ibidem. P. 171.*

*ſicut apertiſſimè dicit, perſuadeat.* * *Ut inde ſit perſpicuum, neminem omnino, quantumlibet excitatum intus & foris, habere Chriſti præoperantem gratiam, de qua potiſſimum fuit cum Pelagio certamen, niſi credat atque conſentiat, nec ſuaſus ſolummodò, verùm etiam perſuaſus abſcedat. Unde & alio ejuſdem libri loco dicit:* [a] qui agnoſcit quid fieri debeat & non facit, nondum à Deo didicit ſecundum gratiam; ſed ſecundum legem; nec ſecundum Spiritum, ſed ſecundum literam. Hæc illi: quorum cenſuram & juſtificationem cenſuræ à Lovanienſium æmulis impugnatam Schola S. Thomæ velut ſuam acerrimè vindicavit, delatam ad Tribunal Pontificium Summus Pontifex abſolvit; & temerarios accuſatores penè damnavit. Quàm multò potiori jure damnandus eſſet propoſitionis Arnaldinæ reprehenſor Abbas, cujus accuſatio

*Ibidem. p. 172.

a cap. 13.

&

& Scholam S. Thomæ & Lovanienſes, reliquoſque Theologos, qui nova, heſternaque commenta reſpuunt, & Auguſtinum ipſum Eccleſiæ lumen petit!

Jam inutile eſt locum libri de Correptione & Gratiâ ſubtiliùs excutere, ex quo propoſitionem ſuam Arnaldus deprompſit. Legatur cùm caput quartum tum quintum, & conſtabit nihil Arnaldum dixiſſe, quod ex verbis Monachi objicientis & Auguſtini reſpondentis concludi non poſſit. Sed nihil id moror, cùm ea quæ nos antè diximus, ad propoſitionem Arnaldi probandam, vindicandamque pluſquam ſufficiant.

## Caput IX.

*De Arnaldi propoſitione tertiâ.*

*SI S. Auguſtinus ſufficientem illam gratiam agnoſceret, quã omnibus omnino lapſis hominibus dari contenduntTheologi quidam re-* Arnaldi verba.

*centiores , uno verbo ex hoc laqueo ſe expediret ,* * *concedendo ſcilicet*
» *propoſitionem* ſuperioris argumen-
» ti ( corripiendus non eſt quòd
» Dei præcepta non faciat qui gra-
» tiam quâ præcepta fiant, à Deo
» non accepit,nec eam ſibi ipſi dare
» potuit ) *& aſſumptionem negando*
» (cum præcepta non facio,gratiam
» quâ præcepta fiant, à Deo non
» accepi , hoc eſt, fidelem Dei &
» Proximi caritatem , quia cuicum-
» que caritas illa ineſt, neceſſe eſt
» ut inſit ei obedientia mandato-
» rum : nec eam poſſum mihi da-
» re , vel ſumere ipſe ) *eò quòd nullus ſit qui neceſſariam ad faciendum præceptum gratiam non acceperit , & qui proinde juſtè non corripiatur , ſi non fecerit.* * *Sed contrariâ prorſus viâ progreditur Auguſtinus.* *

Ea duntaxat, quæ Aſteriſcis concluſi, reprehendit Abbas ; cætera quæ Arnaldi quoque ſunt exhibuimus , ut id de quo a-

gitur Lectores intelligant.

Abbas ſtatim ſubjicit: [a] *S. Auguſtinus, Patres* Benedictini, *verbulum hoc pronunciavit dicendo; perſeverares ſi velles : quod quâ ratione à vobis corruptum ſit, in quarto Epiſtolæ meæ argumento pluribus oſtendi.*

a *In Epiſt. p. 138.*

De Gratiâ illâ ſufficiente recentium quorumdam Theologorum hîc ab Arnaldo rejectâ. quoniam fusè diximus, nihil neceſſe eſt plura hoc loco ſubjicere. Verba quæ antè repræſentavi & confixit Abbas, non aliud gratiæ ſufficientis genus deſignant, quàm Leſſianum & Moliniſticum, ſive id quod ita ſufficit, ut omnia prorſus quæ ad agendum neceſſaria ſunt complectatur. Sin hoc rejicere crimen eſt, crimen Arnaldo cum Thomiſtis omnibus, ac pleriſque Eccleſiæ Catholicæ Theologis commune eſſe non ignorat Abbas, niſi forte ſuorum libros tantum-

modò legit; quæ uſitata eſt Germanorum noſtri temporis conſuetudo. Gratia quidem pleniſſimè, hoc eſt, Leſſianè ſufficiens conceſſa eſt Adamo & Angelis, ut Arnaldus in Analyſi poſtea docet, & nos quoque pluribus Auguſtini teſtimoniis confirmavimus. Eamdem verò locum jam habere negat hîc Arnaldus, Auguſtinus ſimiliter negavit in L. de Correptione & Gratia n. 32. & 34. ut ſi gratiam ſufficientem Leſſianam, qualis in Adamo & in Angelis fuit, à noſtro ſtatu penitus excludere Janſenianum eſt, & Auguſtinus Janſenianus fuerit, & jam Thomiſtæ omnes Janſeniani ſint, qui eam non modò à ſtatu noſtro prorſus excludunt, verùm etiam à ſtatu primi Hominis & Angelorum: & Janſeniana denique ſit Theologorum pars major.

De Gratiâ verò ſufficiente quid Arnaldus antè & poſt decretum

Innocentianum ſenſerit, perſpicuum eſt. In Apologiâ pro SS. Patribus editâ an. 1651. biennio antequam decretum promulgaretur, ſententiam Thomiſticam à Lovanienſi, Duacenſi & ſuâ ſolo nomine diſtinguit P. 545. Poſtea verò, quàm promulgatum eſt decretum in diſſertatione Theologicâ, editâ 1656. nomen ipſum, ut à Thomiſtis intelligitur, non dubitavit admittere. *Poteſtatem*, inquit in præfatione, *actûs primi ſine gratiâ efficaci in omnibus generatim juſtis libenter admitto : ſpeciatim verò in juſtis volentibus & conantibus gratias excitantes, eaſque Thomiſtico ſensû ſufficientes* : ut alia id generis plurima omittam, quæ alio in loco jam exhibui. Quæ cum ita ſint & jam antè à nobis fuſiùs explicata, venio ad illud Auguſtini, *perſeverares ſi velles*, quod velut potiſſimum cauſæ ſuæ præſidium opponit Abbas.

Tantam ei ſententiæ vim ineſſe arbitratus eſt, ut biſdenas libelli breviſſimi paginas in eâ verſandâ, expoliendâque inſumpſerit. Ac ne quid deeſſet, [a] hiſtoriam, ſive fabulam adjunxit ex novo orbe nuper in noſtrum, opinor, advectam. Neque enim nos hactenus audieramus. Plurimos, igitur Auguſtiniano dogmate de gratiâ, ſine quâ nemo Chriſtianus efficitur & perſeverat, commotos eſſe ait: hos ut ſedaret, Auguſtinum tandem aliquando pronunciaſſe præclaram, pulcherrimamque ſententiam & ad omnes comprimendos motus hominum aptiſſimam: *O homo perſeverares ſi velles*: quæ Catholicis omnibus poſtea ſemper viſa ſit invictum habere gratiæ ſufficientis argumentū, propterea maximè quòd in medio libri gratiam efficacem validè adſtruentis locata eſſe videatur; argumentum verò uſque adeo ter-

a. *Ibidem. p. 41. & ſeq.*

ribile, ut Janſenius ipſe mortalium omnium audaciſſimus vim pertimeſcens omnino prætermittere maluerit, quàm reſponſiones ſuas hominum ludibrio exponere.

Dolendum maximè eſt & lugendum tam celebrem noſtri temporis Hiſtoriographum reliquas veteris hiſtoriæ partes non expoſuiſſe. Quanta mortalibus prodidiſſet, quæ hactenus latuere, atque ut veriſimile eſt, deinceps latebunt? Plurimos me audiſſe memini, qui Germanos ea ipſa quæ à cæteris omnibus cognoſcuntur, ignorare dicerent, & in antiquâ Eccleſiæ doctrinâ, hiſtoriâque parum verſatos eſſe, idque velut communi proverbio tritum haberi. Sed proverbium mendax in Abbate Germanico, qui res cæteris mortalibus incognitas in totius orbis conſpectu nuper expoſuit.

Sententia Auguſtini talis erat,

ut à nobis vix ſentiretur. Neſciebamus eam tantùm ſemper valuiſſe apud Catholicos omnes: vel ab Auguſtino propterea injectam eſſe, ut omnes hominum motus comprimerentur; vel argumentum, quod inde ad conſtituendam gratiam ſufficientem confici ſolet, uſque adeo terribile & invictum eſſe, ut vel ipſum terruerit Janſenium, quia locus extet non in angulo aliquo, ſed in libri medio. Hæc omnia nobis funditus incognita patefecit Abbas rerum antiquarum explorator curioſiſſimus: quis ſæculum noſtrum ei plurima debere, niſi ingratus ſit, inficiabitur?

Sed ea ſolet eſſe Gallorum ratio, ut ſe ab aliis ullâ in re ſuperari difficillimè patiantur. Si præclarum quid à Germanis, aliiſve nationibus inventum eſt, id ſtatim ſic expoliunt, perficiuntque, ut integram rei inventæ gloriam ſuo velut jure ſibi vindicare non

vereantur. Quod quidem hîc accidit, ut in pleriſque aliis. Nam auctor a Theſis Cadomenſis, quæ extat in appendice Hiſtoriæ Congregationis b de Auxiliis, invento Germanico tot nova, ſtupendaque adjecit, ut magis jam Gallicum, quam Germanicum eſſe videatur. *Deus itaque*, inquit, *providit per Chriſtum idonea omnibus media ſalutis conſequendæ, quibus ſæpe voluntas humana reſiſtit; ſcilicet Judæis, infidelibus, peccatoribus, obduratis, ipſis parvulis, ſeu paucorum dierum hominibus, ut loquitur Proſper, immò & abortivis.* HÆC FIDEI CHRISTIANÆ DOGMATA *propugnavit variis in locis S. Auguſtinus præſertim cum ait in libro de Correptione & Gratiâ cap. 7°.* O homo perſeverares ſi velles. *Hinc Catholicorum partes non ſatis tuentur, qui mentem S. Doctoris pravis interpretationibus alium in ſenſum detorquere conantur.*

a *13. Maii 1699.*

b *P. 198.*

Ecce unus ille eſt proculdubiò ex Catholicis, qui ab Abbate Germanico deſignantur, ſed longè acutior ac ſubtilior, quàm cæteri qui hactenus extiterant Catholici. *O homo*, inquit, *perſeverares ſi velles*: ergo nemo auxiliis ad perſeverandum ſi velit, neceſſariis & plenè ſufficientibus caret; ne Judæus quidem, nec infidelis, nec obduratus. Perſeverarent enim ſi vellent, iſte in juſtitiâ quam amiſit; illi in caritate quam numquam habuerunt. Deus bone! abortiva ipſa perſeveraſſent ſi voluiſſent; & quamvis per ætatem nihil omnino velle potuerint, omnibus tamen ad volendum & ad perſeverandum in eâ voluntate ſufficientibus auxiliis inſtruebantur. Hoc eſt concludere Catholicè, cum concluſio, in quâ nihil excipitur, latiùs patere non poſſit. Sed hunc mittamus, quem Catholicorum PHOENICEM me-

ritò appellare poſſumus. Ad Abbatem redeo.

Gratiam ſufficientem illè ex Auguſtini ſententiâ non modò concludit, verùm etiam certò & evidenter concludi contendit: ut qui non concludunt, Janſeniani & hæretici jure habeantur.

Cum duo ſint gratiæ ſufficientis genera, quæ toto Cœlo diſtant, Molinianum, ut vulgò appellatur, & Thomiſticum: antequam ultra progrediar, ex Abbate primùm quæro, qualem nos gratiam ſufficientem ex Auguſtini ſententiâ concludere jubeat, ut nec hæretici, nec Janſeniani habeamur: Molinianamne, an Thomiſticam?

Molinianam ego concludi poſſe nego. Neque enim gratia ſufficiens ad perſeverandum Moliniana ex loco objecto concludi poteſt, quam Auguſtinus in eodem libro palam & apertè rejecit. Molinianam verò in libro de

correptione & gratiâ palam & apertè rejici & jam ante confeci; & iterum duobus præſertim argumentis conficio.

Primum depromitur ex Auguſtini verbis, quæ jam antea citavi. [a] *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium* ſine quo, *jam pœna peccati eſt : quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum ; & tantò ampliùs datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit ſine quo non poſſumus, verùm etiam tantùm ac tale ſit, ut velimus. Fit quippe in nobis per hanc Dei gratiam in bono recipiendo, & perſeveranter tenendo non ſolùm poſſe quod volumus, verùm etiam velle quod poſſumus. Quod non fuit in primo homine. Unum enim horum in illo fuit, alterum non fuit.*

[a] *L. de correptione & gratiâ n. 32.*

Auxilium *ſine quo* eſt Moli[illegible]ticè ſufficiens, poteſtatem volendi & agendi pleniſſimam lar-

giens, non voluntatem & actionem, ut nos antè pluribus Auguſtini teſtimoniis confecimus: atqui ex Auguſtino, cujus ſententiam hîc repræſentavi, quibus jam datur pleniſſima illa perſeverandi poteſtas, iiſdem datur ſimul & actio: ergo nudum auxilium, *ſine quo*, ſolam agendi poteſtatem tribuens, eamdemque plenam & integram qualis Adamo fuit, & à Leſſio, omnibuſque Molinæ Diſcipulis admittitur, nullum jam locum habet.

Alterum ſumitur ex aliâ Auguſtini ſententiâ. [a] *Nam ſi in tantâ infirmitate vitæ hujus (in quâ tamen infirmitate propter elationem reprimendam perfici virtutem oportebat) ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus in eis operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ vo-*

[a] *Ibidem n. 38.*

*luntas ipſa ſuccumberet; & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent. Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.*

Auxilium Moliniſticè ſufficiens dat poteſtatem agendi pleniſſimam, uno verbo, quicquid neceſſarium eſt ad agendum complectitur. Auxilium, *ſine quo*, quale primo Homini conceſſum eſt, non daret jam poteſtatem hanc agendi pleniſſimam, nec quicquid neceſſarium eſt ad agendum complecteretur. Nam ut Auguſtinus bis repetit, illi quibus ſolum daretur; & in quibus *Deus non operaretur ut vellent*, quemadmodum nec in primo Homine, nec in Angelis operatus eſt; *perſeverare non poſſent* poteſtate utique plenâ & perfectâ: non eſſet igitur ſufficiens Moli-

niſticè. Ergo ex Auguſtino auxilium Moliniſticè ſufficiens nunc juſtis minimè perſeverãtibus non datur. Nam auxiliorum ad perſeverandum duo tantummodò admittit, primum *ſine quo* in Adamo quondam & in Angelis pleniſſimè ſufficiens; jam verò propter infirmitatem hominis tale, ut niſi Deus operetur velle, cum eo ſolo perſeverari non poſſit: alterum [a] *quo perſeverandi poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donatur.* Hoc ſolis datur perſeveraturis. Tale enim eſt, [b] *ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint*, qui accipiunt. Ergo juſtis minimè perſeverantibus ad ſummum reſtat auxilium, *ſine quo*, quod quale fuerit & quale jam eſſet, ex Auguſtino deſcripſimus.

a *Ibidem, n.* 38.

b *Ibidem, n.* 34.

Hinc nutat illa hiſtoriæ, ſeu veriùs dixerim, fabulæ Germanicæ pars, in quâ Abbas Auguſtinum pronunciaſſe ait, *perſeve-*

*rares ſi velles*, ut motus hominum ſedarentur. Nam vel Auguſtinus erat anguſti & mediocris ingenii, ſi tam levi ſententiâ, eâdemque intellectâ, ut ex ejus, quæ proximè ſequuntur, principiis intelligi debet: tam parum denique ad rem difficillimam idoneâ motus hominum comprimi poſſe exiſtimavit: vel hominum illius ætatis multò major erat facilitas, quàm noſtrorum, quàm Leſſii, quàm Molinæ, quàm utriuſque diſcipulorum omnium, quibus auxilium ſufficiens Thomiſticum (neque enim ab Auguſtino majus admiſſum eſt in noſtro ſtatu, ut certis argumentis effeci) nedum ſatisfacit, ut etiam plùs, vel certè non minùs incommodi videatur habere, quàm auxilii cujuſcumque privatio.

Reliqua fabulæ pars non eſt ſincerior. Nam ſuperiora Auguſtini ſcripta, & maximè ejus ad

Sixtum literæ paucos Monachos commoverant: liber verò de corrept. & gratiâ, in quo extat ſalutare Auguſtiniani dogmatis antidotum, *perſeverares ſi velles*, Maſſilienſes & Semipelagianos omnes commovit, ut remedium malo ipſo pejus fuiſſe videatur.

Triumphum Abbatis pluſquam ex parte dimidiâ profligatum exiſtimo. Gratiam pleniſſimè ſufficientem ex Auguſtini ſententiâ concludi non poſſe jam probavi, niſi Auguſtinus in eodem libro ſecum ipſe pugnare dicatur. Videamus ullane gratia ſufficiens concludi neceſſariò poſſit.

Gratiam ſufficientem hoc loco intelligo; non habitualem quæ ineſt in juſtis omnibus; ſed actualem quæ eſt inſpiratio bonæ voluntatis, ſive caritatis inchoatæ, nec ſatis adhuc validæ, quàm ut per eam vincatur reſiſtens cupiditas: quæque jam trito & communi nomine à Thomiſtis appel-

latur ſufficiens. Quando autem quæritur an ex objectâ Auguſtini ſententiâ neceſſariò concludi poſſit, tota eſt facti quæſtio. Jus enim ipſum non attingimus, an gratia illa nonnullis cadentibus juſtis aliquando deſit, cum nimiâ de propriis viribus ſecuritate, & arrogantiâ objecerunt gratiæ obicem, ut de Petro Noriſius docet, atque inprimis auctor Apologiæ Noriſianæ. a

a Janſeniani erroris calumnia ſublata P. 311. & ſeq.

Ex Auguſtini ſententiâ, *perſeverares ſi velles*, gratiam ſufficientem; qualem paulò antè explicui, hoc eſt, Thomiſticam concludi neceſſariò non poſſe facilè conficio.

Atque inprimis ſtatuo ſententias Auguſtinianas, in quibus *ſi volumus*, *ſi velint*, *ſi velles*, & ſi quæ ſunt alia id generis reperiuntur, conditionem voluntatis à Domino præparatæ tacitam includere; ut ſenſus ſit; *ſi Domino voluntatem præparante & ope-*

*rante volumus, velint, velles.*

Res exemplis confirmanda eſt. [a] *certum eſt*, inquit, *nos mandata ſervare ſi volumus, ſed quia præparatur voluntas à Domino, ab illo petendum eſt, ut tantùm velimus, quantùm ſufficit ut volendo faciamus. Certum eſt nos velle cum volumus: ſed ille facit, ut velimus bonum, de quo dictum eſt quod paulò antè poſui:* [b] præparatur voluntas à Domino: *de quo dictum eſt;* [c] à Domino greſſus hominis dirigentur, & viam ejus volet: *de quo dictum eſt:* [d] Deus eſt qui operatur in nobis velle. *Certum eſt nos facere cum facimus, ſed ille facit ut faciamus, præbendo vires efficaciſſimas voluntati.* Sic in primo retractationum: « [e] *quod verò dixi*: illud autem paſ- « cit pura corda eorum qui Deo « credunt, & ab amore viſibilium « & temporalium ſe ad ejus præ- « cepta implenda convertunt, quod « omnes homines poſſunt ſi velint: «

a *L. de Gr. & lib. arbitr. c. 16.*

b *Prov. 8. 35. ſecundum lxx.*

c *Pſ. 36, 23.*

d *Philip. 2. 13.*

e *L. 1. retract. cap. x. n 2.*

*Non exiſtiment novi hæretici Pelagiani ſecundum eos eſſe dictum. Verum eſt enim omnino omnes homines hoc poſſe ſi velint: ſed* præparatur voluntas à Domino, *& tantùm augetur munere caritatis ut poſſint. Quod hîc ideo dictum non eſt quoniam præſenti non erat neceſſarium* quæſtioni. Et in Epiſtolâ ad Anaſtaſium: a *orate pro nobis ut juſti ſimus; quod quidem homo non poteſt niſi norit & velit, & erit continuò qui plenè voluerit: ſed hoc ipſum in eo non erit, niſi gratiâ Spiritûs ſanetur, & adjuvetur, ut poſſit.* Mitto alia id generis plurima, in quibus conditio voluntatis à Domino præparatæ exprimitur ſuppreſſa in aliis. Cum autem in L. 1. Retract. palam & apertè ſignificet ſupplendam eſſe, ſi quando non expreſſit: ſupplenda igitur eſt in ſententiâ objectâ, ut ſenſus ſit: *perſeverares ſi* Domino voluntatem præparante & operante *velles*. Nam duo-

a *Epiſtol. 145. n. 8.*

bus potiſſimum Scripturæ locis, *præparatur voluntas à Domino*, &, *Deus eſt qui operatur in nobis velle & perficere*, ſolet conditionem ſupplendam exprimere.

Reſtat ut videamus jam quid apud Auguſtinum ſignificet *voluntatem præparare & operari*. Si enim hæc præparatio ſit gratia efficax, vel gratiæ efficacis opus, quid inde adverſus declamationem Abbatis conficiatur, omnibus facilè conſtabit.

Ut à libro de Correptione & Gratiâ primùm exordiar, auxilium *quo*, id eſt, per ſe efficax, ab auxilio *ſine quo*, id eſt, pleniſſimè ſufficienti Auguſtinus hâc maximè notâ diſcernit, quòd auxilium, *ſine quo*, daret homini & Angelo *poſſe*; Auxilium *quo* ipſum *velle* largiatur. [a] *Eis* Sanctis *non ſolùm dat adjutorium quale primo Homini dedit, ſine quo non poſſint perſeverare ſi velint; ſed in eis etiam operatur & velle*,

[a] *L. de correp. & gr. n. 38.*

*ut quoniam non perſeverabunt, niſi & poſſint & velint, perſeverandi eis & poſſibilitas & voluntas divinæ gratiæ largitate donetur. Tantùm quippe Spiritû Sancto accenditur voluntas eorum, ut ideo poſſint, quia ſic volunt; ideo ſic velint, quia Deus operatur ut velint. Nam ſi in tantâ infirmitate vitæ.... ipſis relinqueretur voluntas ſua, ut in adjutorio Dei ſine quo perſeverare non poſſent, manerent ſi vellent, nec Deus operaretur ut vellent; inter tot & tantas tentationes infirmitate ſuâ voluntas ipſa ſuccumberet; & ideo perſeverare non poſſent, quia deficientes infirmitate nec vellent, aut non ita vellent infirmitate voluntatis ut poſſent.* Mox ſubjicit adjutorium primo Homini conceſſum non fuiſſe tale, ut *in illo Deus operaretur ut vellet*. Ex quâ ſententiâ conſtat apertiſſimè, *Deum operari ut velimus*, idem Auguſtino eſſe, ac gratiam efficaciſſimam, ſive auxilium *quo* largiri.

In eodem libro: [a] *an audebis dicere etiam rogante Chriſto ne deficeret fides Petri, defecturam fuiſſe ſi Petrus eam deficere voluiſſet, hoc eſt, ſi eam uſque in finem perſeverare noluiſſet? quaſi aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet ut vellet. Nam quis ignorat, tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi quâ fidelis erat, voluntas ipſa deficeret; & permanſuram,* SI EADEM VOLUNTAS PERMANERET? *Sed quia* præparatur voluntas à Domino, *ideo pro illo non poſſet eſſe inanis oratio. Quando rogavit ergo ne fides ejus deficeret, quid aliud rogavit, niſi ut haberet in fide liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam voluntatem?*

a *Ibidem. n. 17.*

Non opus eſt hîc longo commentario. Auguſtinus diſtinctè & perſpicuè docet Chriſti pro Petro *voluntatem fortiſſimam, invictiſſimam*, perſeverantiſſimam poſtulantis orationem inanem eſſe non

potuiſſe. Cur verò? *quia*, inquit, *præparatur voluntas à Domino*. Ergo gratia efficaciſſima, qualis hîc deſcripta eſt, in hoc Scripturæ loco, tanquam in fundamento nititur, quod probandum aſſumpſeram.

Nec obſervare erit inutile notam Arnaldi, ac Benedictinorum in illud, *perſeverares ſi velles*, hoc eſt, inquiunt, *ſi eadem voluntas permaneret*, hoc Auguſtini loco egregiè confirmari. Nam manifeſtum eſt hæc ſuperioris ſententiæ verba, SI EADEM VOLUNTAS PERMANERET, nihil aliud eſſe, quàm ſi vellet: ut apud Auguſtinum, *ſi velles*, &, *ſi eadem voluntas permaneret*, idem prorſus ſignificare videantur.

Infinita ex Auguſtino loca produci poſſunt, in quibus illud Proverbiorum, *præparatur voluntas à Domino*, & illud Apoſtoli, *Deus operatur in nobis velle*, gratiam efficaciſſimam ſignificant. Sed ne

ne longior ſim, præcipua tantùm indicabo, ut l. 4. in Julianum n. 15. in epiſtolâ ad Vitalem 217. n. 5. l. de gratiâ & libero arbitrio cap. 16. quem locum antè repræſentavi: & alibi paſſim. Sic Auguſtini Diſcipulus Proſper in Epiſtolâ ad Rufinum cap. 5. *Quis ambigat*, inquit, *tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi, obediendique generaverit? Alioquin ſufficeret moneri hominem, non etiam in ipſo novam fieri voluntatem, ſicut ſcriptum eſt:* præparatur voluntas à Domino: *& ſicut ait Apoſtolus*, Deus eſt enim qui operatur in vobis velle & perficere, pro bonâ voluntate. *Pro quâ bonâ voluntate, niſi quam in ipſis operatus eſt Deus; ut quod donaverat velle, donaret & facere?* Locum Fulgentii apertiſſimum in libro de gratiâ Chriſti cap. 21. quia longiorem, prætermitto. Legi po-

Gg

teſt Canon quartus Conc. Arauſicani in eamdem ſententiam.

Quæ cum ita ſint, adverſus Abbatem ſic argumentari poſſumus. Ex Auguſtini ſententiâ, *perſeverares ſi velles*, gratia ſufficiens neceſſariò concludi non poteſt, ſi iſta vox, *ſi velles*, in quâ unâ Abbas nititur, ſemper apud Auguſtinum voluntatis à Deo præparatæ & effectæ conditionem tacitam includit: ſi præterea voluntas à Deo præparata & effecta gratiam apud eumdem ſignificat efficaciſſimã: atqui ea vox, *ſi velles*, apud Auguſtinum voluntatis à Deo præparatæ & effectæ conditionem tacitam ſemper includit; voluntas quoque à Domino præparata, vel effecta gratiam apud eumdem ſignificat efficaciſſimam: ergo ex Auguſtini ſententiâ, *perſeverares ſi velles*, neceſſario concludi non poteſt gratia ulla ſufficiens. Certa & manifeſta eſt prima propo-

ſitio. Membrum aſſumptionis utrumque certis & apertis Auguſtini teſtimoniis confirmavimus. Eſt igitur neceſſaria concluſio.

Jam verò ſi ex Auguſtini dicto concludi non poteſt gratia Molinæ ſufficiens, quam Auguſtinus ſæpe rejecit; ſi ne Thomiſtica quidem: quæro potueritne Arnaldus, ac deinde Benedictini vim ſententiæ objectæ commodiùs, & ad Auguſtini principia accommodatiùs exprimere, quàm his verbis, *perſeverares ſi eadem voluntas permaneret?* Quæ quidem verba ab Abbate gravi ſtylo confodiuntur, Auguſtinus tamen ipſe poſtea uſurpavit, cum res eadem, hoc eſt, Petri perſeverantia ageretur. *Quis ignorat*, inquit, fidem Petri permanſuram, *ſi eadem voluntas permaneret?* Quod idem eſt, ac *quis ignorat Petrum in fide perſeveraturum eſſe, ſi vellet?*

Abbas opponit duo: primum, *perſeverares ſi eadem voluntas permaneret*, idem prorſus videri, ac *perſeverares ſi perſeverares*, ideoque Auguſtinum, ſi à nobis explicatur, ut ab Arnaldo explicatus eſt, in tautologiam puerilem incidere. Alterum, ut juſto deficienti dicitur, *perſeverares ſi eadem voluntas permaneret*: ita infideli, qui de Evangelio nihil audiit, ſimiliter dici poſſe; *crederes ſi credendi voluntatem haberes*. Primum tamen Auguſtinus dici poſſe concedit, negat dici poſſe alterum.

Sed hæc utraque difficultas, in quâ plurimum inſiſtit Abbas, leviſſima eſt, tyronemque vix moraretur. Nam ut à primâ exordiar, quis vel tyro neſciat tautologiam in propoſitione nullam eſſe, cum propoſitionis termini rem eamdem exprimentes diſtinctas ideas, notioneſque ſubjiciunt: vel quod idem eſt, cum

attributum ideam explicatiorem exprimit, quàm ſubjectum propoſitionis : uno verbo cum ab idea generali & confusâ ducimur ad diſtinctam? Quamobrem nulla eſt tautologia, cum dicimus: *Homo eſt animal rationis particeps. Triangulus tribus lineis, totidemque angulis continetur.* Et, *perſeverare eſt in eâdem voluntate & propoſito manere.* Nulla eſt ergo tautologia cum dicimus: *perſeverares ſi in eâdem voluntate maneres* : vel cum Auguſtinus ait *fidem Petri permanſuram eſſe ſi eadem voluntas permaneret*; quia poſterior propoſitionis pars, *ſi in eâdem voluntate maneres*, continet ideam uberiorem & explicatiorem; ac præterea propriam defectionis cauſam inſinuat, quæ eſt voluntatis mutatio. Si enim juſtus perſeverat quoniam in eâdem voluntate manet, cadit igitur quia primam voluntatem mutat, eamque liberè deſerit, cum ne-

ceſſaria eſſe non poſſit voluntatis bonæ, vel malæ mutatio.

Venio jam ad alteram difficultatem, ſi tamen difficultas appellari debet. Nam quæ eſt proportio inter duas propoſitiones iſtas: *Tu qui & Fidem & Juſtitiam divinitùs acceperas, perſeveraſſes ſi in eadem voluntate permanſiſſes;* Et, *Tu qui Evangelium nunquam audiiſti, ac ſemper ignoraſti, credidiſſes ſi credendi voluntatem habuiſſes?* Eſt ne in unâ quidquam, quod ullâ in re cum alterâ comparari poſſit? Prima ſana eſt & legitimam reprehenſionem continet, quâ rectè utimur, cum quis priſtinam boni voluntatem mutavit in contrariam. Secunda nihil habet ſani, cum de re prorſus incognitâ nulla ſit, nec poſſit eſſe in alterutram partem voluntatis actio.

In eo igitur conſiſtit vitium comparationis, quòd vox, *ſi velles*, ineptiſſimè dicatur, cum nul-

lus poteſt eſſe voluntatis motus in alterutram partem: ut in exemplo propoſito, qui nullâ ſuâ culpâ de Evangelio nihil audiit, is nullomodò poteſt Evangelio incognito vel credere velle, vel credere propriè nolle. Ridiculè igitur diceretur, *crederes ſi velles, aut credendi voluntatem haberes.* Contrà cum quis Evangelium audiit, ſcienſque ac volens contempſit; non abſurdè dicimus, *crederes ſi velles.* Nec propterea neceſſe eſt, nihil ut ei defuiſſe credamus, quo fidem amplecteretur. Satis eſt eum propriâ culpâ auxiliis ad credendum neceſſariis carere. Quæ cauſa non accipiendæ gratiæ ſic occurrit in lapſis omnibus, ut ſi peccata ſingulorum, eademque liberrimè admiſſa ſpectantur, magis mirandum ſit cur gratiæ divinæ beneficia pluribus nihilominus conferantur, quàm cur negentur aliis. Similiter juſto propriâ culpâ

deficienti rectè dicitur, *perſeveraſſes ſi voluiſſes* : vel ut ſe ipſe Auguſtinus capite octavo interpretatur, *ſi in eadem voluntate permanſiſſes*. Quia ſive gratiam Thomiſticè ſufficientem habuiſſe, ſive eâdem caruiſſe ponitur: certum ſemper eſt eum, antequam penitùs deficeret, ac primam omnino voluntatem abjiceret, admiſiſſe aliquid liberrimè, quo factum deinde ſit, ut vel gratiâ privaretur propter voluntarium obicem, vel ut accepta, propter cupiditatem negligentiâ, culpiſque voluntariis auctam, fieret inutilis. Sic patet eorum qui de Evangelio nihil audierunt juſtiorem excuſationem videri, quàm juſtorum minimè perſeverantium; cùm iſtis propriâ voluntate & culpâ cadentibus dici poſſit: *perſeveraſſetis ſi in eâdem voluntate permanſiſſetis, quàm propriâ culpâ & liberè abjeciſtis* : non item infidelibus qui

de Evangelio nihil audierunt. Perſpicuum denique eſt, quàm infirma ſint duo argumenta, quæ ab Abbate proferuntur.

Ex his omnibus quæ hactenus diſputata ſunt, veriſſimum eſſe intelligitur id quod Arnaldus docet: Auguſtinum ad ſolvendam quæſtionem ſibi propoſitam, gratiæ ſufficientis ſubſidium non adhibuiſſe. Unica enim eſt in toto libro ſententia, *perſeverares ſi velles*, in quâ Auguſtinus, ut Abbati viſum eſt, gratiam ſufficientem inſinuaſſe videatur. Nullam verò gratiam ſufficientem, ne Thomiſticam quidem, hinc extundi poſſe confeci. Auguſtinus ergo ad ſolvendam quæſtionem, gratiæ ſufficientis ſubſidium non adhibuit. Quod ut apertius, manifeſtiuſque ſit, & quæſtionis & reſponſionis Auguſtinianæ totam rationem ſubjicio.

Argumentum, ſive quæſtio, quam Auguſtinus ſibi ſolvendam

proponit, ſic cogi poteſt: corripiendus minimè eſt is qui non acceptâ gratiâ per quam præcepta impleantur, non implevit: qui præceptum non implet, gratiam quâ impleatur, non accepit: ergo minimè corripiendus eſt. Ita Cap. 4°. & 6°.

Auguſtinus aſſumptionem concedit: [a] *quia ipſa obedientia munus ejus eſt, quæ neceſſe eſt ut ſit in eo cui caritas ineſt, quæ ſine dubio ex Deo eſt, & dat eam Pater filiis ſuis.* Negat primam propoſitionem: ideoque eos omnes corripiendos eſſe docet, qui Deo præcipienti non obediunt.

*a L. de corr. & gr. c. 9.*

Vel enim nondum regenerati ſunt, vel contrà regenerati.

Nondum regeneratos rectè corripi ait: quia Deus fecit hominem rectum, ipſe autem [b] *ex rectitudine, in quâ eum Deus primitus fecit, ſuâ malâ voluntate decidens pravus effectus eſt. An ideo pravitas iſta corripienda non eſt in*

*b Ibidem.*

*homine, quia non ejus propria qui corripitur, ſed communis eſt omnibus? immò verò corripiatur in ſingulis quod eſt omnium..... corripiatur ergo origo damnabilis ut ex dolore correptionis voluntas regenerationis oriatur: ſi tamen qui corripitur filius eſt promiſſionis, ut ſtrepitû correptionis forinſecus inſonante ac flagellante, Deus in illo intrinſecùs occultâ inſpiratione operetur & velle.* Ecce Auguſtiniana de non regeneratis reſponſio, in quâ nullum extat gratiæ ſufficientis veſtigium.

Quod ad regeneratum attinet: [a] *iſte non poteſt dicere, non accepi; quia acceptam gratiam Dei ſuo in malum libero amiſit arbitrio.* Qui ſi correptus reſipiſcit bene eſt; quamquam *ut correptio proſit, non niſi per Deum fit.* Sin ipſe corripi non vult: [b] *an poteſt dicere, quid ego feci qui non accepi; quem conſtat accepiſſe, ſed ſuâ culpâ quod acceperat amiſiſſe?*

[a] *Ibidem.*

[b] *Ibidem. n. 10.*

Objectio. a *Ibidem.* a *At poſſum dicere adhuc, quid ego feci, qui non accepi? Accepi enim fidem, quæ per dilectionem operatur: ſed in illâ uſque in finem perſeverantiam non accepi. An quiſquam dicere audebit iſtam perſeverantiam non eſſe donum Dei?*

Reſponſio. Auguſtinus concedit magnum eſſe Dei munus perſeverantiam; ideoque poſtulari à Deo quam Chriſtus pro Petro poſtulavit: negligendam nihilominùs non eſſe correptionem, b *ne fortè det illi Deus pœnitentiam & reſipiſcat de Diaboli laqueis. Neque enim nihil mali facit, qui bonum deſerit, & à quo declinare debet, inclinatur in malum non perſeverans in bono.* b *Ibidem.*

Hactenus ad ſolvendam quæſtionem, gratiæ ſufficientis ſubſidium non adhibuit. In reliquâ parte capitis ſexti probat perſeverantiam eſſe ſingulare beneficium Dei. Et cap. 7. ſtatim concludit: c *quæ cum ita ſint corripimus tamen eos qui cum bene vive-* c *Ibid. n. 11.*

*rent, non in eo perſeverarunt.* An quia gratiam ſufficientem acceperant? Hâc reſponſione; quæ noſtris Antijanſenianis numquam deeſt, quæque prima omnium ſemper occurrit, minimè utitur, ſed aliâ. a *Ex bono quippè*, inquit, *in malam vitam ſuâ voluntate mutati ſunt: & ideo correptione; & ſi nihil eis correptio profuerit, ſed in vitâ perditâ uſque ad mortem perſeverarint, etiam divinâ in æternùm damnatione ſunt digni.* Ecce reſponſio Auguſtini, in quâ nulla quoque extat gratiæ ſufficientis mentio. Quis niſi in rebus apertis & manifeſtis nihil videre velit, ſibi perſuadeat gratiam illam ſufficientem, qualis in Adamo fuit & in Angelis, eum agnoviſſe; aut ſi agnovit, hîc prætermiſiſſe, quæ tantâ facilitate quæſtionem difficillimam ſolvit?

a *Ibidem.*

Sequitur: b *nec ſe excuſabunt dicentes, ſicut modò dicunt, quare corripimur? Ita tunc quare dam-*

b *Ibidem.*

*namur, quando quidem ne ex bono reverteremur ad malum, perſeverantiam non accepimus, quâ permaneremus in bono? Nullo modo hâc excuſatione à juſtâ damnatione ſe liberabunt.* Nam ſi qui de Evangelio nihil audierunt, *à damnatione quæ facta eſt per Adam* non liberabuntur, quantò minùs qui perſeverantiam non acceperunt? *juſtior enim videtur excuſatio dicentium, non accepimus audientiam, quàm dicentium, non accepimus perſeverantiam. Quoniam poteſt dici: homo, in eo quod audieras & tenueras, in eo perſeverares ſi velles: nullo modo autem dici poteſt, id quod non audieras crederes ſi velles.* Hoc ſolum tanquam firmiſſimum cauſæ ſuæ præſidium urget Abbas, quamquam ſi ſingula diligentiùs inſpiciantur, nihil ei locus objectus favet.

Nam 1°. Auguſtinus ad ſolvendam quæſtionis propoſitæ primam partem de non regeneratis,

gratiæ ſufficientis operâ minimè uſus eſt, ut probant cùm ſuperiora quæ produximus, tum hæc ipſa juſti cadentis, & infidelis qui de Evangelio nihil audivit; comparatio. Tolerabiliorem hujus videri ait excuſationem, quàm illius cui dici poſſit, *perſeverares ſi velles*: non item alteri, *crederes ſi velles*. Si enim gratiam ſufficientem habet is cui dicitur: *perſeverares ſi velles*; neceſſe eſt ut careat is cui dici non poteſt, *crederes ſi velles*.

2°. Gratiam ſufficientem Moliniſticam, quæ ab efficaci non per ſeſe, ſive ex naturâ, aut decreto Dei, ſed ſolo eventu, vel voluntatis humanæ arbitrio ſecernitur; in alterâ Auguſtini ſententiâ, *perſeverares ſi velles*, minimè contineri, ex certiſſimis ejuſdem principiis confeci. Idem iterum ex totâ ſerie facilè conficio.

Statim apparet ſententiam ob-

jectam magis ab Auguſtino injici, quàm ad quæſtionem ſolvendam proponi. Juſtum enim cadentem rectè corripi affirmans, quoniam propriâ voluntate cadit; quæſtionem ſolverat. Atque hæc perpetua eſt directa Auguſtini reſponſio. Quòd verò infidelem Evangelium funditus ignorantem cum juſto cadente comparans ſubjicit, id velut indirectè & obiter, non ad quæſtionem ſolvendam proponit. Quamobrem hoc non urget poſtea, neque in eo inſiſtit, ut facere debuerat, ſi ad quæſtionem capitalem referebatur. Contrà confugit ad myſteria prædeſtinationis æternæ. Omnes in Adamo peccaſſe ait: à maſsâ damnatâ propriis meritis diſcerni neminem: eos omnes qui diſcernuntur, gratiâ ſolâ diſcerni, Evangelium aliquando audire & credere, & in fide ac in juſtitiâ divinitùs acceptâ perſeverare in finem; aut ſi

nonnunquam declinant revocari demum àc reſipiſcere. Juſtos verò temporales à maſsâ illâ perditâ, quæ ob peccatum unius juſtè damnatur, deſeriturve, nunquam ſecretos fuiſſe. Cur autem ex duobus juſtis uni detur perſeverantia, non detur alteri, ſe prorſus neſcire ait, nec aliud ſe habere quod reſpondeat, quàm illud Apoſtoli : *O altitudo.* Sin quis diſcrimen hoc rejiciat in liberum arbitrium, hunc ſtatim ut inimicum gratiæ Chriſti refellit. Nam Chriſtus Patrem rogans ut ne Petri fides deficeret, liberrimam, fortiſſimam, invictiſſimam, perſeverantiſſimam in fide voluntatem poſtulavit : & [a] *quia præparatur voluntas à Domino ; ideo pro illo Chriſti non poterat eſſe inanis oratio.* Ex quo conſequens eſt perſeverantiam, quæ precibus flagitatur, à Deo ſolo dari. Redit deinde ad juſtos temporales, quos Deus deſerit negato perſe-

[a] *Ibidem. n.17.*

verantiæ dono; dum ſceleratos aſſumit, & juſtitiæ primùm, tum perſeverantiæ munere conceſſo ad Regnum perducit. Loquitur poſtea de Chriſtianorum, juſtorumque filiis, quos ſine bapiſmate morientes, [a] *& quibus utique ſi vellet, hujus lavacri gratiam procuraret, alienat à Regno ſuo*, dum *quoſdam filios inimicorum ſuorum facit in manus Chriſtianorum venire, & per hoc lavacrum introducit in Regnum, à quo eorum parentes alieni ſunt*. Quæ adeo ſtupenda eſſe ait; ut rem attentiùs conſideranti nihil occurrat aliud, quàm illud Apoſtolicum, [b] *O altitudo, quâm inſcrutabilia ſunt judicia ejus!*

a *Ibidem. n. 18.*

b *Rom. 11. 33.*

Si ſententia objecta, *perſeverares ſi velles*, ſignificat gratiam ſufficientem, qualis à Molinâ, Leſſio, & omnibus utriuſque diſcipulis admittitur, quidquid antè & poſtea diſputat Auguſtinus, ineptiſſimum eſt, & rem per ſe

facillimam involvit. An objicienti Monacho juſtos cadentes corripi injuſtè, qui perſeverantiam non acceperint, ſimpliciter reſpondendum non erat, omnibus dari gratiam pleniſſimè ſufficientem, cadentibus ut perſeverantibus, quam ſola voluntas humana in iſtis fecit efficacem, otioſam ac ſterilem in cæteris: illos ergo juſtam mercedem accipere, iſtos pœnam debitam, nec habere unde querantur? Nihil ſimile apud Auguſtinum occurrit. Quæ ſententiam objectam ab Abbate Germano ſive antecedunt, ſive ſubſequuntur, hoc gratiæ Leſſianæ, Molinianæque genus penitus confodiunt. Quis ergo, niſi qui res apertiſſimas & maniſeſtiſſimas non ſentit, gratiam illam ſufficientem ex Auguſtini ſententiâ extundi poſſe affirmaturus eſt?

Sed elici fortaſsè poteſt gratia ſufficiens Thomiſtica?

1° Nihil id attinet ad propoſitionem Arnaldinam, quæ Molinianam ſolam, non Thomiſticam petit.

2° Ne iſtam quidem exlocutione Auguſtinianâ confici poſſe certis jam argumentis effeci. Accedit primam hanc, *perſeverares ſi velles*, cum alterâ n. 17. omnino congruere, in quâ de re eâdem agitur, hoc eſt, de perſeverantiâ. Ergo pro *perſeverares ſi velles*, ponamus, ut eſt n. 17. *perſeverares, ſi in eâdem voluntate, quam propriâ culpâ abjicis, permaneres*, rectè adhuc procedet Auguſtini comparatio, cum hoc dici nullo modo poſſit de infidelibus, qui Evangelium funditus ignorant. Perſpicuum verò eſt ex ſententiâ ſic intellectâ, ut auctore Auguſtino intelligi poteſt, gratiam ſufficientem, ſive Molinianam, ſive Thomiſticam neceſſariò concludi non poſſe, ut concedit Abbas. Vanæ ſunt igitur & ineptæ illius

declamationes, qui ſententiam aliter intelligi non poſſe nullo vel probabili argumento probavit. Cæterùm in hoc Auguſtini loco diutiùs verſatus ſum, quàm in cæteris quæ ab Abbate objiciuntur; quia nullus pariter eſt, in quo verſando plùs operæ & laboris poſuiſſe videatur.

## Caput X.

### *De Arnaldi propoſitione quartâ.*

SUb quæſtionis ſecundæ finem Arnaldus admonet, Auguſtinum cap. 6° ſibi objicere: *quomodò juſtè corripior, qui licet fidem acceperim in illâ tamen uſque ad finem perſeverantiam non accepi?* Eum verò, dùm reſpondet, confirmare id quod aſſumitur: hoc eſt, *magnum Dei munus eſſe perſeverantiam in bono proficientem uſque in finem; nec eſſe niſi à Deo, nec aliis dari, quàm iis qui perſeverant.* Hæc non eſt auſus repre-

hendere Abbas, ſed quæ proximè ſequuntur duriore adhuc ſtylo, quàm ſuperiora omnia confixit. *Juſtè tamen corripi contendit* Auguſtinus *quia non perſeverant, quia malâ ſuâ voluntate non perſeverant. Quòd autem perſeverantiam à Deo non accipiant, inde provenire, quia non ſunt ab illâ perditionis maſſâ, quæ facta eſt per Adam, divinæ gratiæ largitate diſcreti. Undè quod deſit adjutorium ſine quo in bono permanere non poſſunt, in pœnam peccati eſſe.*

„ Hæc propoſitio, inquit Abbas, „ totum novæ hæreſis virus inclu„ dit: eſtque veluti fundamentum „ plerarumque notarum veſtrarum, „ de quibus in Epiſtolâ meâ dixi.

Quoniam hæc propoſitio *totum novæ hæreſis virus continet*, conſequens eſt, ut una quinque propoſitiones damnatas contineat, aut contineatur in ſingulis: ergo Abbas, cui tantæ auctoritatis viro non credere nequa-

quam licet, ſingulas Janſenii propoſitiones in Arnaldi unicâ proculdubiò vidit, nullam tamen oſtendere dignatus eſt: ſive quia, ut doctioribus ſæpe accidit qui inventa ſua cum aliis difficillimè communicant, quod ipſe primus omnium viderat cæteris mortalibus invidit: ſive quia exiſtimavit quod ipſe vidiſſet id latere neminem. Ut ut ſit, fateor me obtuſiorem eſſe, quàm ut ullam è damnatis propoſitionibus in Arnaldi ſententiâ videre poſſim. Contrà ſic exiſtimo, ſic ſentio damnari eam non poſſe, quin doctrina Auguſtini ſimul damnetur; Eccleſia quoque, quæ, ut nuper à doctiſſimo Remorum Archiepiſcopo pluribus effectum eſt, prædeſtinationis gratuitæ dogma vindicavit ut ſuum.

Arnaldi ſententia tres propoſitiones diverſas complectitur. Ergo, ne quam fortaſſe à nobis prætermiſſam eſſe queratur Abbas,

ſingulas diſtinctè, breviter tamen excutiam.

Prima eſt: *juſtè* Auguſtinus *corripi contendit qui non perſeverant, quia malâ ſuâ voluntate non perſeverant.* Quid eſt in hac propoſitione Janſenianum? Eſtne Catholicus quiſquam, qui de eâ diſſentiat, aut diſſentire poſſit? Sin diſſentit Abbas (nam de ejus fide varias hominum opiniones eſſe video) exiſtimat ergo juſtum malâ voluntate ſuâ deficientem injuſtè corripi & injuſtiùs damnari. Quod ſi ita ſentit, probat ſe hæreticum eſſe, dum in fidei Catholicæ dogma, tanquam hæreticum invehitur. Sin aliter ſentit, ut ego credere malim: potuitne ſine ſummâ temeritate & offenſione publicâ propoſitionem Catholicam cōjungere cum duabus aliis, ut ipſe ait, hæreticis; & omnes promiſcuè ac generatim tanquam totum novæ hæreſis virus continentes inſectari?

Cæterùm

Cæterùm tota propoſitio eſt Auguſtini.[a] *Quæ cum ita ſint, corripimus tamen eos, juſtéque corripimus, qui cum bene viverent non in eo perſeverarunt. Ex bonâ quippè in malam vitam ſuâ voluntate mutati ſunt: & ideo correptione; & ſi nihil eis correptio profuerit, ſed in vitâ perditâ uſque ad mortem perſeveraverint, etiam divinâ in æternum damnatione ſunt digni.* Quæ propoſitio nihil differt ab Arnaldinâ.

a L. de correp. & gratiâ. n. 11.

Secunda eſt: *quòd autem perſeverantiam à Deo non accipiant, inde provenire* contendit, *quia non ſunt ab illâ perditionis maſſâ, quæ facta eſt per Adam, divinæ gratiæ largitate diſcreti.*

Impudentiam Abbatis pluſne mirer, an ignorantiam, neſcio, qui propoſitionem Auguſtino communem cum illuſtrioribus Eccleſiæ Catholicæ Theologis Janſenianam appellare non erubuerit. Veriſimile eſt hominem

non minùs temerarium, quàm indoctum ex paucorum illorum numero eſſe, qui prædeſtinationem gratuitam negant. Hanc enim quiſquis admittit, is quoque neceſſe eſt ut Arnaldi propoſitionem veram eſſe confiteatur. Perſeverantiæ donum neceſſariò cõjunctum eſt cum prædeſtinatione gratuitâ. a *Quis enim*, inquit Auguſtinus, *in æternam vitam potuit ordinari, niſi perſeverantiæ dono?* Qui ergo gratis eligitur ad gloriam, is quoque gratis deſtinatur ad perſeverantiam, quæ juxta S. Thomæ & communem Theologorum ſententiam non magis ſub meritum cadit, quàm prædeſtinatio. Ergo quoniam, ut Auguſtino & nobilioribus Eccleſiæ Theologis placet, qui non prædeſtinantur ad gloriam, ideo non prædeſtinantur quòd in Adamo omnium capite peccaverint: ſimiliter qui perſeverantiam non accipiunt, idcirco non ac-

a *Ibid. n.* 10.

cipiunt, quòd in Adamo peccaverint, nec à maſsâ perditâ, damnatâque per æternam prædeſtinationem ſint liberati.

Atque hæc eſt certa & aperta doctrina Auguſtini, qui duo docet cap. 7°. primum eſt, [a] *quicumque ergo ab illâ originali damnatione iſtâ divinæ gratiæ largitate diſcreti ſunt.... uſque in finem perſeverant, & ſi quando exorbitant, emendantur.* Alterum : [b] *qui verò perſeveraturi non ſunt, ac ſic à Fide Chriſtianâ & converſatione lapſuri ſunt, ut tales eos vitæ hujus finis inveniat ; proculdubiò nec illo tempore quo bene pièque vivunt, in iſtorum numero computandi ſunt. Non enim ſunt à maſſâ illâ perditionis præſcientiâ Dei & prædeſtinatione diſcreti, & ideo non ſecundum propoſitum vocati, ac per hoc nec electi.* Et antè. [c] *Ac per hoc & qui Evangelium audierunt, & qui eo audito in meliùs commutati perſeverantiam non ac-*

[a] *Ibidem, n. 15.*

[b] *Ibidem, n. 16.*

[c] *Ibidem. n. 12.*

*ceperunt, & qui Evangelio audito venire ad Chriſtum, hoc eſt, in eum credere noluerunt..... & qui per ætatem parvulam credere non potuerunt, ſed ab originali noxâ poſſent lavacro regenerationis abſolvi, quo tamen non accepto mortui perierunt: non ſunt ab illâ conſperſione diſcreti, quam conſtat eſſe damnatam euntibus omnibus ex uno in condemnationem. Diſcernuntur autem non meritis ſuis, ſed per gratiam Mediatoris.... Ab illâ perditionis maſsâ, quæ facta eſt per primum Adam, debemus intelligere neminem poſſe diſcerni, niſi qui hoc donum habet, quiſquis habet, quod gratiâ Salvatoris accepit.* Quibus in verbis Arnaldi propoſitio continetur. In primo enim loco cauſam perſeverantiæ non aſſignat Auguſtinus aliam, quàm gratiæ largitatem, quâ, quicumque perſeverant, à maſsâ perditâ, damnatâque ſegregantur: in cæteris verò cauſam, cur juſti;

qui tum etiam cum piè juſtèque vivunt, manent in maſsâ perditâ, damnatâque; perſeverantiæ donum non accipiant, unicam agnoſcit, peccatum commune originis.

Petavius qui in Auguſtini doctrinâ magis verſatus erat, quàm Germanus Abbas, de propoſitione Arnaldinâ planè convenit; & iiſdem penè verbis, ac Arnaldus, exprimit Auguſtini ſententiam. [a] *Auguſtinus L. de Correptione & Gratiâ cap. 7°. quòd aliqui in acceptâ juſtitiâ non perſeverant ei imputat, quòd à damnatione factâ per Adamum, & ab illâ conſperſione per electionem & prædeſtinationem liberati non fuerint. Sicut è contrario vocationem & perſeverantiam illis à Deo provideri, qui ex eâdem maſsâ eruti, electique ſunt.* [b] Obſervat poſtea negare Auguſtinum initio capitis VII. *eos qui vocati à Deo in acceptâ juſtitiâ non permanſerunt, excu-*

[a] *Tom. 1. L. 9. cap. vii. n. 3.*

[b] *Ibidem. n. 4.*

*ſationem ullam habituros, quòd donum perſeverantiæ non acceperint,*
„ *quia ſcilicet* non ſunt ab illâ conſ-
„ perſione diſcreti, quam conſtat
„ eſſe damnatam, euntibus omni-
„ bus ex uno in condemnationem.
„ Diſcernuntur autem non meri-
„ tis ſuis, ſed per gratiam Media-
„ toris. *Igitur Auguſtinus* PERSEVERANTIAM IDEO NEGARI *quibuſdam aſſerit*, QUIA NON SUNT ORDINATI AD VITAM ÆTERNAM, NEC AB ILLA MASSA SEPARATI: *concedi verò aliis, quoniam ab eâdem ſunt maſsâ divinâ prædeſtinatione ſecreti.* Ex quo Auguſtini principio concludit prædeſtinationem gratuitam; ſtatimque addit & illud: *ſic in eodem libro de Correptione & Gratiâ, cap. XI. adjutorium illud gratiæ, quo perſeverantia conſtat, ob peccatum originale ſubtrahi his*
„ *verbis aſſerit*: nunc autem quibus
„ deeſt tale adjutorium, jam pœ-
„ na peccati eſt: quibus autem da-

" tur, ſecundum gratiam datur, " non ſecundum debitum. Hæc ille qui cum Arnaldo planè conſentit. Nam propoſitio Petaviana: *Auguſtinus perſeverantiam ideo negari quibuſdam aſſerit, quia non ſunt ordinati ad vitam æternam, nec ab illâ maſsâ ſeparati; concedi verò aliis quoniam ſunt ab eâdem maſsâ divinâ prædeſtinatione ſecreti*: & Arnaldina; *quòd autem perſeverantiam à Deo non accipiant, inde provenire contendit* Auguſtinus, *quia non ſunt ab illâ perditionis maſsâ, quæ facta eſt per Adam, divinâ gratiæ largitate diſcreti*: idem omnino ſignificant.

Eamdem quoque propoſitionem reperias apud Franciſcum Macedo in libro de duplici adjutorio ſine quo & quo: a *ejus poſteri*, inquit, *quia non perſeverant, cauſam non perſeverandi habent in maſsâ, ex quâ non ſunt diſcreti, & poſſunt dicere non accepiſſe à Deo, quia ſunt relicti in* a Pag. 14.

*maſſâ perditionis*. Non dubito quin duorum Doctiſſimorum judicia unius Abbatis indoctiſſimi ſententiæ præferantur.

Ex his patet novam hæreſim non contineri in duabus primis propoſitionibus, quas & veras & Catholicas & Auguſtinianas eſſe probavi. Neceſſe eſt ergo, ut *totum novæ hæreſis virus* ab Abbate deprehenſum in tertiâ contineatur.

Tertia hæc propoſitio eſt: *undè quod deſit adjutorium ſine quo in bono permanere non poſſunt, in pœnam peccati eſſe* contendit.

Arnaldus hoc loco, ſi credimus Abbati, *totum novæ hæreſis virus* effudit, ac paucis verbis propoſitiones Janſenianas omnes expreſſit. Ego verò, ſi hoc verum eſt, conſequens eſſe, ut apud Auguſtinum, & apud Thomiſtas omnes *totum novæ hæreſis virus* contineatur, certis argumentis conficio.

Ut ab Auguſtino exordiar, nota eſt ejus ſententia, quam ſæpe exhibui. a *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt.* Quæ Auguſtini propoſitio nihil differt ab Arnaldinâ, niſi quòd in iſtâ legatur: *ſine quo in bono permanere non poſſumus*: in illâ; *tale*. Vox, tale, hîc neceſſariò referenda eſt ad id quod præceſſit. Exhibeamus igitur ea quæ præcedunt. Cum Auguſtinus dixiſſet datam eſſe primo homini bonam voluntatem, *& adjutorium ſine quo in eâ non poſſet permanere ſi vellet*; ſtatim ſubjicit: *ſi autem hoc adjutorium vel Angelo, vel homini, cum primùm facti ſunt, defuiſſet; quoniam non talis natura facta erat, ut ſine divino adjutorio poſſet manere ſi vellet, non utique ſuâ culpâ cecidiſſent: adjutorium quippe defuiſſet*, SINE QUO PERMANERE NON POSSENT. *Nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt.*

a *L. de correp. & gr. n. 32.*

Conſtat ex totâ ſerie & connexione orationis *tale adjutorium* eſſe id ipſum, cujus antè & proximè facta eſt mentio. Adjutorium, cujus antea mentionem fecit Auguſtinus, eſt illud ipſum quod Adamo & Angelis conceſſum eſt: adjutorium ſine quo non poterant permanere in bonâ voluntate, ut hîc & paſſim ab Auguſtino deſcribitur: adjutorium, cujus proprius caracter eſt, ut ſine eo nihil poſſit voluntas, & cum eo pleniſſimè poſſit. Nec quemquam adeo ſtupidum eſſe arbitror, qui ſuperiorem Auguſtini locum legens non ſtatim ſentiat vocem, *tale*, ad illud adjutorium *ſine quo permanere non poterant*, quod proximè anteceſſit, omnino pertinere, neque ad aliud referri poſſe. Quoniam ergo, *tale*, id apertè ſignificat, neque aliud ſignificare poteſt, poſſumus integrâ ſententiâ Auguſtinianam *talis adjutorii* definitio-

nem, quæ proximè antecedit, ſubſtituere : *nunc autem quibus deeſt tale adjutorium*, id eſt, *ſine quo in bona voluntate permanere non poſſunt, jam pœna peccati eſt.* Tota propoſitio eſt Auguſtini. Aſſignet bonus Abbas Auguſtinianam hanc inter & Arnaldinam, ſi poſſit, vel leviſſimum diſcrimen : aut confiteatur *totum novæ hæreſis virus* tam in Auguſtinianâ, quàm in Arnaldinâ contineri.

Idem conficitur ex verbis proximè conſequentibus : *nunc autem quibus deeſt tale adjutorium, jam pœna peccati eſt : quibus autem datur, ſecundum gratiam datur, non ſecundum debitum, & tanto amplius datur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, quibus id dare Deo placuit, ut non ſolùm adſit* SINE QUO PERMANERE NON POSSUMUS, *etiamſi velimus ; verùm etiam tantum ac tale ſit ut velimus.* Vox, *amplius*, &

cætera quæ ſequuntur, deſignant auxilium *quo*, hoc eſt, auxilium non modò poteſtatem pleniſſimam conferens, ut primum quod Adamo conceſſum eſt & Angelis, verùm etiam & voluntatem & actionem: ergo *tale adjutorium*, cujus paulò antè facta erat mentio, deſignat auxilium *ſine quo* manere in bono non poſſumus, quòd Auguſtinus quibuſdam ob peccatum negari ait; quibus verò datur, tantò amplius dari, ut non ſolùm habeant id ſine quo non poſſint, etiam ſi velint; verùm etiam id quo velint. Arnaldus ergo veram Auguſtini ſententiam expreſſit, nec damnari poteſt, quin damnetur ſimul is cujus doctrinam ſe ſequi & ſervare Romana profitetur Eccleſia.

Ex his omnibus duo concludimus: primum; Abbatem, ſi quis in homine perſonato pudor, erubeſcere debere, qui in eâdem

Eccleſiâ vivens ſub Arnaldi nomine Auguſtinum non dubitaverit totius novæ hæreſis reum facere: alterum, quod jam à pluribus animadverſum eſt, novarum opinionum ſectatores totis dudum viribus moliri & movere omnia, ut auctoritatem Auguſtini ſibi moleſtiſſimam imminuant; atque etiam, ſi poſſint, penitus extерminent. Primò Doctorem Eccleſiæ Romanæ præcipuum libris editis infamarunt, eique varias impoſuerunt hæreſes, quarum Catalogus extat aliquâ ex parte in Noriſianis Auguſtini vindiciis. Solidè poſtea confutati & auctoritate Eccleſiaſticâ repreſſi novas jam & occultas artes meditantur. Doctrinam Auguſtini, non in Auguſtino ipſo, neque enim hoc tutum eſt, ſed quotidie laceſſunt in diſcipulis; Magiſtri fidos interpretes velut Janſenianos inſectantur; omnibus convitiis lacerant & calumniis; & quia numquam

prodeunt niſi larvati, tutos ſe arbitrantur ab infamiâ publicâ, quæ tamen ipſa larvam plerumque detrahit, & auctores denudatos hominum ludibrio exponit. Quod magis miror, perſonatus Abbas ſe in ipſo libri limine Auguſtinianum eſſe profitetur & Auguſtini diſcipulum. Sed Auguſtinianam perſonam parum ſibi convenientem deponat quæſo, & abjiciat, ſub quâ non minùs coanguſtatur, quàm olim David, [a] cum arma Saülis bellica indutus eſt; multòque potiori jure dicere poteſt, *uſum non habeo.*

a 1. Reg. 17.

Venio jam ad Thomiſtas, qui nihil in ea re ab Arnaldo diſſentiunt; aut ſi quid diſſentiunt, tota in verbis, non in re eſt diſſenſio.

Auxilium *ſine quo* Adamus & Angeli in bono permanere non poterant, pleniſſimè ſufficiens fuit: poteſtatemque homini & Angelo contulit perfectiſſimam,

hoc eſt, omnia ad agendum neceſſaria complectentem; ut pluribus jam ex Auguſtino confeci, & Arnaldus in Analiſi cum Auguſtino ſenſit. Hoc gratiæ ſufficientis, poteſtatiſve genus è ſtatu noſtro tam Thomiſtæ omnes, quàm Arnaldus, rejiciunt, nec magis iſte, quàm illi: quod ſi Janſenianum eſt, par ergo & Arnaldi & Thomiſtarum crimen. Totum diſcrimen, quod inter eos intercedit, in ſolâ voce eſt, non in re. Nam Thomiſtæ admittunt nomen gratiæ ſufficientis & agendi poteſtatem conferentis, quæ tamen talis ſit, ut omnia ad agendum neceſſaria complectatur. Gratiam hanc & Arnaldus & omnes agnoſcunt. De ſolo nomine eſt, vel potiùs fuit, ut nos antè explicuimus, aliqua diſſenſio; quæ idcirco nullam hæreſim habet, cum hæreſis in re & ſententiâ ſit, non in vocabulis, vel in ſono.

Modus tamen loquendi Ar-

naldinus, quem Sophiſtæ noſtri jam ſolent rodere, extat apud Auguſtinum tum in eo loco, a quem paulo antè explicui : tum in aliis : ut cum de auxilio *ſine quo* diſputans b tantam hominum infirmitatem eſſe ait, ut ſi Deus auxilium *ſine quo* ſolum tribueret, nec velle operaretur, voluntas ſuccumberet, *& ideo perſeverare non poſſent*, utique illâ poteſtate pleniſſimâ, quæ quicquid neceſſarium eſt complectitur.

a *L. de correp. & gr. n.* 32.

b *Ibidem. n.* 38.

Eamdem quoque locutionem uſurpavit Franciſcus Macedo in libro, qui inſcribitur ; *mens Auguſtini de duplici adjutorio ſine quo & quo* p. 46. Nam rationem reddens, cur jam neceſſarium ſit auxilium *quo* ad perſeverandum : *Nec enim poſſet*, inquit, *hæc* natura humana *ſibi relicta cum ſolo auxilio ſine quo undique labans & fatiſcens perſeverare.*

# CAPUT XI.

*De Arnaldi propoſitione quintâ.*

ARnaldus in quæſtione Synopſis Analyticæ quintâ Auguſtinianam de gratiâ primi Hominis & noſtrâ ſententiam proponit : nec alia fere verba adhibet, quàm quæ ab Auguſtino ipſo uſurpantur. Locum integrum ſubjicio, ut innocentia rei faciliùs agnoſcatur, & accuſatoris iniquitas.

Primo homini & Angelis adju- «
torium à Deo datum eſſe *reſpon-* « Verb. Arna
*det Auguſtinus*, non quo perſeve- «
rarent, ſed tantummodò ſine *quo* «
perſeverare non poſſent. Perſeve- «
rare autem & non perſeverare in «
eorum libero relictum eſt arbitrio. «
Gratiam datam eſſe, quâ habe- «
rent juſtitiam ſi vellent, ſed quam «
Deus in eorum libero reliquit ar- «
bitrio. *Jam verò Sanctis* non tan- «
tùm tale adjutorium dari ſine quo «

» perſeverantes eſſe non poſſint,
» ſed ut per hoc non niſi perſeve-
» rantes ſint. Talem gratiam dari
» non tantùm ut habeant juſtitiam
» ſi velint, ſed etiam ut velint; id
» eſt, *talem gratiam dari, non quæ*
» *ex eorum libero dependeat arbitrio,*
» *ſed quæ eorum liberum ſibi ſubji-*
» *ciat arbitrium.*

Ea ſola quæ literis italicis deſcripſi, reprehendit Abbas.

*Quoniam*, inquit, *tanti facitis librum, in quo continetur hæc propoſitio, jam mirandum minimè eſt, cur tot artibus gratiam ſufficientem, quam Auguſtinus in ſtatu noſtro agnovit, occultaveritis.*

Tam vel felix, vel infelix eſt Abbas, ut quo Arnaldum configere conatur, eodem ſemper ſtylo confodiat & Thomiſtas omnes & Auguſtinum ipſum, hoc eſt, ut ipſe ait, [a] *Patrum omnium maximum & præſtantiſſimum*, cujus etiam [b] *ſtudioſiſſimum* ſe eſſe *diſcipulum* in primo libelli ſui limine

a *In Epiſt. p. 4.*

b *Ibidem. p. 3.*

profitetur. Nego hactenus extitiſſe diſcipulum vel feliciorem, ſi, ut plures exiſtimant, Magiſtri doctrinam velut hæreticam ſub Arnaldi nomine inſectari conſtituit: vel infeliciorem, ſi nolens ac neſciens inſectatus eſt. Nam ab eo ſub alieno nomine Auguſtinum peti conſtat. Quod ut faciliùs dijudicet lector, ſingulas Auguſtini & Arnaldi propoſitiones in columnis ſibi mutuò reſpondentibus ſubjiciam.

| AUGUSTINUS IN libro de Correptione & Gratiâ. | *ARNALDUS IN Synopſi Analyticâ ejuſdem Libri.* |
|---|---|
| N. 34. *Primo itaque Homini*, quem n. 27. 32. & 34. conjungit cum Angelis, *datum eſt adjutorium perſeverantiæ, non quo fieret ut perſeveraret, ſed ſine quo per liberum arbitrium perſeverare non poſſet.* | Primo homini & Angelis adjutorium datum eſt, non quo perſeverarent, ſed tantum modò ſine quo perſeverare non poſſent. |
| N. 37. *Ut perſeverare vel non perſeverare in ejus relinque-* | Perſeverare autem vel non perſeverare in eorum li- |

bero relictum eſt arbitrio.

*retur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas* &c. vide n. 31. & 32.

Gratia data eſt, quâ haberent juſtitiam ſi vellent, ſed quam Deus in eorum libero reliquit arbitrio.

N. 31. *Prima gratia, quæ data eſt primò Adam, eſt ut homo habeat juſtitiam ſi velit. Nec ipſum ergo Deus eſſe voluit ſine ſuâ gratiâ, quam reliquit in ejus libero arbitrio.*

Jam verò Sanctis non tantùm tale adjutorium datur, ſine quo perſeverantes eſſe non poſſint, ſed ut per hoc non niſi perſeverantes ſint.

N. 34. *Nunc verò Sanctis in Regnum Dei prædeſtinatis non tale adjutorium perſeverãtiæ datur, ſed talè ut eis perſeverantia ipſa donetur: non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verùm etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.*

Talis gratia datur, non tantùm ut habeant juſtitiam ſi velint. Id eſt talis gratia non quæ ex eorum libero dependeat arbitrio, ſed quæ illorum liberum ſibi ſubjiciat arbitrium.

N. 31. *Prima gratia eſt quâ fit, ut homo habeat juſtitiam ſi velit: ſecunda ergo plus poteſt, quâ etiam fit ut velit.* N. 38. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur. Fortiſſimo quippe dimiſit atque permiſit facere quod vellet, infirmis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent.*

Hoc propterea parallelum inſtitui, ut appareat convenientia propoſitionum Arnaldinarũ cum Auguſtinianis. Quod Auguſtinus in ſtatû integritatis & innocentiæ, idem Arnaldus admittit. Eodem quoque modo gratiam ſtatûs noſtri propriam ambo definiunt: nec plus ei tribuit Arnaldus, quàm ab Auguſtino tributum eſt.

Auguſtinianum gratiæ duplicis genus olim Semipelagianis, quòd hîc diſſimulare non debeo, vehementer diſplicuit; qui, ut Hilarius teſtatur, [a] *moleſtè ferebant ita dividi gratiam, quæ vel tunc primo homini data eſt, vel nunc omnibus datur,* [b] ut ille acceperit perſeverantiam, non quâ fieret ut perſeveraret, ſed ſine quâ per liberum arbitrium perſeverare non poſſet: nunc verò Sanctis in Regnum per gratiam prædeſtinatis non tale adjutoriũ perſeverantiæ detur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur;

a *In Epiſt. ad Auguſt. n. 6.*

b *L. de Correp. & grat. c. 11. & 12.*

» non ſolùm ut ſine iſto dono per-
» ſeverantes eſſe non poſſint, ve-
» rùm etiam ut per hoc donum non
» niſi perſeverantes ſint. *His verbis ſanctitatis tuæ*, ait Hilarius, *ita moventur, ut dicant deſperationem quamdam hominibus exhiberi. Si enim, aïunt, ita Adam adjutus eſt, ut & ſtare poſſet in juſtitia, & à juſtitia declinare; & nunc ita Sancti juvantur ut declinare non poſſint, ſi quidem eam acceperunt volendi perſeverantiam, ut aliud velle non poſſint*, inutilis planè eſt exhortatio. &c.

Nec minùs Antijanſenianis noſtris hodiè diſplicet, hoc eſt, iis omnibus qui gratiam ſufficientem ab efficaci diſtingunt eventû, non naturâ; voluntatis humanæ nutu & arbitrio, non motione & decreto Dei : nec plus homini lapſo concedi patiuntur, quàm Auguſtinus integro conceſſit, & Angelis. Nam duplicis auxilii, ut eſt à nobis antè explicatum,

diſtinctione ſemel admiſsâ cùm opinionem Molinianam profli-gati, funditusſque everti ſentiant, eos omnes à quibus admittitur, non ſecus ac hoſtes generis humani perſequuntur & in libris editis & in Theſibus. Diſcrimen duplicis gratiæ Lutherum & Calvinum invexiſſe clamant, ex quorum impuris fontibus Janſenius deinde hauſerit & expreſſerit, ut ex Janſenio quotquot poſtea veterem Auguſtini & Patrum doctrinam ſequi, quàm novorum Theologorum maluerunt; idque ſtultis perſuadere conantur. Audiendus eſt auctor Theſis Pariſienſis, 26. Feb. 1692. quam in tres columnas diviſit, Auguſtinum verò & hæreticos in extremis, Catholicos in mediâ locavit.[a] In primâ de ſtatû innocentiæ ſub titulo, *Hæretici*, hæc habet. *Calvinus & Lutherus, cæterique exinde novatores circa innocentiæ ſtatum in eo errarunt, quòd*

[a] *In Append. hiſt. de Auxil. pag.* 472.

*verba Auguſtini, adjutorium* quo *& adjutorium* ſine quo non, *ſic ſunt interpretati, ut adjutorium* ſine quo non, *quod volunt eſſe gratiam ſimilem illi, quam Scholaſtici ſufficientem vocant, Adamo uni datam fuiſſe contendant: adjutorium verò* quo *eſſe gratiam efficacem, quam Adamum non habuiſſe aïunt ad bene operandum.* Stephanum Dechapms & cæteros mitto, qui eodem modo loquuntur.

Sed inanes hominum conatus meritò contemnunt docti. Taceo de antiquioribus Theologis qui diſcrimen Auguſtinianũ duplicis gratiæ comprobarunt & iiſdem quæ nos antè plurima produximus, Auguſtini teſtimoniis confirmarunt. Taceo de Duacenſibus in cenſurâ ad aſſertion. 22. & de Lovanienſibus in cenſurâ ibidem & in juſtificatione cenſuræ cap. XI. p. 213. Recentiores aliquot proferam, ut Cardinalem Noriſium, qui in l. 1° hiſt. Pelag.

cap.

cap. 23. *hic Liber* de Corrept. & Gratiâ, inquit, *parvus mole eſt, ſed doctrinâ maximus, totus myſteriis refertus, univerſam divinæ gratiæ œconomiam oculis ſubjicit, ut jure merito aureus à doctiſſimis nuncupetur. Docet in eo ſapientiſſimus Antiſtes non eſſe electionem luti, ſed figuli... diverſam eſſe gratiam hominis innocentis & reparati; eſſe illam adjutorium quo fit, ut poſſimus bene agere ſi volumus; hanc verò reapſe facere, ut velimus. Unde una eſt adjutorium* ſine quo non; *altera, adjutorium* quo. *Iſtâ enim humana voluntas indeclinabiliter & inſuperabiliter agitur. Ego quidem hunc librum ſoleo appellare clavem, quâ ad univerſam Auguſtini de divina gratia & libero arbitrio doctrinam aditus aperitur. Quem ſanè Librum S. Proſper meritò* divinæ auctoritatis *in Epiſtola ad Auguſtinum nuncupavit.*

Cardinalis Brancatus de Laurea opuſculo tertio de gratiâ cap.

6. & 7. duplicis gratiæ diſtinctionem explicat iiſdem verbis ac Auguſtinus, noſtramque negat primæ jam eſſe ſimilem. Quod poſtremum repetit cap. 8. *Tertium quod docuit* Auguſtinus, *eſt quòd gratia, quæ pro ſtatu naturæ lapſæ eſt neceſſaria homini ad bona opera facienda, non eſt ſicut illa quæ data fuit Adamo in ſtatu innocentiæ, dicta* ſine quâ non, *ſubdita libero arbitrio illius, ut eâ uteretur ſi vellet, & quando vellet; ſed eſt potentior illa, quæ facit facere opera bona, non trahenda à libero arbitrio, ſed trahens illud alliciendo: & dicitur gratia* quâ. *Alioquin, inquit, non ſatis proviſum eſſet naturæ lapſæ, ut bene actû operaretur. Si enim Adam Sanctus, innocens, ſine paſſionibus, & tot divinis muneribus vallatus, eâ gratiâ* ſine quâ non, *uſus non eſt: quid faceret homo lapſus, debilis, tot defectibus ignorantiæ & concupiſcentiarum circumdatus? hanc ergo gra-*

*tiam docuit Auguſtinus neceſſariam ad bene operandum actu.* Quam Auguſtini doctrinam à Summis Pontificibus approbatam eſſe poſtea docet. *S. Romani Pontifices & collaudarunt & acceptarunt pro totâ Eccleſiâ Auguſtini doctrinam de gratiâ explicitè. Sed inter præcipua principia Auguſtini de gratiâ hoc eſt unum, ſcilicet de gratiâ* quâ, *ſeu de auxilio gratiæ* quo, *gratiâ nempe quæ facit facere; & ſatis non eſt pro naturâ lapsâ illa quam habuit Adam innocens, id eſt,* ſine quâ: *quia cum hâc tantùm natura lapſa non operaretur bona opera. Ergo hanc gratiam ſub nomine* quâ, *ſeu auxilio* quo implicitè *approbarunt Romani Pontifices.*

Antè iſtos & poſt decretum Innocẽtianum de Auguſtiniano ſtatuum diſcrimine latiſſimè diſputavit Franciſcus Macedo an. 1653. in libro qui inſcribitur : *mens Auguſtini de duplici adjutorio* ſinẽ quo & quo. Utriuſque auxilii diffe-

rentiam, ut antè eſt à nobis explicata, non modò, auctoritate libri de Correptione & Gratiâ, verùm etiam clariſſimis reliquorum fere omnium Auguſtini librorum adverſus Pelagianos teſtimoniis conſtituit: ut perpetuam & conſtantem ſanctiſſimi Doctoris ſententiam fuiſſe appareat; non fortuitam opinionem aliquam, quam ſubita potiùs & improviſa difficultas pepererit, quàm neceſſaria principiorum connexio.

a *Tom. I. L. 9. c. 7. n. 5. & 6.* His accedat Petavius, [a] qui duplex illud gratiæ genus ab Auguſtino poſitum eſſe docet, & idcirco in ſtatû naturæ lapſæ prædeſtinationem gratuitam eum admiſiſſe concludit. *Ex quibus* Auguſtini verbis in libro de Correptione & Gratiâ cap. XI. *liquet hoc inter Adamum in beato illo degentem ſtatû, & ejus poſteros intereſſe, quod ad perſeverantiam attinet, quòd cum neutri ſine gratiâ*

*perſeverare poſſent, talis homini primo gratia data eſt, quâ cum perſeverare poſſet ſi vellet, & ſine quâ non poſſet: ut autem vellet, nulla ei gratia conceſſa eſt; quia per liberum arbitrium id poterat, quod integrum & nullo vitio debilitatum acceperat. At illud quod per Chriſti merita tribuitur donum, non ſolùm dat poſſe ſi velint: ſed etiam velle quod poſſunt: & eſt tale ut eo dato nonniſi perſeverantes ſint.*

Fromondus in primam ad Timotheum cap. 2. 4. concedit datam eſſe primo homini *gratiam ſufficientem, per quam ſalvari poſſet ſi vellet, utendo illâ & reddendo illam efficacem per liberi arbitrii flexum & determinationem.* Longè aliter ſtatuit de ſtatû noſtro. *Multi Patres Græci ante Auguſtinum, & ipſe Auguſtinus adhuc juvenis, cum nondum correxiſſet ſuum errorem, quòd fidem habeamus à nobis, ſubintelligunt conditionem, Deum velle omnes ſalvos*

*fieri, ſi ipſi velint. Sed Auguſtinus poſtea vidit hoc repugnare efficaciæ quæ dat velle. Unde fruſtra dicitur, vult ſi homines vellent, cum hoc ipſum velle Deus debeat dare.* Addit & illud: fruſtra Deum orari, ſi quicquid neceſſarium eſt ad ſalutem omnes habeant. Denique gratiam per ſe jam efficacem eſſe, & prædeſtinationem gratuitam in ſuis paſſim commentariis docet.

Florentius de Cocq Tract. 2. cap. 7. ex Auguſtino ſcribit *primum amoris actum Deum indidiſſe Adamo per gratiam efficacem, non tantùm dando poteſtatem eum eliciendi, ſed eumdem in voluntate & cum voluntate eliciendo. Sequentes actus ſupernaturales & perſeverantiam in bono Deus dedit homini per auxilium mœrè ſufficiens, quo poſſet homo bene uti ſi vellet, non quo fieret ut vellet. Et in hoc conſiſtit famoſum S. Auguſtini diſcrimen adjutorii Adæ ab adjutorio*

*hominis lapſi.* Et poſtea. *Dicendum ergo juxta hanc Auguſtini doctrinam..... quòd gratia hominis lapſi indeclinabiliter voluntatem determinet, dans ipſum agere, ipſum velle ſalvâ tamen ejuſdem libertate. Gratia verò hominis ſani voluntatem non determinabat ad actum, ſed determinatio relinquebatur libero voluntatis arbitrio: nec dabat ipſum agere, ſed ſolùm poſſe agere.* In fine ſect. XIII. *ratione hujus Auguſtinianæ doctrinæ notatum velim, nimium affectum erga prædeterminationem Phyſicam, etiam viros in Auguſtino aliàs maximè verſatos & ejuſdem ſequaces eò deflexiſſe, ut famoſum allatum ex Auguſtino diſcrimen pernegarent, ſimul evertentes omnem gratiæ medicinalis œconomiam.* Denique Tract. 1°. cap. 4. ſect. 3. & 8. quod ex duplicis auxilii diſcrimine conſequens eſt, Angelorum & hominis innocentis prædeſtinationem fuiſſe ex meritis: ſect. 5. verò noſtram

omnino gratuitam eſſe docet.

Thomaſſinus L. 8. de Deo, Deique proprietatibus, cap. 2. n. 2. *gratia iſtiuſmodi & Angelis primùm conditis & Adamo ſtatim collata eſt, non quâ ad bonum indeclinabiliter agerentur; ſed quâ adjuti poſſent, ſi vellent, in acceptâ juſtitiâ perſeverare. Illo adjutorio gratiæ, quo non fiebat ut vellent, ſed ut poſſent velle in juſtitia perſeverare: hoc inquam adjutorio Angeli aliqui in juſtitia perſeverarunt, alii eo fruſtrato non perſeverarunt. Ex eo porrò id efficitur, ut Angelorũ, hominumque in primævo illo ſtatu prædeſtinatio non gratiæ eſſet, ſed meritorum; non miſericordiæ, ſed operum; non abſoluta, ſed ſuſpenſa ex voluntatis creatæ libertate verſatili.* Jam verò hominibus in Adamo lapſis, ut poſtea ſcribit n. 10. auxilium datum eſt, *non ſolùm ſine quo non poſſent, ſed etiam quo invictiſſimè fieret, ut vellent & ad juſtitiam regredi & in ea*

*uſque ad finem perſeverare.* Ex quo conſequens eſt, ut ille pluribus probat, gratuita lapſorum prædeſtinatio.

Joannes Baptiſta du Hamel in Theologiâ Pariſiis editâ an. 1691. eamdem ſententiam ſequitur. [a] L. 1°. de Providentia Dei, diſſert. 2. de Prædeſtin. cap. 3. concl. 1. *Angeli, inquit, & primi homines ſummam habuerunt bene agendi & in juſtitia perſeverandi facilitatem : unde conſultiſſimum fuit eos ſuæ poteſtati permittere. Nunc hominibus magna eſt ad deficiendum propenſio, ſumma in bene agendo difficultas..... Hoc igitur eſt diſcriminis inter Adamum & ejus poſteros; quòd cum neutri ſine gratia perſeverare potuerint, primo data fuerit gratia, quâ perſeverare poſſet ſi vellet, & ſine quâ non poſſet : at poſt lapſum data eſt gratia, quâ invictiſſimè vult perſeverare.* Dixerat antè, *naturam ægram & ſauciam ſibi jam permitti*

a *Tom. 1. p. 511.*

*non poſſe*, ut Adam, vel Angelus ſibi olim permiſſus eſt, *quin præceps in certum iret exitium*. Denique in eodem libro, diſſert. 3. de Reprobat. cap. 1. concl. 1. *Oſtenſum fuit ex Auguſtino*, inquit, *Angelos omnes eodem prorſus adjutorio donatos fuiſſe, ut perſeverarent ſi vellent, non quo fieret ut invictiſſimè vellent: æqualia adeò ex parte Dei Angelis & primis hominibus data eſſe auxilia, ex æquo omnes ad gloriam deſtinatos ſi vellent, & ad pœnam, ſi nollent in accepta permanere juſtitia* Apud alios Theologos quam plurimos & in publicis Theſibus doctrinam eamdē paſſim reperias; quæ omnia mitto, cum ad reprimendam noſtrorum Antijanſenianorum temeritatem & audaciam ſuperiora pluſquam ſufficiant. Ad Abbatem redeo.

Contendit ille propoſitione Arnaldinâ: *jam verò Sanctis..... talis gratia datur, non quæ ex eq-*

*rum libero dependeat arbitrio, ſed quæ illorum ſibi ſubjiciat arbitrium:* gratiam ſufficientem excludi; proculdubiò quia gratiam Sanctis perſeverantibus, ſive quod idem eſt, prædeſtinatis non aliam propoſitio videtur concedere, quàm efficaciſſimam: atqui Auguſtinus ejuſdem eſt particeps ſceleris. Neque enim propoſitio Arnaldina latiùs patet, quàm Auguſtiniana hæc: *nunc verò Sanctis in Regnum Dei per gratiam Dei prædeſtinatis non tale adjutorium* ſine quo non (quale Adamo conceſſum eſt & Angelis) *perſeverantiæ datur, ſed tale ut eis perſeverantia ipſa donetur, non ſolùm ut ſine iſto dono perſeverantes eſſe non poſſint, verum etiam ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint.*

Agit Auguſtinus de Sanctis prædeſtinatis: Arnaldus ſimiliter de Sanctis perſeverantibus, hoc eſt de ſolis prædeſtinatis, ut ejus verba, quæ malâ fraude ſince-

rus accuſator prætermiſit, ſignificant apertiſſimè. *Jam verò Sanctis non tantùm tale adjutorium datur ſine quo perſeverantes eſſe non poſſint, ſed ut per hoc nonniſi perſeverantes ſint..... id eſt, talis gratia, non quæ ex eorum libero dependeat arbitrio*, &c.

Arnaldus habet: *non quæ ex eorum libero dependeat arbitrio:* Auguſtinus verò, *non tale adjutorium perſeverantiæ*, cujus antè facta erat mentio; hoc eſt, auxilium ſine quo homo & Angelus perſeverare non poterant, & per quod pleniſſimè poterant. Hoc Auguſtinus & Arnaldus dicunt *pendere ex libero voluntatis arbitrio*, quemadmodùm plura ſuperioris paralleli loca confirmant.

Arnaldus addit: *ſed quæ liberum ſibi ſubjiciat arbitrium;* quo ſignificatur gratia per ſe efficax; id eſt, voluntatem ipſam certiſſimè efficiens ob ſupremam Dei in voluntates humanas poteſta-

tem, a *cui ſalvum facere volenti nullum hominum reſiſtit arbitrium. Sic enim velle, ſeu nolle in volentis aut nolentis eſt poteſtate, ut divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet, poteſtatem.* Auguſtinus: *ut per hoc donum nonniſi perſeverantes ſint.* Quo pariter ſignificatur gratia per ſe efficax: hoc eſt, ea per quam b *de ipſis hominum voluntatibus quod vult, cum vult, facit.* Aliis compluribus notis & vocibus ab Auguſtino deſignatur, quæ idem ſignificant, ut quòd per eam *voluntas inſuperabiliter, indeclinabiliter & invictiſſimè* moveatur: vel quòd c eadem gratia *à nullo duro corde reſpuatur, quia ideo tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur.* Si indeclinabiliter, ſi inſuperabiliter & invictiſſimè voluntatem agit: ſi de ipſis hominum voluntatibus quod vult & cum vult facit, quia velle ſeu nolle ita eſt in volentis & nolentis poteſtate, ut

a *L. de correp. & gr. n.* 43.

b *Ibidem, n.* 45.

c *L. de Præd. Sanct. n.* 13.

divinam voluntatem non impediat, nec ſuperet poteſtatem: ergo ipſa voluntatem ſibi ſubjicit, voluntati propriè non ſubjicitur. Ita ſi Arnaldi propoſitio gratiam ſufficientem excludit, neceſſe eſt ut pariter excludant Auguſtini quamplurimæ.

Quid ergo, inquiet Abbas? Aliudne in ſtatu noſtro auxilium agnoſcit Arnaldus, quàm *quo*, ſive per ſe efficax? Si aliud non agnoſcit, an gratiam illam cui reſiſtitur, excludere negandus eſt?

Ego viciſſim ab Abbate requiro, aliudne extet in toto libro de Correptione & Gratiâ, cujus doctrinã Arnaldus in Synopſi perſtrinxit? Ex unicâ Auguſtini ſententiâ, *perſeverares ſi velles*, gratiam ſufficientem ſuam, hoc eſt, Molinianam extundere conatus eſt Abbas: quàm verò infeliciter & inſcitè, jam vidimus, cum ne Thomiſtica quidem elici poſſit.

Sed homo imperitus in paucis

multipliciter peccare ſolet. Nam 1°. etſi Auguſtinus, Arnalduſque nullam aliam nunc propriè Chriſti gratiam eſſe dicerent, quàm auxilium *quo*, quod iſte in Analyſi non dixit: non eſſet idcirco conſéquens, nullam eſſe gratiam Thomiſticè ſufficientem cui reſiſtatur. Auxilium *quo*, ut pluribus antea confirmavi, non eſt ſemper ſimplex & unicum, contrà plerumque eſt dividuum ac multiplex, plureſque gratias complectitur quæ Thomiſticè ſufficientes dici meritò poſſint. Tametſi verò ſingulæ non efficiant vel converſionem animi, vel bonum opus ad quod per ſe nituntur, non propterea tamen ſunt inutiles. Cupiditatem enim imminuunt, cor ſenſim emolliunt, & locum præparant caritati; quod in plures annos & menſes ſæpe ducitur. Sic priores omnes magnum illud opus, ſenſimque promovent, quod demum perficit

poſterior. Cur autem quoſdã uno velut gratiæ impetu vel convertat vel ad fidem trahat, aut ad bonum opus aliquod: alios autem ſenſim & gradatim, & iſtorum alios ſic, aliter alios, non noſtrum eſt inquirere. Dei judicia quiſquis ſapit adorat, non temere ſcrutatur: ejus ſummam poteſtatem in voluntates humanas ſic agnoſcit, ut ſingularem ſimul in omnibus confiteatur ſapientiam. Quoniam ergo varios illos auxilii *quo* gradus & partes Auguſtinus agnovit, nunquam Arnaldus negavit, vel hinc patet criminationis Germanicæ vanitas.

2°. Cum Arnaldus gratiam Sanctis perſeverantibus, ſeu prædeſtinatis ad perſeverandum cõceſſam per ſe efficacem eſſe docet, nihil revera ſtatuit aliud, quàm quod & à Thomiſtis & ab illuſtrioribus Theologis ſtatuitur, hoc eſt, ab iis omnibus qui gratiam per ſe efficacem ad perſe-

verandum neceſſariam eſſe ſentiunt : neque enim aliam iſti prædeſtinatis, ſeu perſeverantibus dari ad perſeverandum arbitrantur. Rei ergo ſunt omnes Arnaldini ſceleris.

Cum Arnaldus gratiam prædeſtinatis datàm ad perſeverandum talem eſſe ait, ut ſibi ſubjiciat liberum arbitrium, non libero arbitrio ſubjiciatur, nihil quoque à Thomiſtis diſſentit, qui gratiam perſeverantiæ, ut omnem per ſe efficacem, libero arbitrio plenè dominari confitentur, ſubjici negant.

Quòd ſi *pendere ex libero arbitrio*, vel *ſubjici libero arbitrio* accipimus ut ab Auguſtino, Arnaldo & vulgo hominum accipitur : conſequens planè eſt ut nulla jam omnino gratia vel ex arbitrio pendere, vel libero ſubjici arbitrio rectè dici poſſit. Nam id libero arbitrio ſubjectum eſſe vulgò dicitur, quod ita ex vo-

luntate pendet, ut cauſa cur potiùs ſit, quàm non ſit, cur potiùs fiat, quàm non fiat, alia propriè nulla aſſignari poſſit, quàm voluntas. Talis fuit gratia Adami & Angelorum, quam Auguſtinus idcirco in eorum libero poſitam arbitrio [a] dixit, qui de noſtra longè aliter loquitur. Talis eſt gratia cùm efficax, tum ſufficiens Leſſii & Molinæ : Nam cum utraque quicquid neceſſarium eſt ad agendum æquè complectatur; cur iſta ſit ſterilis, illa efficax, cauſa neque in Deo eſt, neque in gratia, neque in ulla alia re, ſed in voluntate ſola.

[a] *L. de correp. & gr. n. 32. L. de Dono perſeverant. n. 13.*

Si vulgatam hanc notionem ſequamur, confitendum eſt gratiam apud Thomiſtas nullam exiſtere, quæ libero arbitrio ſubjecta dici propriè poſſit. Per ſe efficax voluntati plenè dominatur. Cur verò dominetur, nulla eſt alia cauſa, quàm decretum Dei definientis, non humana

voluntas. Eſt enim propterea tantummodò efficax, quoniam Deus voluntate abſolutâ decrevit; non quòd ita placuerit voluntati humanæ. Neque ſufficiens Thomiſtarum magis ſubjecta eſt libero arbitrio, quæ cùm effectum omnem divinâ voluntate conſtitutum ſemper habet: tum ut alios habeat, neceſſariò exigit aliquid quod non eſt in poteſtate noſtrâ, nempe decretum abſolutum & efficax.

Ex quo efficitur propoſitionem Arnaldinam, tametſi ſimpliciter & abſolutè à noſtro ſtatu gratiam omnem libero arbitrio ſubjectam excluderet, quam tamen perſeipſa non excludit; non aliter excludere, quàm ut excludunt Thomiſtæ: cum pendere ex libero arbitrio, vel voluntati humanæ ſubjici nihil Arnaldo ſit aliud; quàm aliquid ita pendere ex voluntatis humanæ nutu, ut cauſa cur fiat, potius quam non fiat alia nulla

propriè aſſignari poſſit, quàm voluntas.

## Caput XII.

### *De Arnaldi propoſitione ſextâ.*

» IN eâdem quæſtione quintâ
» hæc Arnaldus habet: quia
» primi hominis voluntas ſana erat,
» nihilque illi ex ſeipſâ concupiſ-
» centialiter reſiſtebat, hinc dignè
» tantæ bonitati & bene vivendi
» facilitati perſeverandi commiſ-
» ſum eſt arbitrium. Nunc verò
» poſteaquam eſt illa magna pec-
» cati merito amiſſa libertas, &
» ſub dominantis concupiſcentiæ
» jugo captiva voluntas jacet, ſub-
» ventum eſt illius infirmitati, ut
» divinâ gratiâ indeclinabiliter &
» inſuperabiliter ageretur. Fortiſſi-
» mo ergo dimiſit Deus, atque
» permiſit facere quod vellet, in-
» firmis ſervavit ut ipſo donante
» inviĉtiſſimè quod bonum eſt vel-
» lent, & hoc deſerere inviĉtiſſimè
» nollent.

Ex totâ propoſitione Arnaldinâ quæ reprehenderet, hæc delegit Abbas: *primi hominis voluntati.... perſeverandi commiſſum eſt arbitrium. Nunc verò... ſubventum eſt illius infirmitati, ut divinâ gratiâ indeclinabiter & inſuperabiliter ageretur.*

Ad hæc vir Auguſtinianus: *indicat hæc propoſitio*, inquit, [a] *cur cum* apud Auguſtinum *occurrit libertas indifferentiæ; ſoleatis ad marginem adſcribere :* liberum arbitrium quid ſecundum Julianum?

[a] *In Epiſtol. p. 140.*

Et nos hîc agnoſcimus in Abbate Germanico novum Auguſtini diſcipulum, ſed Judæ perſimilem, qui ut inſanæ cupiditati ſatisfaceret, Magiſtrum inimicis prodere non dubitavit. Tota hæc propoſitio, verba omnia, ſinguli apices non Arnaldi ſunt, ſed Auguſtini, quem perfidus diſcipulus in Arnaldo damnat ut hæreticum. Placet, ut ſupra fecimus, parallelum inſtituere.

| *ARNALDVS IN Synopſi Analyticâ ejuſdem Libri.* | AUGUSTINUS IN L. de Correptione & Gratiâ. |
| --- | --- |
| Quia primi Hominis voluntas ſana erat, nihilque illi ex ſeipsâ concupiſcentialiter reſiſtebat, hinc dignè tantæ bonitati & benè agendi facilitati perſeverandi commiſſum eſt arbitrium. | N. 37. *Vt ergo non acciperet... in bono perſeverantiam primus homo, ſed perſeverare, vel non perſeverare in ejus relinqueretur arbitrio, tales vires habebat ejus voluntas, cui.... nihil ex ſeipſo concupiſcentialiter reſiſtebat, ut dignè tantæ bonitati & tantæ bene vivendi facilitati perſeverãdi committeretur arbitrium.* |
| Nunc verò poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas & ſub dominantis concupiſcentiæ jugo captiva voluntas jacet. | *Nunc verò poſteaquam eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas etiam majoribus donis adjuvanda remanſit infirmitas.* |
| Subventum eſt illius infirmitati, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur. | N. 38. *Subventum eſt igitur infirmitati voluntatis humanæ, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.* |
| Fortiſſimo ergo dimiſit Deus, atque permiſit facere quod vellet; infir- | *Fortiſſimo quippe dimiſit Deus, atque permiſit facere quod vellet: infirmis ſervavit, ut ip-* |

| | |
|---|---|
| *ſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent: & hoc deſerere invictiſſimè nollent.* | mis ſervavit, ut ipſo donante invictiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere invictiſſimè nollent. |

Verba omnia propoſitionis Arnaldinæ, & verborum connexio; uno verbo quicquid ab Abbate reprehenditur, totum id ex Auguſtino expreſſum eſt. Nec vel una vocula eſt in propoſitione Arnaldinâ, quæ apud Auguſtinum non reperiatur. Ipſe dixit *voluntati primi hominis commiſſum eſſe perſeverandi arbitrium: nunc verò, poſteaquam magna illa eſt peccati merito amiſſa libertas, ſubventum eſſe illius infirmitati, ut divinâ gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur.* Hæc eadem repetens Arnaldus, quod apud Auguſtinum legebat reddidit, nihil protulit ex ſuo. Si ergo libertatem violant, Auguſtinus ipſe violavit, hoc eſt, ille cujus doctrinam de gratiâ & libero arbitrio

Romana ſequi ſe & ſervare profitetur Eccleſia.

Ferenduſne eſt in eâdem Eccleſiâ talis Abbas? qui ſi Abbatis dignitate, vel quam uſurpavit, vel quâ tam indignè abuſus eſt, tantummodò exuatur, eritne quiſquam, qui ſpectatâ gravitate criminis cum eo mitiſſimè agi non confiteatur? Neque indoctus Abbas; nam id hominis ignorantiæ tribuere malim, quàm perverſitati; ſolum Auguſtinum libertatis violatæ reum facit, verùm etiam inſigniores Eccleſiæ Theologos, hoc eſt, eos quos antè commemoravimus, ut Cardinalem Noriſium, Cardinalem Brancatum de Laurea & alios omnes qui de gratiâ primi hominis & noſtrâ cum Auguſtino conſentientes illa eadem verba uſurpant, quæ ab eo tam graviter notantur. Addo Thomiſtas omnes, qui Auguſtini voces, *inſuperabiliter, indeclinabiliter,*

*nabiliter*, *invictiſſimè*, ab Abbate Germanico confixas crebrò commemorant ad conſtituendam gratiæ per ſe efficacis vim ac potentiam.

Quo ſensû Auguſtinus voluntati primi hominis commiſſum eſſe perſeverandi arbitrium, nunc verò voluntatem infirmam *indeclinabiter & inſuperabiliter* agi dixerit, ex noſtris de gratiâ primi hominis & noſtrâ obſervationibus facilè cognoſcitur. Gratia primi hominis poteſtatem agendi pleniſſimam contulit Adamo & Angelis, non voluntatem ipſam agendi, vel actionem. Hinc Auguſtinus voluntati primi hominis arbitrium perſeverandi commiſſum eſſe docet: contrà gratia, quæ eſt ſtatûs noſtri propria, & quâ Sancti, hoc eſt, prædeſtinati perſeverant, non modò poteſtatem largitur, verum etiam voluntatem & actionem perſeverandi, eamdemque ſemper & certiſſimè: idcirco vo-

luntatem *invictiſſimè, inſaperabiliter & indeclinabiliter* agere dicitur, tametſi innatam diſſentiendi poteſtatem nihil lædit.

## Caput XIII.

### *De Arnaldi propoſitione ſeptimâ.*

ARnaldus ſub finem Synopſis Analyticæ his Auguſtini verbis ex libro de Correptione & Gratiâ n. 37. *placuit Deo, quo maximè humanæ ſuperbiam præſumptionis extingueret,* [a] ut non glorietur omnis caro coram ipſo. *Unde autem non glorietur omnis caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis? quæ quidem potuit habere, ſed perdidit, & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt per liberum arbitrium. Propter quod non reſtat liberandis niſi gratia liberantis:* proximè ſubjicit; non quod
» Sancti nunc merita non habeant;
» ſed merita gratiæ, non liberi ar-
» bitrii, id eſt, illis per gratiam
» liberum ſibi ſubjicientem arbi-

[a] 1. Cor. 1. 29.

trium collata. At primus homo «
merita habuiſſet, ſicut & habue- «
runt Angeli ſancti, non peculia- «
riter gratiæ, ſed liberi arbitrii, «
quia profecta à libero arbitrio à «
gratiâ quidem adjuto, ſed à gra- «
tiâ potentiam non actum & vo- «
luntatem ipſis tribuente. «

*Hoccine eſt*, [a] inquit Abbas ad Benedictinos, *propter quod in editione veſtrâ non indicaſtis Auguſtini ſententias effectum gratiæ vel impediri, vel ſaltem impediri poſſe teſtantes?* Quo ex pronunciato liquet Arnaldi propoſitionem ab Abbate propterea velut hæreticâ, Janſenianamque notari, quod diſſentiendi, ſive gratiæ reſiſtendi poteſtatem excludere videatur. Quoniam verò neque id diſtinctè exprimit propoſitio, neque confusè, neceſſe erat inprimis ut ab eo per conſequentias extunderetur. Sed alia fuit declamatoris noſtri ratio. Pleno jure maluit id tanquam certum

a *In Epiſtol. p. 141.*

& manifeſtum ponere, quàm argumentationes vel ridiculas, vel infirmas hominum ludibrio exponere.

Propoſitio Arnaldina ex binis conſtat partibus: quarum poſterior non aliam in primo Homine & in Angelis gratiam ſtatuit, quàm libero ſubjectam arbitrio, hoc eſt, talem, ut agendi poteſtatem pleniſſimam conferret, non actionem, voluntatemve cui ſubjiciebatur. Hanc propoſitionis partem proculdubiò non reſpexit Abbas: eſt enim cum ejus doctrinâ, principiiſque conjunctior, quàm ut ab eo repudiari poſſit. Si Arnaldus non aliam in ſtatu naturæ lapſæ gratiam agnoviſſet apud Auguſtinum, eſſet ille Abbatis judicio Catholicus & eximius Doctor. Ergo ad priorem propoſitionis partem reſpexit ille: *merita Sanctorum ſunt merita gratiæ, non liberi arbitrii, id eſt, per gratiam liberum ſibi ſubji-*

*cientem arbitrium collata.* Hæc ipſa propoſitio duo membra habet, quæ nihil inter ſe differunt, niſi quòd ultimum ſit clarius & apertius.: eſt enim primi explicatio. Ita ex his verbis: *jam merita Sanctorum per gratiam liberum ſibi ſubjicientem arbitrium conferuntur*; ut alio in loco appellat, *totum novæ hæreſis virus* expreſſit.

Ut verò exprimeret, ſic concludere debuit: merita Sanctorum gratiæ liberum arbitrium ſubjicienti accepta referre, idem eſt ac gratiam omnem cui reſiſtatur, vel certè poteſtatem reſiſtendi gratiæ Dei funditus evertere: Arnaldus in ſuperiori propoſitione omnia jam Sanctorum merita gratiæ liberum arbitrium ſubjicienti accepta referri oportere docet: ergo gratiam omnem cui reſiſtatur, exterminat; vel certè poteſtatem diſſentiendi gratiæ in Concilio Tridentino conſtitutam omnino tollit.

Sed quis tam abſurdè concludet, niſi vel homo impudens qui novas opiniones velut dogmata fidei Catholicæ nobis obtrudit: vel indoctiſſimus qui primam argumenti propoſitionem ab omnibus Theologis Catholicis; ſolos fere Molinæ ſectatores excipio; & ab omnibus Thomiſtis maximè qui omnia prorſus merita, ſive actiones bonas omnes ex gratiâ per ſe ſe efficaciſſimâ pendere docent, ſemperque docuerunt; negari ut falſam ignorat, & ut doctrinæ SS. Patrum contrariam? Ac meritò quidem negatur, cum inter duas propoſitiones iſtas: omnia merita ſunt gratiæ per ſe ſe efficacis munera; ergo nullum eſt aliud gratiæ genus quàm per ſe ſe efficax, meritaque conferens: nulla ſit vel tenuiſſima connexio.

Nec quemquam adeo vel dementem vel ſtupidum eſſe arbitror, ut in vocabulo gratiæ *libe-*

*rum arbitrium ſubjicientis* cavillari velit. Nam gratia per ſe efficax, & gratia *voluntatem, liberumve ſubjiciens arbitrium* idem prorſus ſignificant. Omnis gratia per ſe efficax, ut à Thomiſtis explicatur, & à ſanioribus Theologis, ideo tantummodò eſt efficax, quia voluntatem ſemper obtinet, ac per ſe ſubjicit ſibi: & ideo ſemper ac per ſe ſe ſubjicit, quia Deus à quo datur, ſupremam in voluntates humanas, ſive ut Auguſtinus & Thomiſtæ loquuntur, OMNIPOTENTISSIMAM cordium quocumque voluerit inclinandorum poteſtatem habet: cujus gratia idcirco dicitur omnipotens.

At verò omnipotens hominem cum gratia ſalvat; *Proſper in carmine de ingratis cap. 15.*
Ipſa ſuum conſummat opus, cui tempus agendi
Semper adeſt, quæ geſta velit; nec moribus illi
Fit mora; non cauſis anceps ſuſpenditur ullis.

Extat apud Franciſcum Macc-

do [a] locutio Arnaldinæ perſimilis. *qui gratiâ ſecundi generis juvabatur, quâ ageretur & moveretur ad operandum*, CUM VOLUNTATI SUBJECTA NON ESSET ; *nec ejus expectaret conſenſum, ſed eliceret, non poterat ſibi merita tribuere* ut potuerunt olim homo innocens & Angeli. Eadem locutio paſſim occurrit apud Thomiſtas, ut apud Alvareſium diſp. 87. n. 2. *auxilium efficax gratiæ*, inquit, *non ſubditur arbitrio, ſed illud ſibi ſubdit.* Thomaſſinum mitto, qui tom. 3. tract. 3. c. 17. gratiam voluntatis arbitrio NON SUBJICI pluribus concludit. Atque ut paucis omnia complectar, nihil uſitatius eſt apud Chriſtianos, quàm à Deo poſtulare, ut per gratiam voluntates noſtras ſibi ſubjiciat, eas domet, eiſque pleniſſimè dominetur. Nec aliud Eccleſia ſignificat, cum in oratione publicâ Deum rogat, [b] ut *noſtras rebelles ad ſe propitius com-*

a *L. de duplici adjutorio p. 49.*

b *Dominica quarta poſt Pentecoſten.*

*pellat voluntates.* Quamobrem nemo eſt niſi aut inimicus gratiæ Chriſti, aut in cònſuetis Chriſtianorum orationibus, Theologiciſve loquendi formulis peregrinus & rudis, qui poſſit vocem gratiæ *liberum arbitrium ſubjicientis* ab Arnaldo uſurpatam reprehendere.

Sed argumentum paulò aliter convertamus. Conſtat gratiæ liberum arbitrium ſubjicientis nomine nihil hîc intelligi aliud, quàm auxilium poteſtatem agendi largiens ſimul & voluntatem & actionem. Hoc ipſum propoſitionis ab Abbate noſtro confixæ verba ſignificant: ubi gratiæ liberum arbitrium ſubjicienti non alia opponitur, quàm quæ primo Homini data eſt ſolam *poteſtatem* largiens, *non voluntatem*, *neque actionem*. Ergo gratia liberum arbitrium ſibi ſubjiciens, & gratia voluntatem ipſam largiens & actionem apud Arnaldum reci-

procantur. Quæ cum certa ſint & manifeſta, ſic argumentari poſſumus.

Ex Abbate Germanico quiſquis Sanctorum merita gratiæ ſubjicienti liberum arbitrium, id eſt, voluntatem ipſam largienti ſimul & actionem accepta refert, is poteſtatem diſſentiendi gratiæ funditus exterminat, Janſenianus denique eſt, & ideo pluſquam hæreticus: atqui omnes Eccleſiæ Catholicæ Theologi, præterquam Moliniſtæ, omnia Sanctorum merita gratiæ liberum arbitrium ſubjicienti, hoc eſt, poteſtatem largienti ſimul & voluntatem & actionem accepta referunt, quoniam ut Apoſtolus docet, a *Deus in nobis operatur & velle & perficere*, idque ut Deus agat in nobis & Eccleſia in orationibus publicis contendit, & nos quoque in privatis contendimus; quæ uſitata eſt Auguſtini & reliquorum Patrum argumentatio: ergo

a *Philip.* 2. 13.

omnes Eccleſiæ Catholicæ Theologi poteſtatem diſſentiendi gratiæ, vel certè gratiam cui reſiſtatur, funditus exterminant; Janſeniani denique ſunt & ideo pluſquam hæretici. Soli contrà Moliniſtæ merita Sanctorum gratiæ libero ſubjectæ arbitrio, hoc eſt, ſolam poteſtatem largienti, non voluntatem, nec actionem, accepta referentes poteſtatem diſſentiendi gratiæ retinent, ſoli denique non ſunt Janſeniani, & ſoli idcirco Catholici, & pluſquam Catholici.

In concluſionem hanc inſanam & ridiculam, quæ vel ſola ad abſolvendos noſtrorum Antijanſenianorum adverſarios ſufficit, omnia Abbatis argumenta collineant; quemadmodùm & tot infelices libelli, qui maximo Eccleſiæ ſcandalo quotidiè ſparguntur in vulgus ad infamandam mortuorum memoriam & vivorum famam. Sed artes & doli

jam ſentiuntur , & in re graviſſimâ ſibi turpiter impoſitum eſſe ſapientes jam intelligunt : & tandem aliquando fore ſperamus , ut oculi cæterorum aperiantur.

Antequam Abbatem dimitto, juvat iterum inquirere, an Arnaldi propoſitio conſentanea ſit Auguſtini principiis. Sed res jam penè confecta eſt, cum de Auguſtiniano gratiæ primi Hominis & noſtræ diſcrimine diſputavimus, hoc eſt, de Auxilio *ſine quo*, & de Auxilio *quo*, quorum primum ſolam agendi poteſtatem homini integro contulit, ut Angelis, eamdemque pleniſſimam : alterum non modò poteſtatem, verùm etiam voluntatem & actionem largitur. Addit & illud Auguſtinus in fine capitis undecimi n. 32. *quid erit autem liberius libero arbitrio, quando non poterit ſervire peccato, quæ futura erat homini, ſicut facta eſt Angelis ſanctis, merces meriti ? Nunc au-*

*tem per peccatum perdito bono merito, in his qui liberantur factum eſt donum gratiæ, quæ merces meriti futura erat.*

Quid eſt in propoſitione Arnaldinâ, quod non contineatur in iſtâ & in aliis de utriuſque gratiæ diſcrimine? Arnaldus ex Auguſtino docet merita Sanctorum jam eſſe peculiari modo merita gratiæ non liberi arbitrii, contrà ac in Angelis. An hoc Auguſtinus non affirmat diſtinctè, dum ait confirmationem & impeccantiam Angelorum fuiſſe in Angelis Sanctis, & futuram fuiſſe in homine ſi perſeveraſſet, mercedem meriti: nunc verò perdito bono merito, in his qui liberantur factum eſſe donum gratiæ, quod alioqui fuiſſet præmium meriti; quia ut ipſe paſſim aſſeverat, merita noſtra ſunt dona gratiæ illius, *quæ operatur in nobis velle & perficere,* quæ voluntatem *indeclinabiliter & inſuperabiliter* agit; cum meri-

ta Angelorum contrà ex gratiâ libero arbitrio ſubjectâ fluxerint, hoc eſt, tali ut pro ſolo voluntatis nutu eſſet in aliis efficax, ſterilis in aliis. Neque enim ob aliam rationem aliter loquitur Auguſtinus de meritis Angelorum, aliter de noſtris, ut tota propoſitio Arnaldi ſit veluti ſumma Auguſtinianæ doctrinæ. Neque ab Arnaldo ullâ in re diſſentiunt, qui Auguſtinianum utriuſque gratiæ diſcrimen profitentur, quos antea & plurimos & doctiſſimos produxi. Ex his omnibus quæ ad defenſionem Arnaldinam allàta ſunt, jam luce clariùs patet, eodem ſtylo quo Arnaldus configitur, & Auguſtinum configi & nobiliores Eccleſiæ Catholicæ Theologos.

## CAPUT ULTIMUM

*Et totius libri concluſio.*

SEptem propoſitiones, quas iniquiſſimè notatas vindi-

cavimus, præclara ſequitur Abbatis *præſtantiſſimi* peroratio. *Sic-cine*, inquit Benedictinos alloquens, *Arnaldum in omnibus ſectamini, Arnaldum ſtrenuum illum Janſenii vindicem, Romæ toties notatum; & cujus, ut ne quid gravius dicam, adeo ſemper fuit ſuſpecta fides?*

Crede mihi, Abbas, non iſta te decet oratio. Et accuſatorem, & eos quorum cauſam agit, ab omni crimine ac maculâ puros eſſe neceſſe eſt, ne quam ipſe adverſus alterum inſtruxerit, eadem in ſe & in ſuos convertatur accuſatio. Arnaldum Romæ notatum eſſe narras; quamquam ad id confirmandum nihil profers. Ergone accuſatores Arnaldi ſæpiſſimè confixos eſſe & quotidiè cùm à ſummo Pontifice, tum ab Epiſcopis configi jam oblitus es? Fidem Arnaldi ſuſpectam objicis, an adverſariorum damnatam ignoras? Vides tuâ impru-

dentiâ campum mihi apertum eſſe dicendi maximum, ut ſi te imitari velim & criminationes criminationibus diluere, tui perfacilè obrui poſſint. Nam ſi quid ſapis, ſentis profectò quàm fœcunda ſit rei Caſuiticæ hiſtoria, quàm ingrata tuis, quàm Arnaldo, ut Eccleſiæ univerſæ felix, in quâ præcipuas ille partes egit. De re tam amplâ dicenti materia deeſſe non poteſt: orbis uterque tot facta ſuperioribus ſæculis inaudita, tot nova & portentoſa dogmata ſuppeditant, ut ad excitandos vel audientium, vel legentium animos nullâ arte opus ſit: ſufficit nuda & ſimplex narratio. Iſta ergo omitte & miſerere tuorum, quos ſimilis imprudentiæ non ſemel pœnituit. Sin tuos deſpicis, miſerere tui, quem ſi bene auguramur, certa & debita pœna manet. Tuum indigniſſimum libellum vix prodeuntem Romani proceres deteſtati ſunt,

univerſa Gallia flammis dignum judicavit. Habemus optimum Pontificem, ſeditioſis tuorum clamoribus inimiciſſimum, habemus æquiſſimos judices, & in hoc cauſæ genere verſatiſſimos. Notum eſt accuſatorum ingenium ac fraudes, perſpecta quoque uſitatæ criminationis iniquitas. In tam opportuno circumſtantiarum omnium ordine ſi quid futurum ſit divinare licet, à ſummo Pontifice brevì damnaberis & Romanum indicem ſub infelicibus tuorum libellis jampridem curvatum novo pondere obrues. Cave igitur ne, dum adverſarium lædere conaris, tuo teipſe gladio confodias.

Ut ad Arnaldum revertar, cujus cauſam quoniam in me recepi, defendere debeo, ſi ſuſpectus fuit, non aliis ſanè quàm hominibus fidei pluſquam ſuſpectæ: Non fuit Innocentio XI. nec aliis Pontificibus, quorum communionem ſemper retinuit,

& à quibus litteras benevolentiæ Pontificiæ teſtes accepit. Neque olim ſuſpectus fuit, neque jam ſuſpectus eſt Romanis, qui ut viventem ſuſpexerant, ita mortuum debitis laudibus ornarunt, ut EccleſiæCatholicæ ſemper addictiſſimum, cujus operâ triumphatura eſt Romana de Euchariſtiâ fides. Nam ille difficillimum Religionis noſtræ myſterium tam ſolidè aſſeruit, tantâ vi & ſubtilitate omnes hæreticorum impetus fregit, argumenta omnia diſſolvit, ut quidquam neque in iſto genere, neque in alio hactenus prodiiſſe, aut aliquando proditurum eſſe videatur. Nihil neceſſe eſt hoc loco commemorare vel Apologiam pro Catholicis, vel tot alios tractatus eximios pro fide & optimis moribus, quos ob rationum ſoliditatem, ſententiarum facilitatem fœcundiſſimam, ob perſpicuitatem denique, eruditioniſque in omni genere excellentiam & jam contempto tuo-

rum judicio laudant omnes, & olim laudatura eſt poſteritas. Quamobrem Romanus orbis ingenii maximi vim incredibilem admiratus eſt, hodie que admiratur, & Arnaldum meritò comparat cum præſtantiſſimis illis fœtibus, quos natura pluribus ſæculis vix ſemel promit. Nec te, dum adverſus Arnaldum declamas, Romam appellare pudet?

Sed quòd de eodem Romæ notato dicis, non probas, convincit te non ſolùm imprudentiæ, verùm etiam ſtuporis & amentiæ. Quid enim amentius, quam libri accuſatorum fulmina Vaticana objicere, quæ liber accuſatus non ſenſit? Neque enim Analyſim damnavit aliquando vel Pontificia, vel Epiſcopalis auctoritas, vel ullum tribunal Eccleſiaſticum. Tuis ergo Lectoribus ridendum te gratis exhibes, dum Vaticana fulmina commemoras. Quòd autem liber nunquam damnatus ſit, ne ab eis quidem

apud quos tantùm tui ſe & auctoritate & gratiâ valere jactant, quid hoc aliud eſt apud æquos rerum judices, quàm ejuſdem abſolutio?

*Cur*, inquis, *de diſponendâ notarum veſtrarum ratione & œconomiâ potiùs hunc* Arnaldum *conſuluiſtis; quam Doctorum orthodoxorum libros? Cur hæreticas Janſenii propoſitiones in proprio ejuſdem ſensû ſæpiſſimè damnatas non attentiùs intuebamini? Cur denique, ut uno verbo concludam, Auguſtinum intellexiſtis aliter, ac intelligunt omnes Catholici?*

Diù dubitatum, quæſitumque eſt, quid veſtri, Doctoris Catholici nomine intelligerent: quæ quæſtio, ſive problema, Doctorum hominum ingenia ſæpe exercuit; ſed quæſtionem ſolviſti. Quâ in re niſi tibi, ut debeo, gratulor, ingratus ſim. Catholicum à veſtris dici Moliniſtam acutiores ſentiebant, cæteri ſuſpicabantur. Tu verò om-

nes dubitationis reliquias abſterſiſti. Cujus rei nec difficilis eſt, nec longè petenda probatio. Quiſquis propoſitiones in Analyſi à te improbatas tuetur, is Janſeniſta eſt & hæreticus: ita enim poſuiſti. Doctores omnes, præterquàm Moliniſtæ, pleraſque & eas maximè, quas acriùs inſectaris, defendunt, ut probavi: Janſeniſtæ igitur ſunt & hæretici: ſoli Moliniſtæ damnant; ſoli ergo Moliniſtæ Catholici. Ita ex Moliniſticis fontibus doctrinam Auguſtinianam hauriri jubes. Sinceritatem tuam amo verè Germanicam. Cæteri per neſcio quas ambages jam eadem dixerant: tu ſincerior omiſſis omnibus diverticulis planè locutus es. Quòd ſi citiùs in publicum prodiſſes, non dubito quin Auguſtinus potuiſſet te duce & Magiſtro fieri Moliniſta & Catholicus. Sed quales demum ſint illi Doctores Orthodoxi & ſoli inter mortales Catholici, ad quos per-

humanè nos mittis, quove fuerint in Auguſtinum animo, Lectorem malo ex aliis, quàm ex meipſo cognoſcere. Legat ergo quiſquis curioſus eſt Auguſtinianas Noriſii vindicias, & profectò ſentiet te, ex iſtis Auguſtini doctrinam exprimi dum imperas, illud Propheticum complevisse: *inimici noſtri ſunt judices.*

Tuam denique perorationem ſic concludis: *plura hoc loco non dicam, cætera aliàs.* Expectabimus igitur, quoniam expectari jubes. Interea te hortabor, admoneboque; ſi quid exhortationes & monita, vel apud te vel apud tui ſimiles valere poſſunt; ut ab iis omnibus abſtinens quæ Chriſtianum ſcriptorem nequaquam decent, ac novas opiniones pro Eccleſiæ doctrinâ minimè venditans caritati ſimul & veritati ſtudeas: ne ampliùs audiatur apud nos illud Hormiſdæ Pontificis: *nunquam apud eos caritas novo commendata præcepto,*

*nunquam pax Dominico relicta diſceſſû; una pertinacis cura propoſiti, rationi velle imperari, non credere; contemptores auctoritatum veterum, novarum cupidi quæſtionum; ſolam putantes ſcientiæ rectam viam, quâlibet conceptâ facilitate ſententiam: eò uſque tumoris elati, ut ad arbitriũ ſuum utriuſque orbis putent inclinandum eſſe judicium: nec in numero fidelium deputantes ſequaces traditionis paternæ, ſi ſuæ viderint cedere nolle ſententiæ: docti crimina ſerere, obtrectationum venena componere, integrum Eccleſiæ corpus odiſſe, ſeditiones inſtruere & invidiam concitare.* Et ego quoque *plura hoc loco non dicam; cætera,* cum tibi videbitur.

*Mores hominum mendacium ſine honore, & confuſio illorum cum ipſis ſine intermiſſione.* Eccli. 20. 28.

FINIS.

# LECTORI

*ANalyticam libri de Correptione & Gratiâ Synopſim viſum eſt hoc loco ſubjicere, tum quòd rara ſit admodùm, tum ut ad Lectorum utilitatem habeantur ſimul eximium opus & noſtra defenſio: tum denique ut omnibus appareat defenſionis fides.*

# ANALYTICA SYNOPSIS* DOCTRINÆ LIBRI SANCTI AUGUSTINI DE CORREPTIONE ET GRATIA.

* Ex Pariſienſi editione anni 1644.

### *Scribendi occaſio.*

LIBRI hujus ſcribendi occaſionem ortam ex eo teſtatur Auguſtinus libro 2. Retractationum, cap. 67. quòd ei nuntiatum eſſet in Monaſterio Adrumetino quemdam dixiſſe, Neminem corripiendum, ſi Dei præcepta non facit, ſed pro illo ut faciat tantummodò orandum.

### *Summa totius diſputationis.*

Itaque præcipuus ſancti Doctoris ſcopus eſt, in hoc libro oſtendere, *a* quomodo nec ſana de gratia Chriſti doctrina officiat correptioni, nec correptio gratiæ.

a *Cap. ultimo.*

*Vera de gratiâ Chriſti dogmata, quæ in hac diſputatione ſupponuntur.*

Quoniam verò Monachus ille de gratia Dei contra correptionem argumentabatur, hinc vera de gratia Chriſti dogmata in ſui erroris confir-
a *Cap.* 2. mationem aſſumebat. 1. *a* Quòd ſine gratia, nec declinare à malo quis poſſit, nec ullum prorſus facere bo-
b *Cap.* 2. num. 2. *b* Quòd gratia iſta nihil ſit
& 4. aliud quàm inſpiratio dilectionis, per quam homines præcepta Dei ex ca-
c *Cap.* 4. ritate faciant. 3. *c* Quòd per gratiam Deus in nobis operetur velle & operari: unde conſequens eſt, eum gratiam non accepiſſe, qui nec vult, nec operatur.

d *Cap.* 1. Ex his *d* Catholicæ, Propheticæ, & Apoſtolicæ, ut Aug. loquitur, fidei principiis, duo videntur colligi poſſe adversùs correptionem. 1. Inutilem illam eſſe. 2 Non eſſe juſtam.

I. Quæstio.

*De utilitate correptionis.*

PRIMO ergo ſuperfluam & inutilem eſſe correptionem ſic videtur confici poſſe.

Objectio.

e *Cap.* 2. *e* UT velimus & faciamus, Deus operari debet in nobis per gratiam

ſuam velle & facere. [a] Si ergo non fecero præcepta Dei, non ego corripiendus ſum, ſed orandus Deus, ut det quod non dedit, id eſt, gratiam, qua præcepta ejus fiant. a *Cap.* 3. *&* 4.

RESPONSIO.

RESPONDET Aug. [b] Corripiendos eſſe peccatores, non tantùm pro illis Deum orandum, ut ſua illis vitia demonſtrentur, & utili vel pudore, vel dolore ſtimulati reformatorem deſiderent, eique ſupplicent, ne in illa remaneant fœditate. Re vera tamen correptionem tunc tantùm eſſe ſalubrem, quando ſupernus medicus reſpicit. Sed quia nobis incertum eſt, quibuſnam Deus per gratiam ſuam ſalubrem illam facturus ſit, [c] omnibus eam ex caritate medicinaliter adhibendam, [d] etiamſi ſalus ægrotantis incerta ſit; [e] facturo Deo aut miſericordiam, aut judicium; miſericordiam quidem, ſi à maſſa perditionis ille qui corripitur, gratiæ largitate diſcretus eſt: judicium verò, ſi non eſt prædeſtinatus.

b *Cap.* 5.
c *Cap.* 16.
d *Cap.* 14.
e *Cap.* 9.

II. QUÆSTIO.

*De juſtitia correptionis.*

VERÙM in 2. capite præcipua difficultas eſt, quomodo ſcilicet non ſit

injuſta correptio. Unde hanc ſibi Auguſtinus proponit objectionem.

OBJECTIO.

a *Cap. 4. & 6.* *a* Corripiendus non eſt quòd Dei præcepta non faciat, qui gratiam qua præcepta fiant à Deo non accepit, nec eam ſibi ipſi dare potuit. At cùm præcepta, non facio, gratiam qua præcepta fiant à Deo non acce-
b *Cap. 4.* pi, hoc eſt, *b* fidelem Dei & proxi-
c *Cap. 6.* mi caritatem; *c* quia cuicumque illa caritas ineſt, neceſſe eſt ut inſit ei
d *Cap. 4.* obedientia mandatorum: *d* nec eam poſſum mihi dare vel ſumere ipſe.
e *Cap. 4.* *e* Corripiendus ergo non ſum, ſi Dei præcepta non fecero; ſed orandus Deus, ut det quod non dedit, hoc eſt, illam caritatis inſpirationem, per quam ſolam veraciter poteſt impleri præceptum.

RESPONSIO.

SI ſanctus Auguſtinus ſufficientem illam gratiam agnoſceret, quam omnibus omnino lapſis hominibus dari contendunt Theologi quidam recentiores, uno verbulo ex hoc ſe laqueo expediret, concedendo ſcilicet propoſitionem, & aſſumtionem negando, eo quòd nullus ſit qui neceſſariam ad faciendum præceptum

gratiam non acceperit, & qui proinde juſtè non corripiatur, ſi non fecerit. Sed contrariâ prorſus viâ progreditur Aug. Agnoſcit enim tanquam veriſſimum quidquid aſſumitur in hoc ſyllogiſmo, nempe: Quicumque præceptum non facit, gratiam qua præcepta fiant, à Deo non accepiſſe. Sed negat propoſitionem, & totus in eo eſt, ut oſtendat juſtè corripi, qui præcepta non facit, etiam ſi gratiam qua præcepta fiant, à Deo non acceperit.

Reſpondet ergo, quærelam illam inſtitui poſſe, vel de iis qui nondum regenerati ſunt, vel de iis qui cùm juſtificati eſſent, à gratia exciderunt. a Non regeneratos quidem juſtè corripi, quia fecit Deus hominem rectum: ac per hoc prima pravitas qua Deo non obeditur, ab hoc eſt, quia ex rectitudine in qua eum Deus primitus fecit, ſua mala voluntate decidens, pravus effectus eſt. Neque verò pravitatem iſtam corripiendam non eſſe in homine, quia non ejus propria qui corripitur, ſed communis eſt omnibus: immo verò corripiendum & in ſingulis, quod eſt omnium. Regeneratos verò & juſtificatos rectè corripi,

a *Cap. 6.*

quia acceptam gratiam Dei, ſuo in malum libero amiſerunt arbitrio.

SPECIALIS OBJECTIO.

*De iis qui perſeverantiam à Deo non acceperunt.*

a *Ibidem.* SED adversùs hanc reſponſionem rurſus ſibi opponit Auguſtinus: *a* Quomodo juſtè corripior, qui licèt fidem acceperim, quæ per dilectionem operatur, in illa tamen uſque ad finem perſeverantiam non accepi?

RESPONSIO.

UT ad hanc inſtantiam reſpondeat, primùm confirmat quod in ob-
b *Ibidem.* jectione aſſumitur: *b* Et magnum Dei munus eſſe perſeverantiam in bono proficientem uſque ad finem; nec eſſe
c *Cap.* 7. & 9. niſi à Deo; *c* nec aliis dari quàm iis qui perſeverant. Juſtè tamen corripi contendit, qui non perſeverant; quia mala ſua voluntate non perſeverant.
d *Cap.* 7. *d* Quòd autem perſeverantiam à Deo non accipiant, inde provenire, quia non ſunt ab illa perditionis maſſa, quæ facta eſt per Adam divinæ gra-
e *Cap.* 11. tiæ largitate diſcreti. *e* Unde quòd deſit adjutorium ſine quo in bono permanere non poſſunt, in pœnam peccati eſſe ac proinde juſtè corripi, &
f *Cap.* 10. à Deo puniri. *f* Quia cùm homo per

liberum arbitrium Deum deſeruerit, juſtum Dei judicium expertus eſt, ut cum tota ſua ſtirpe, quæ in illo adhuc poſita, tota cum illo peccaverat, damnaretur. Unde quotquot ex hac ſtirpe gratiâ Dei liberantur, à damnatione utique liberantur, quâ jam tenentur obſtricti; à qua etiam ſi nullus liberaretur, juſtum Dei judicium nemo juſtè reprehenderet. Itaque ſumma utriuſque reſponſionis eſt, & quantum ad non regeneratos & quantum ad regeneratos qui non perſeverant juſtè corripi, qui præcepta non faciunt, etiamſi gratiam, qua præcepta fiant, non acceperint: quia ſecundùm Apoſtolum, euntibus omnibus ex uno in condemnationem, juſtè poteſt Deus quoſcumque voluerit, in illa perditionis maſſa relinquere, & gratiam ſuam illis non dare. Ergo in utriſque non juſtam excuſationem eſſe, sed juſtam damnationem.

III. QUÆSTIO.

*Cur uni detur, alteri non detur perſeverantia.*

HIS duabus quæſtionibus, quæ præcipuum libri ſcopum ſpectant, tres alias quaſi corollariorum vice interſerit Auguſtinus. Primam, cur uni detur

perſeverantia, alteri non detur. Secundam, de prædeſtinatione ſanctorum. Tertiam, de differentia inter gratiam primi hominis & Angelorum, & gratiam Chriſti Salvatoris.

a *Cap.* 8. Ad primam ex his tribus, *a* cur uni detur perſeverantia, alteri non detur; nihil aliud reſpondet, quàm ſe ignorare; cùm hoc ad inſcrutabilia Dei judicia pertineat, quæ quoniam juſta & alta ſunt, nec vituperari debent nec penetrari; & ſufficit nobis audire dicentem Apoſtolum, *O homo tu quis es qui reſpondeas Deo?* &, *O altitudo divitiarum!* &c. Quòd ut confirmet, ſimilia quædam exempla proponit inſcrutabilium & ſtupendorum judiciorum Dei. Unum eſt: Cur illi parvulo detur baptiſmus, alteri non detur; cùm ſit utrumque in poteſtate Dei, & ſine illo ſacramento nemo intret in regnum Dei. Alterum eſt: Cur juſtorum alios Deus de hujus vitæ periculis rapiat, ne malitia mutet intellectum eorum; alios in hac vita relinquat, donec à bono deficiant, & *b* tales eos vitæ hujus finis inveniat.

b *Cap.* 7.

OBJECTIO.

c *Cap.* 8. AD *c* liberum hominis arbitrium pertinet, ut perſeveret in bono quiſque vel non perſeveret. Non ergo

hîc confugiendum ad inſcrutabilia judicia Dei.

RESPONSIO.

RESPONDET Auguſtinus,[a] Hoc dici non poſſe, niſi ab inimicis gratiæ Dei qui liberum arbitrium non ſecundùm gratiã, ſed contra eam defendunt. Certum enim eſt, neminem perſeverare niſi qui perſeverare velit; & eos non perſeverare, qui perſeverare nolunt, & malâ ſuâ voluntate à bono deficiunt. Sed quia nemo perſeverantem illam in bono voluntatem habere poteſt, niſi qui à Deo acceperit, & cui præparata fuerit voluntas à Domino; quòd huic præparetur, illi non præparetur, non jam à libero hominis arbitrio diverſitatis hujus ratio peti poteſt, ſed recurrendum cum Apoſtolo ad altitudinem impenetrabilium judiciorum Dei: nec erubeſcendum eſt neſcire nos, quod Doctor gentium ſe ignorare profeſſus eſt. Hanc doctrinam maximè illuſtrat Auguſtinus exẽplo Petri, pro quo Chriſtus rogavit, ne deficeret fides ejus. Et tamen quis ignorat, tunc fuiſſe perituram fidem Petri, ſi ea, quâ fidelis erat, voluntas ipſa deficeret; & permanſuram, ſi eadem voluntas maneret? Sed quia

a *Ibidem.*

præparatur voluntas à Domino, ideo pro illo Chriſti non poſſet eſſe inanis oratio, id eſt fieri non poterat, ut aliud Petrus ullo modo vellet, quàm pro illo Chriſtus rogaſſet ut vellet.

## IV. Quæstio.

### *De Prædeſtinatione Sanctorum.*

EX occaſione hujus quæſtionis, cur uni detur perſeverantia, alteri non
a *Cap.* 7. detur, *a* diſſerit Auguſtinus de præ-
9. 10. 12. deſtinatione Sanctorum; ut oſtendat,
13. *&c.*
b *Cap.* 9. *b* perſeverantiam omnibus prædeſtinatis, qui verè ſunt filii promiſſionis, & à Patre Chriſto dari, ut non pereant, ſed habeant vitam æternam. De hac ergo multa docet ex Scriptu-
c *Cap.* 7. ris. 1. *c* Per peccatum Adami ex om-
*&* 10. nibus hominibus una facta eſt perditionis maſſa, ſupplicium debens divinæ juſtitiæ; adeo ut ſi nullus inde liberaretur, juſtum Dei judicium nemo
d *Cap.* 8. rectè poſſet reprehendere. 2. *d* Non
e *Cap.* 10. murmurandum adversùs Deum, *e* ſed illi potiùs gratiæ agendæ, quòd de tam juſta damnatione in comparatione pereuntium pauci, in ſuo verò numero multi liberantur; cæteris in ea juſtiſſi-
f *Cap.* 7. mo Dei judicio derelictis. 3. *f* Hæc liberatio fit per æternum miſerantis Dei propoſitum, quo Deus quoſdam ſalva-

re decrevit per ſanguinemMediatoris, *a* & erutos à poteſtate tenebrarum, in æternum Filii ſui regnum tranſferre. Unde eos appellat Auguſtinus, *b* Ordinatos ad vitam æternam, *c* Prædeſtinatos in Regnum Dei, *d* Electos ad regnandum cum Chriſto, & ad obtinendum regnum Dei. 4. *e* Hæc autem prædeſtinatio ad vitam æternam omnino gratuita eſt, & antecedit bonorum omnium meritorum præviſionem, cùm nulla ſupponat in prædeſtinatis niſi merita mala, ut pote qui *f* per illam à damnatione liberentur, quâ ſimul cum aliis omnibus hominibus jam tenebantur obſtricti. Hinc eos vocat poſt Apoſtolum, *g* vaſa miſericordiæ; *h* & per Dei gratiam Dei regno prædeſtinatos; *i* & ab originali damnatione, non meritis ſuis, ſed divinæ gratiæ largitate diſcretos; & electos in Chriſto ante conſtitutionem mundi per electionem gratiæ, non præcedentium meritorum ſuorum. 5. Non ergo ex meritis prædeſtinatio ad gloriam, ſed ex prædeſtinatione ad gloriam merita quibus ad illam perducantur electi. Hinc enim fit, K ut eis procuretur audiendum Evangelium; & cùm audiunt, credant; & in fide

a *Cap. 13.*
b *Cap. 6. & 9.*
c *Cap. 13.*
d *Cap. 7.*
e *Cap. 7.*
f *Cap. 10.*
g *Cap. 7.*
h *Cap. 13.*
i *Cap. 7.*
K *Ibidem.*

quæ per dilectionem operatur, uſque in finem perſeverent; & ſi quando exorbitent, correpti emendentur, &c. hæc enim omnia operatur in eis, qui vaſa miſericordiæ operatus eſt eos, &c. 6. *a* Certa eſt & immutabilis hæc electio. Unde ex iſto *b* certiſſimo & feliciſſimo numero nullus excidit, nullus perit. Ac per hoc nullus eorum ex bono in malum mutatus finit hanc vitam, quia ſic eſt ordinatus, & ideo Chriſto datus, ut non pereat, ſed habeat vitam æternam. 7 *c* Perſeverantia igitur proprium eſt donum electorum, quod omnibus electis datur, nec ullis datur niſi electis. 8. *d* Ad illos ſolos pertinet quod ait Paulus: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonùm, his qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt.* Hoc enim *propoſitum*, æternum Dei decretum ſignificat, quo Deus electos ſuos ſalvare conſtituit. 9. *e* De his etiam ſolis intelliguntur ejuſdem Apoſtoli verba: *Deus vult omnes homines ſalvos fieri*, id eſt, omnes prædeſtinatos: quia omne genus humanum in eis eſt, cùm ex utroque ſexu, ex omni gente, gradu, ætate & conditione ſalventur. Quòd ſi Deus omnes omnino homines vellet ſalvos

a *Cap.* 7. 9. & 13.

b *Cap.* 13. &c.

c *Cap.* 6. 9. 12. 13.

d *Cap.* 9.

e *Cap.* 14.

fieri, omnes omnino ſalvarentur: quia volenti Deo ſalvum facere, nullum hominis reſiſtit arbitrium.

V. QUÆSTIO.

*De differentia inter gratiam primi Hominis & Angelorum, & gratiam Christi Salvatoris.*

HÆC differentia meritò totius doctrinæ de gratia clavis appellari poteſt; quam in aliis quidem operibus notat Auguſtinus, ſed in hoc libro *a* diligentiùs exponit, ut graviſſimam, quæ inciderat, de data vel non data primo homini perſeverantia difficultatem ſolveret. Nam adversùs ea quæ de hominibus juſtè corripiendis, licèt perſeverantiæ donum à Deo non acceperint, diſſeruerat, hanc objectionem, non ſanè contemnendam, fieri poſſe, vidit vir perſpicaciſſimus. a *Cap.* 10. 11. & 12.

OBJECTIO.

*b* SI juſtè puniuntur à Deo, qui non perſeverant, licèt perſeverandi donum, ſine quo nullus perſeverat, à Deo non acceperint, quia illam ideo non acceperunt, quòd à maſſa perditionis divinæ gratiæ largitate diſcreti non ſunt: quomodo extra culpam Adamus non fuit, de quo id dici non poteſt; quia nondum erat in illa per- b *Cap.* 10.

ditionis maſſa, quæ per illius peccatum facta eſt; & qui tamen non videtur perſeverantiam à Deo accepiſſe, quando quidem in bono non perſeveravit?

RESPONSIO.

RESPONDET Auguſtinus, longè aliam primi hominis & Angelorum, aliam lapſorum hominum eſſe rationem.
a *Ibidem.* *a* In illis enim Deum oſtendere voluiſſe, quid poſſet liberum
b *Cap. 11.* arbitrium; *b* non quod illos ſine ſua gratia eſſe voluerit, ſed quòd eam reliquerit in eorum libero arbitrio:
c *Cap. 10.* *c* in aliis verò quid poſſet partim ſuæ gratiæ beneficium, nempe in præ-
d *Cap. 12.* deſtinatis, *d* quos potentiori gratiâ indeclinabiliter & inſuperabiliter agit;
e *Cap. 10.* *e* partim juſtitiæ judicium, nempe in reprobis, quibus juſto judicio ſalvatricis gratiæ ſuæ dona non impertitur, ut in eis oſtendat, quid meruerit univerſa
f *Cap. 12.* conſperſio. *f* Duplex itaque adjutorium eſſe: aliud enim eſt adjutorium ſine quo aliquid non fit, & aliud eſt adjutorium quo aliquid fit.
g *Cap. 11. & 12.* *g* Primo homini & Angelis adjutorium à Deo datum eſſe, non quo perſeverarent, ſed tantummodo ſine quo perſeverare non poſſent: perſe-

verare autem & non perſeverare in eorum libero relictum eſt arbitrio. *a* Gratiam datam eſſe, qua haberent juſtitiam, ſi vellent, ſed quam Deus in eorum libero reliquit arbitrio. *b* Jam verò ſanctis non tantùm tale adjutorium perſeverantiæ dari, ſine quo perſeverantes eſſe non poſſint, ſed ut per hoc donum non niſi perſeverantes ſint. Talem gratiam dari, non tantùm ut habeant juſtitiam, ſi velint, ſed etiam ut velint; id eſt, talem gratiam dari, non quæ ex eorum libero dependeat arbitrio, ſed quæ illorum liberum ſibi ſubjiciat arbitrium.

a *Cap.* 11.

b *Cap.* 12.

*Cauſſæ diſcriminis gratiæ ſine qua, & gratiæ qua.*

Cauſſam hujus diſcriminis, non ex ſuo capite commentus eſt ſanctus Doctor, ſed pro ea quam à Deo acceperat, ſublimi rerum divinarum intelligentia, ex Scripturarum oraculis & ex intimis hauſit naturæ penetralibus; ex ſanitate ſcilicet, & infirmitate voluntatis humanæ. Quia enim *c* primi hominis voluntas ſana erat, nihilque illi ex ſe ipſa concupiſcentialiter reſiſtebat, hinc dignè tantæ bonitati & bene vivendi facilitati,

c *Ibidem.*

perſeverandi commiſſum eſt arbitrium. Nunc verò poſt quàm eſt illa magna peccati merito amiſſa libertas, & ſub dominantis concupiſcentiæ jugo captiva voluntas jacet, ſubventum eſt illius infirmitati, ut divinâ indeclinabiliter & inſuperabiliter ageretur gratiâ. Fortiſſimo ergo dimiſit Deus, atque permiſit, facere quod vellet: infirmis ſervavit, ut ipſo donante inviĉtiſſimè quod bonum eſt vellent, & hoc deſerere inviĉtiſſimè nollent.

Aliam adhuc ejus diſcriminis cauſſam tangit Auguſtinus, ſed quæ ex priori pendeat. *a* Placuit enim Deo, quò maximè humanæ ſuperbiam præſumtionis exſtingueret, ut non glorietur omnis caro coram ipſo. Unde autem non glorietur omnis caro coram ipſo, niſi de meritis ſuis? quæ quidem potuit habere, ſed perdidit: & per quod habere potuit, per hoc perdidit, hoc eſt, per liberum arbitrium. Propter quod non reſtat liberandis, niſi gratia liberantis. Non quòd ſanĉti nunc merita non habeant, *b* ſed merita gratiæ, non liberi arbitrii, id eſt, illis per gratiam liberum ſibi ſubjicientem arbitrium collata. At primus homo merita habuiſſet, ſicut & habue-

a *Ibidem.*

b *Cap. 11.*

runt Angeli ſancti, non [a] peculiariter gratiæ, ſed liberi arbitrii, quia profecta à libero arbitrio, à gratia quidem adjuto, ſed à gratia potentiam, non actum & voluntatem ipſam tribuente.

a *Cap.* 10. & 11.

Ex his igitur principiis ad difficultatem propoſitam de caſu Adami reſpondet Auguſtinus: [b] Adamum ſuâ culpâ cecidiſſe, quia adjutorium ſine quo manere non poſſet, & quo manere poſſet ſi vellet, à Deo accepit: quod ſi non accepiſſet, utique ſine culpa ſua cecidiſſet. Nunc verò extra culpam non eſſe qui non perſeverant, licèt tale adjutorium ſine quo perſeverare non poſſunt, à Deo non acceperint; quia quòd tale adjutorium illis deſit, jam pœna peccati eſt.

b *Cap.* 11.

Ibi maximè notandum eſt, ad ſolvendam difficultatem de caſu Adami S. Auguſtinum gratiam ſufficientem in ſubſidium advocare: cur ergo eadem ſolutione non utitur in ſolvenda difficultate de non perſeverantibus nunc fidelibus? niſi quia rectè judicavit, nullum jam ampliùs eſſe gratiæ illi ſufficienti locum, quia ſani hominis adjutorium eſt, non medicinale quo jam homo multis profundiſque vulneribus confoſſus indiget, Chriſti Salvatoris auxilium.

# INDEX

## CAPITUM.

AUCTORIS *ad amicum præfatio* 1

LIBER I. *De voluntate generali.*

CAPUT I. *An queſtio de voluntate generali cum alterâ de Chriſti morte neceſſariò conjungatur.* 1.

CAPUT II. *Quanta ſit Auguſtini in rebus ad Gratiam pertinentibus auctoritas.* 32.

CAPUT III. *Auguſtiniana de voluntate Dei erga ſalutem humanam ſententia explicatur & conſtituitur.* 45.

CAPUT IV. *De Hilarii, & Proſperi Sententiâ.* 116.

CAPUT V. *De Auctore Hypognoſticon.* 162.

CAPUT VI. *De Auctore Librorum de Vocatione gentium.* 171.

CAPUT VII. *De Epiſcopis Africa-*

*nis in Sardiniâ exulantibus.* 209.
CAPUT VIII. *De Fulgentio.* 213.
CAPUT IX. *De Petro Diacono & Auctore commentarii in* 1. *Regum.* 220.
CAPUT X. *De Lupo Servato.* 224.
CAPUT XI. *De Prudentio Tricaſſino, & Floro Diacono.* 233.
CAPUT XII. *De eodem Prudentio & Remigio Lugdunenſi.* 237.
CAPUT XIII. *De Haimone* 264.
CAPUT XIV. *De Roberto Pullo.* 267.
CAPUT XV. *De Petro Lombardo.* 269.
CAPUT XVI. *De Hugone Victorino.* 275.
CAPUT XVII. *De Petro Pictavienſi.* 282.
CAPUT XVIII. *De Anſelmo, ſive de Hervæo.* 285.
CAPUT XIX. *De Præpoſitivo.* 292.
CAPUT XX. *De Alexandro Alenſi.* 299.
CAPUT XXI. *De S. Bonaventura.* 308.

CAPUT XXII. *De Scoto.* 314.
CAPUT XXIII. *De Durando & Herveo.* 320.
CAPUT XXIV. *De Gregorio Ariminenſi.* 323.
CAPUT XXV. *De Marſilio & Bradvvardino.* 340.
CAPUT XXVI. *De Majore & Cajetano.* 349.
CAPUT XXVII. *De cenſurâ Lovanienſi & Duacenſi.* 352.
CAPUT XXVIII. *Argumenta ſeptem adverſus interpretationes Auguſtinianas proponuntur & ſolvuntur.* 360.
CAPUT XXIX. *De S. Thomâ.* 383
CAPUT XXX. *De Banneſio.* 394.
CAPUT XXXI. *De Eſtio.* 400.
CAPUT XXXII. *De Heſſelio, & aliis ſex.* 413.
CAPUT XXXIII. *De Sylvio.* 417.
CAPUT XXXIV. *De Gilberto Mauguino.* 427.
CAPUT XXXV. *De Franciſco Macedo & Hugone Mathoud.* 430.

CAPUT XXXVI. *De Fromondo.* 434.
CAPUT XXXVII. *De aliis recentioribus nonnullis.* 439.
CAPUT ULTIMUM. *Et totius Libri Concluſio.* 444.

## LIBER II.

*IN quo Analyſis Arnaldina vindicatur ab omnibus Abbatis Germani calumniis.* 475.
PARS PRIOR. *De Gratiâ ſufficiente & efficaci.* 478.
CAPUT I. *De Gratiæ ſufficientis vocabulo.* 482.
CAPUT. II. *De notione vocabuli Thomiſticâ.* 493.
CAPUT III. *De notione gratiæ ſufficientis Molinianâ.* 558.
CAPVT IV. *De gratiâ hominis innocentis & Angelorum juxta Auguſtinum.* 580.
CAPUT V. *De gratiâ hominis lapſi juxta eumdem.* 604.
CAPUT VI. *Aliqua ad auxilium*

quo *pertinentia explicantur.* 615.

PARS POSTERIOR.

De ſingulis Analyſis Arnaldinæ propoſitionibus quas confixit Germanus Abbas.

CAPUT VII. *De prima propoſitione Arnaldi.* 627.

CAPUT VIII. *De Arnaldi propoſitione ſecundâ.* 643.

CAPUT IX. *De Arnaldi propoſitione tertiâ.* 649.

CAPUT X. *De Arnaldi propoſitione quartâ.* 693.

CAPUT. XI. *De Arnaldi propoſitione quintâ.* 713.

CAPUT XII. *De Arnaldi propoſitione ſeptimâ.* 746.

CAPUT ULTIMUM. *Et totius Libri Concluſio.* 758.

ANALYTICA *Synopſis Doctrinæ Libri Sancti Auguſtini de Correptione & gratia.* 769.

# CORRIGENDA.

PAgina iij. lin. 19 *lege* gratiæ. P. v. lin. 16 *lege* aſſertum. P. xxj. lin. 5. lege *docent.* P. 8. lin. 1. *lege* ſuperioribus Theologis P. 10 lin. 10 *lege* quinta Janſenii. P. 12. lin. 3. & 4. *lege* torqueantur. P. 13 lin. 1. *lege* quod. P. 15 lin. 4 *lege* aſſeruit. P. 16 lin. 22 *lege* ad vocem. P. 21 lin. ultimâ *lege* pronunciavit. P. 30 lin. 12 & 13. *lege* reproborum. P. 32. lin. 6. & 7. *lege* conſtans non firmarit. P. 46 lin. 8 *lege* eſſe velle. P. 71 lin. 19. *lege* æternâ. P. 79 lin. 24 lege *ſignum*. P. 82 lin. 25 *lege* anteponendam. P. 84 lin. 15 *lege* concluſionem. P. 85 lin. 7 *lege* voluntate. P. 96 lin. 7 *lege* cum. P. 130 lin. 5 lege *redimi noluit*. P. 138. lin. 5. *lege* & adverſariorum. P. 140 lin. 22 *lege* peccaturi ſint in. P. 143 lin. ultimâ lege *tentarent* P. 185 lin. 19 & 20. lege *experimentis*. P. 195 lin. 11 lege *accendit*. P. 200 lin. 1 *lege* neque qui rigat, ſed qui. P. 202 lin. 11 *lege* quod propriè. P. 217 lin. 22 & 23. *lege* loca. p. 246 lin. 20 *lege* propriam. p. 252 lin. 2 lege *fiat*. p. 260 lin. 11 *lege* in eodem lib. Ibidem lin. 24 & 25 lege *miſerentis*. p. 261 lin. 3 & 4 lege *extrinſecùs admonente*. p. 269 lin. ultimâ *lege* ſit. p. 270 lin. 6 *lege* L. 1. d. 45. P. 277 lin. 18 *lege* fruſtrative. p. 286 lin. ultimâ *lege* eum. p. 299 lin 12 *lege* Cum ſcribebat. p. 323 lin. 2 & 3 *lege* ſuperioribus Theologis in eam. p. 336 lin. 18 *lege* voluit. p. 340 lin. ultimâ *lege* art. 2. p. 342 lin. 3 & 4 *lege* nec alias ſententiæ. p. 345 lin. 21 *lege* in caritate &. p. 347 lin. 23 & 24 *lege* nullam. p. 368 lin. 17 lege *convertatur*. p. 386 lin. 4 & 5 *lege* contendentibus. p. 394 lin. 10 *lege* quàm ſanctitate. p. 396 lin. 18 &

19 lege *velleitatem*. p. 398. lin. 8. & 9. lege *nollet*. p. 400. lin. ultimâ *lege* per. p. 409 lin. ultimâ lege *pro*. p. 411. lin. 14. *lege* quamdam. p. 413. lin. 10. lege *non perinde*. p. 417 lin. 12 *lege* Caput XXXIII. p. 419. lin. 10. & 11 *lege* quod maximè p. 422. lin. 16 *lege* beneficiis p. 440. lin. 7. *lege* cauſam p. 450. lin. ultimâ lege *attentione*. p. 463. lin. 8. *lege* neceſſariò. p. 464. lin. 24. *lege* unâ hac. p. 485. lin. 14 *lege* uſitatam rationem nominis. p. 489. lin. 9. lege *ſub veteri*. p. 492. lin. 15. *lege* queruntur. p. 493. lin. 2. *lege* judiciis. p. 498. lin. 2 & 3 *lege* anteceſſerit. p. 499. lin. 14. lege *completâque*. p. 502. lin. 8 lege *auxilium* p. 507. lin. 3. *lege* judicij. ibidem. lin. 4. *lege* objicit. p. 509. lin. 25. *lege* mærore ac. p. 512. lin. 3. *lege* fruſtrative. ibidem lin. 22. *lege* perſuaderet. p. 514. lin 11. & 12. *lege* in cauſâ eſſe. p. 515. lin. 14. *lege* ut ei. p. 519. lin. 14. *lege* efficax. p. 520. lin. 2. *lege* auxilio. p. 521. lin. 2. lege *auxilium*. ibid. lin. 19. lege *ſenſum*. p. 522. lin. 15. *lege* Alvarem. ibid. lin. 25. *lege* reſiſtendoque. p. 524. lin. 7. lege *lata*, p. 529. lin. 1. lege *libertatis*. p. 542. lin 5 ultimâ & p. 543. lin. 1. *lege* talem eſſe. p. 543. lin. 24. lege *adſit*. p. 550. lin. 1. lege *ex mero Dei*. p. 575. in margine lege *Quæ an. 1699. propugnata &c.* p. 633. lin. 24. *lege* faceremus. p. 685. lin. 7. *lege* ex bona p. 746. lin. 5. *lege* Caput. XII.

2tt